



LIBRARY OF PRINCETON
JAN 24 1900
THEOLOGICAL SEMINARY.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XIII.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien.

Zweite Folge.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1892.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Zweite Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1892.

EINLEITUNG.

Im fünften Teile dieser Sammlung ist eine erste Folge rhythmischer Officien zur Veröffentlichung gelangt, der sich die hier mitgeteilte zweite Serie in allem anschliefst. Über Wesen, Inhalt und Form dieser liturgischen Poesien ist ebendort einleitend das Nötige bemerkt worden; nur bezüglich des Auftretens und der Verbreitung derselben sei es erlaubt, einiges wenige hier beizufügen.

Der Grundstock der mittelalterlichen Breviere ist das Römische, dem Karl der Grofse die Kirchen seines weiten Imperiums unterwarf. Die durch diese Mafsnahme erzielte Einheit war indes von kurzer Dauer, da der gemeinsame Fond bei der damals in liturgischen Dingen herrschenden Freiheit von den einzelnen Diöcesen, Kollegiat- und Kloster-Stiften rasch und in weitem Mafse verändert ward und zwar vor allem durch Hinzufügen von einer Wolke lokaler und provinzialer Heiligen und Patrone. Der bis tief in die Tage der Renaissance hinein stets wachsenden Liebe zu Rhythmus und Reim ist es zu danken, dafs diese den einzelnen Bistümern und Abteien eigentümlichen Officien, zu einem grofsen Teile metrisch, beziehungsweise rhythmisch waren. Wir besitzen solche Officien aus dem neunten und zehnten Jahrhundert, so dafs wir wohl nicht fehl gehen, wenn wir als Quelle des späterhin so mächtigen Stromes die von der „karolingischen Renaissance“ ausgehenden Impulse ansehen. Sind diese metrischen Offizien bis an und über die Grenze des zwölften Jahrhunderts noch seltener, so mehren sie sich in demselben Mafse, als das Metrum dem Rhythmus, die Endassonanz dem Reime weicht; sie blühen mit der Sequenz vom halben zwölften ins halbe vierzehnte und wuchern und wildern weiter bis ins sechzehnte Jahrhundert hinein.

Während unsere Historiae ihren Ursprung meist lokalen Bedürfnissen und persönlichen Liebhabereien verdanken, gelingt es gleichwohl nicht wenigen, eine ansehnliche Verbreitung zu erlangen. Dies gilt vor allem von jenen, die ihren Weg ins römische Brevier fanden; von älteren sei beispielsweise an die des hl. Gregor, von jüngeren an das Heimsuchungsofficium erinnert. Weite Verbreitung erlangen ebenso die Offizien des einheitlich geregelten Brevieres der Bettelmönche, der Franziskaner und Predigerbrüder. Über ganz Deutschland und über seine Grenzen hinaus verbreitet sich das Offizium der hl. Elisabeth; gleiche, ja gröfsere Verbreitung hätte die Historia der hl. Ursula (Analecta V, Nr. 78) erlangt, hätte nicht die Mannigfaltigkeit der Ursulaoffizien ihm Abbruch gethan.

In der Regel jedoch sind die Reimoffizien provinzial, ja lokal; nicht nur jedes Diöcesan-, nein, jedes Mönchs-Brevier weist derselben einige auf. Ja, das letztere kann man recht eigentlich als die reichste Fundgrube bezeichnen. So oft es gelingt, ein neues Klosterbrevier (nicht einzuschliefsen die Bücher der Bettelorden) aufzufinden, wird man meist auch mit einem, wo nicht mehreren neuen Reimofficien belohnt. Leider sind aber die uns erhaltenen liturgischen Handschriften monastischen Ursprunges, aller scheinbaren Fälle ungeachtet, nur ein geringer Bruchteil von dem, was dem Zahne der Zeit und dem Unverstande der Menschen zum Opfer fiel. Welche Unzahl von Klöstern bedeckte nicht beispielshalber den englischen Boden. Wer sich davon überzeugen will, werfe, falls ihm das monumentale Monasticum Anglicanum erschreckt, einen flüchtigen Blick auf die primitiven Karten, die Gasquey seinem Werke über die Unterdrückung der klösterlichen Anstalten in England angefügt[1]. Man wird aber schwerlich handschriftliche Breviere auch nur von einem Dutzend englischer Abteien nachweisen. Was wir somit an Reimofficien englischen Ursprungs besitzen, ist geradezu minimal im Vergleiche zu dem, was verloren ist. Es ist wichtig dies zu konstatieren, um sich einen annähernd zutreffenden Begriff von der Reichhaltigkeit des uns beschäftigenden Litteraturzweiges zu machen.

Und da wir auf England zu sprechen kommen, sei es erlaubt,

[1]) Henry VIII. and the English Monasteries. London. Hodges 1888—89.

bei dieser Gelegenheit einige anglikanische Reimofficien nachzuweisen, die uns verloren sein dürften. Die Handschrift 28 der Stadt Köln, ein Devotionale des 15. Jahrhunderts, enthält Bruchstücke einer grofsen Menge von rhythmischen Officien, darunter eine beträchtliche Zahl solcher, die teils noch nicht aufgefunden, teils nicht mehr aufzufinden sind. Von englischen Heiligen mit rhythmischen Officien gehören hierher: Osmundus, Simon Graf von Leicester, Thomas Graf von Lancaster u. a. Leider sind die hier mitgeteilten Bruchstücke nicht so umfangreich wie bei andern Heiligen, beschränken sich vielmehr auf nur eine Antiphon; weil aber bei sämtlichen anderen Heiligen diese Bruchstücke aus dem liturgischen Officium entlehnt sind, unterliegt es keinem Zweifel, dafs dies auch hier der Fall ist. Von Thomas (comes Lancastriae, 22. März) lautet die Antiphon:

Ave, Thoma, gemma militiae,
Dux in castris coelestis gloriae,
Anglicanae miles ecclesiae,
Tuae fave semper familiae.

Hierauf folgt sogleich die Kollekte: Deus, qui beatum Thomam, militem tuum inclitum, pro pace et statu Angliae dirae decollationis martyrium subire voluisti, concede nobis, quaesumus, ut ejus passio gloriosa sit nobis remissio scelerum et contra mundi pericula firmamentum. — Von dem Grafen Simon von Leicester mit Genossen (4. August):

O decus militiae Gentium Anglorum,
Comes Leicestriae, Dextra oppressorum,
Miles regis gloriae, Apotheca morum,
Posce nobis miseris vitam beatorum.

Die Kollekte lautet: Deus, pro cujus pace et veritate gloriosus sanguis beati Simonis martyris effunditur, concede propitius, ut, qui ipsius sociorumque ejus beneficia implorant, pace perfrui mereantur aeterna. P. D. — Auch von Osmund, Bischof von Salisbury, findet sich nur eine Antiphon:

Christe, nostrum refugium.
Salus, honor et praemium,
Edulium coelestium,
Via, ductor et bravium,
Osmundi per suffragium
Esto nobis praesidium

Hostile contra proelium
Et duc post hoc exsilium
Nos ad perenne gaudium.

Ein Officium, das ebenfalls verloren, ist das des hl. Gerlach Grafen von Valkenburg. Vergeblich sucht man in Houthem-Saint Gerlache, Meersen oder Maastricht nach Spuren desselben. Das Kölner Devotional erhärtet aber die Existenz durch folgende Trümmer:

Invitatorium.

Adoremus Dominum laudabilem.
In sanctis suis semper mirabilem.

Antiphonae.

1. Delicatum credens statum Esse cum hominibus,
Statum vitae eremitae Praeelegit omnibus.
2. Cilicii tenus cute Et loricae post indutae Vestis est asperitas.
Panis hordeum et cinis, Quidquid lautum, dat vicinis
Larga sancti caritas.
3. Hildegardis visio Singularem solio
Coelesti notat sedem Sancti viri mercedem.
4. Ora, sancte confessor, Legum Dei professor,
Tu, qui post tot certamina Inter sanctorum agmina
Laeta decantas(ti) carmina,
Post vitae hujus terminum Transire nos ad Dominum.

Bei einer Reihe anderer Officien, deren Existenz aus dieser Handschrift nachweislich ist, bleibt eine, wenngleich schwache Hoffnung, dieselben noch aufzufinden, so die Officien des hl. Albanus (21. Juni), Paulinus Diakonus (4. Mai), Notburgis, Gangolphus u. a.

In der Vorrede zum fünften Teile dieser Analekten war auch Rede von den metrischen Verskünsten des Mittelalters, denen namentlich die Reimofficien einen dankbaren Tummelplatz boten. Anschliefsend an das dort Gesagte sei es gestattet, hier ein Beispiel anzuführen, das zwar nicht einer Historia entlehnt ist, das aber wie kaum ein anderes darthut, bis zu welchem Raffinement die mittelalterliche Verskunst in den Zeiten der Nachblüte sich verirrte. Zeigt dasselbe auch einerseits das Überwuchern der Form über den Inhalt, so weist es doch auch andererseits, hierin an die spätgotische Plastik lebhaft gemahnend, eine geradezu staunenswerte technische Fertigkeit und Formgewandtheit auf. Es handelt sich um die Sequenz Lebuine confessorum,

die schon Kehrein aus der 1495 zu Deventer gedruckten Sequenzensammlung mitgeteilt hat. Ich werde zunächst den Text nach Kehrein und der Darmstädter Handschrift 521, einer Sammlung von Gebeten, Hymnen und Sequenzen, wiederholen, die 1462 zu Kloster Camp geschrieben worden[1]).

1. Lebuine, confessorum
Praecellens flos, qui polorum
Regna scandis ardua
Linquens orbem, validorum
Cor plenum portasti morum,
Tu pandis miracula.

2. Domini voces audisti:
Transi mare, leges Christi
Resera Saxonibus,
Alme pater, sic fecisti
Jussum, Trajecto tulisti
Verba; dum Gregorius

3. Praesul novit Lebuinum,
Servum direxit divinum
Huc toto conamine.
Populus cis Yslam credens,
Deitati mox accedens,
Servit personae trinae.

4. Numine templum fundatur,
Quod Wilpen convocitatur,
Fecit hoc gens credula;
Sanctus vitiosos mundat,
Baptizatis promissum dat,
Cluit dia gratia.

5. Huc transit confessor gratus
Patria, gaudet vexatus,
Daventren credit pia
Plasmatori terrenorum,
Qui justo sua coelorum
Dat praeclara gaudia.

6. Lebuinus, vir sensatus,
Prudens, mitis et beatus,
Signa fecit plurima,
Diffidentes superavit,
Quorum mentes permutavit
Per verba salubria.

7. Saepe turbae convenerunt,
Generale dum fecerunt
Pariter consilium
Illuc presbyter transivit,
Hunc laesissent, sed abivit
Reliquitque populum.

8. Tandem illaesus meavit,
Namque rex illum salvavit
Cordis noscens condita,
Fiet quaevis caro cinis
Viva, venit cito finis,
De dulci migrat vita.

---

[1]) Fol. 0 b lesen wir die Schicksale der Handschrift betreffend: Notum sit omnibus librum praesentem inspecturis, quod anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo conscriptus fuit pro majori parte a diversis fratribus per quaternos divisis, eo quod exemplar ad sufficiens tempus, ut ab uno scriberetur, retineri non potuit. Ex quibus etiam quaternis sic scriptis postea per exortum inopinatum incendium aliqui combusti fuerunt et sic opus imperfectum remansit. Sed rursus sub anno Domini 1478 talis defectus possetenus recuperatus fuit. Et sic ex corrupto et integro liber collectus per diversos scriptores apparet, ut saltem pro aliquali exemplari ad perfectius et melius transcribendum in posterum haberetur. Appositae sunt praeterea orationes aliae in diversis locis nec non et de patronis altarium hujus monasterii Campensis, quae in exemplari non erant. Emendet igitur, qui potuerit et voluerit, adaptando singula locis suis, incorrecta caritative corrigendo et alias orationes, quae non hic habentur, si notabiles et devotas invenerit, adscribendo.

9. Christi nomini formavit
Oraclum, plebs quo locavit
Valde corpus nobile
Confessoris Lebuini;
Nos conducas recto fini,
Rex plenus dulcedine.

10. Preces funde cunctis horis
Genitrici salvatoris
Quo poenas sumpsit duras,
Crimina quod tollat verus
Plasmator, validus herus
Disponat mentes puras[1]).

Hiezu fügt die Darmstädter Handschrift folgende Note: Fertur de praescripta sequentia, quod cum olim quidam egregius poeta Daventriam casu venisset, et canonici ibidem, ut eis sequentiam de sancto Lebuino, eorum patrono, dictaret, ab eodem poeta petissent, ipse poeta ab eisdem canonicis quaesivit, quali stilo, rigmatico videlicet an metrico eam habere vellent. Et cum alii rigmaticam, alii metricam praeelegissent, respondit, se utrumque servare velle. Quod et fecit, quia sequentiam hanc a capite deorsum rigmaticam et a cauda sursum metricam fecit, ut patet diligenter intuenti. Et nota, lector, quod ultimus versus pentameter est sic legendo eundem:

Puras mentes disponat herus validus.

Ceteri sursum ascendendo sunt hexametri, prout parvae virgulae indicant. Unde versus:

Si legis a capite, tunc ista sequentia rigmus,
A cauda sursum si legeris, est bona metra.
Quorum quinque pedum postremum, cetera sex sunt:
Hinc, qui composuit hanc, jure poeta vocatur.

Die parvae virgulae, von denen die Note redet, mögen in der Vorlage der Camper Mönche gestanden haben, in ihrer Abschrift stehen sie nicht. Was die Verse selbst betrifft, so ist ja zweifellos, daſs die Rhythmen dieser Sequenz keinen Adam von Sankt Viktor, die Hexameter gerade keinen Ovid verraten, wie schon der cäsurlos an der Spitze marschierende Pentameter genugsam insinuiert; allein wenn kein Kunstwerk, ein Kunststück bleibt die Sequenz gewiſs, die a cauda gelesen also lautet:

Puras mentes disponat herus validus,
Plasmator verus, tollat quod crimina, duras
Sumpsit poenas, quo salvatoris genetrici
Horis cunctis funde preces. Dulcedine plenus
Rex fini recto conducat nos. Lebuini
Confessoris nobile corpus valde locavit

[1]) Lesarten: 3, 4 eis Yllam (sic!), Kehrein. — 6, 1 vir censatus, Kehrein. — 6, 4 Diffitentes, Kehrein. — 9, 2 Oraculum Kehrein u. Cod. Campen. — 10, 3 Qui poenas sumpsit, Campen. — 10, 4 Criminaque tollat, Campen.

Quo, plebs oraclum formavit nomine Christi.
Vita migrat dulci de, finis cito venit,
Viva cinis caro quaevis fiet; condita noscens
Cordis, salvavit illum rex, namque meavit
Illaesus, tandem populumque reliquit, abivit.
Sed laesissent hunc, transivit presbyter illuc,
Consilium pariter fecerunt dum generale.
Convenerunt turbae saepe, salubria verba
Per permutavit mentes quorum, superavit
Diffidentes, plurima fecit signa beatus
Et mitis, prudens, sensatus vir, Lebuinus.
Gaudia praeclara dat coelorum sua justo
Qui, terrenorum plasmatori pia credit
Daventren, vexatus gaudet patria, gratus
Confessor transit huc, gratia dia cluit, dat
Promissum baptizatis, mundat vitiosos
Sanctus; credula gens hoc fecit, convocitatur
Wilpen, quod fundatur templum numine trinae
Personae; servit accedens mox deitati
Credens Yslam cis populus conamine toto.
Huc divinum direxit servum Lebuinum,
Novit praesul Gregorius dum. Verba tulisti
Trajecto, jussum fecisti sic, pater alme.
Saxonibus resera Christi leges, mare transi,
Audisti voces Domini; miracula pandis;
Tu morum portasti cor plenum validorum.
Orbem linquens ardua scandis regna polorum,
Qui flos praecellens confessorum, Lebuine.

Rücksichtlich der in diesem Bande mitgeteilten Texte sei noch bemerkt, dafs ich Bruchstücke, vereinzelnte metrische oder rhythmische Antiphonen oder Responsorien, wie sich solche nicht selten in sonst prosaischen Officien finden, grundsätzlich ausgeschlossen habe. War ein Officium gemischt, halb metrisch, halb nicht, enthielt es z. B. nur metrische Antiphonen, aber nur ametrische Responsorien oder umgekehrt, so sind nur die poetischen Teile aufgenommen. War das Officium ganz metrisch, nur mit wenigen Teilen in Reimprosa untermischt, dann sind vollständigkeitshalber diese Teile beibehalten. Dies ist stets da geschehen, wo z. B. ein poetisches Responsorium einen prosaischen Versus bei sich hatte und umgekehrt. Mifsverständnissen vorzubeugen sei auch erwähnt, dafs bisweilen die Versus der Responsorien keinen vollen Sinn zu geben scheinen. Es kommt dies daher, weil nach dem Versus der letzte Teil des Respon-

soriums d. sg. Repetitio wiederholt ward. Wo also der übrigens weniger häufige Fall vorliegt, dafs der Versus ein selbständiges Ganze nicht bildet, ist nur die Repetitio hinzuzufügen.

Schliefslich sei mir gestattet, an dieser Stelle dankend der liebenswürdigen Zuvorkommenheit zu gedenken, mit der die Verwaltung der grofsherzoglichen Hofbibliothek zu Darmstadt mir die Benutzung ihrer reichen Schätze erleichtert hat. Gleicher Dank gebührt den Vorständen der kgl. Bibliothek zu Brüssel, der städtischen Bibliotheken zu Metz, Mainz, Frankfurt, Trier, Charleville, Verdun, des historischen Archivs der Stadt Köln, der Bibliotheken der Seminare zu Köln und Mainz, der hohen Domkapitel von Köln und Trier, sowie des ehrwürdigen Gremiums der Socii Bollandiani zu Brüssel.

Rom, den 6. März 1892.

G. M. Dreves.

1. De sancto Achatio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Nomen Domini invictum
Sit in aevum benedictum,
Quia florent ut lilia
Martyrum dena milia.

2. Laudate Christum gentes,
Quia martyrum mentes
Ipse corroboravit
Et cruci sociavit.

3. Lauda, anima, Dominum,
Spreverunt mentes hominum,
Hi, qui erant compediti,
Sunt soluti, redimiti.

4. Laudate Deum, quia bonus,
Namque dedit istis onus,
Ut portarent post se crucem
Consequentes ipsum ducem.

5. Lauda tuum, Sion, Deum,
Istis dedit qui trophaeum
Ponens pacem fines tuos,
Sibi sociando suos.

R. O crucis Christi gestatores,
Mundanae vitae victores,
Solutos ab aeterna morte
Nos conjungatis coeli portae,
V. Ut Dominum caeli
cernamus mente fideli.

Ad Magnificat.

A. O magnificati
Laude, fraude circumdati,
Flagellati, cruciati,
Agni sanguine ornati,
Signis dignis decorati,
Litis sitis advocati,
Ne damnati ac privati
Simus Christi gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ecclesiae plena
sit laus cum voce serena,
Vexit ad amoena
coeli quia milia dena.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecclesia mater filia
Laetetur, quae dena milia
Luce hodierni diei
Per crucem dedit requiei.

2. Adriani gemitum
Gentiumque fremitum
Superabant et sex reges
Observando Christi leges.

3. Sanctos suos mirificavit,
Dum illa signa iteravit,
Quae sua fecit in passione
Hos confortando in agone.

Responsoria.

1. Adest dies veneranda,
Digna laude celebranda,
Qua mundana exsilia
Transcendunt dena milia.
V. Ista dies laeta
conservetur sine meta.

2. Ad examen fit juvamen
Caesari a sex regibus,
Ut prostrati, subjugati
Sint deorum legibus;
V. Sunt Christo grati,
quia de terris separati.

3. Caesar vanus Adrianus
Cogit servos Christi nervos
Diis flectere gentilium.
Sed trucidati, flagellati,
Cruciati, lanceati
Fatentur Dei filium.
V. Daemoniis plena
sunt idola, voce serena;
Mariae flori,
Cum pneumate laus genitori.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Scuto voluntatis bonae
Dux fuisti in agone,
In aeternum exsultabunt,
Quia tecum habitabunt.

2. Nomen tuum mirabile
Confessi sunt Arabiae,
In crucem eos assumpsisti,
Nam cuncta eis subjecisti.

3. Ingressi sine macula
Sunt tua tabernacula,
Adrianum nam malignum
Vicerunt per crucis signum.

Responsoria.

1. Currunt in arundineto
Ut scintillae voce laeto
Sustinendo passiones,
Judicabunt nationes.
V. In cruce laetantur
et sic populis dominantur.

2. Plantarum rami acuuntur,
In quos sancti dum figuntur,
Feris terrae deputantur,
Morticina donantur
Carnes de tot milibus
Coeli volatilibus.
V. Christus adoratur
de sanctisque esca paratur.

3. Vere martyres beati,
Qui, dum caesi, flagellati,
Memorantur peccatorum
Pro salute horum;
Nos solutos a pestibus
Locetis in coelestibus.
V. Victores vitae,
Mundi, regnare venite;
Patri cum nato,
Laus spiritui quoque grato.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In terris sanctis vis tonantis
Dedit clare superare,
Dux Albinus, Elyethes
Implent ejus voluntates.

2. Haec Christi generatio,
Hermolaus cum Achatio
Inquirunt ejus faciem
Portando crucis aciem.

3. Beati, quorum oratio
Est cunctorum expiatio,
Quia pro nobis corde uno
Orastis die oportuno.

Responsoria.

1. Fructus palmae crucis almae
Rubicundos et jucundos
Eos fecit et refecit,
Dum certarent, superarent
Austri flantis gratia.
V. Hi facti digni
sunt fructus carpere ligni.

2. Hi, de Edom qui venerunt,
Rubri cuncti cur fuerunt
Sicut multifaria
Calcantes torcularia?
V. Isti sunt toti
patiendo sanguine loti.

3. O Achati, Hermolae,
Elyethes, Menolae
Et Albine, duces fortes,
Impetrate nos consortes
Esse sempiternae lucis
Per virtutem vestrae crucis.
V. Ut Dominus caeli
tutor sit cuique fideli,
Regi Domino
sit laus uni quoque trino.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dei digna nece ligna
   De hac multitudine
   Innovavit, qui regnavit
   Praecinctus fortitudine.

2. In conspectum praeelectum
   Hae Domini militia
   Introivit, quia vivit
   Cum Christo post supplicia.

3. Te de luce, se in cruce
   Laetantes quaerunt, Domine,
   Flagris caesi, ense laesi
   Pro tuo sancto nomine.

4. In fornace ut in pace
   Tres collaudabant Dominum,
   Sic in cruce Christo duce
   Vicerunt minas hominum.

5. Deum caeli in fideli
   Lauda, Sion filia,
   Qui per mortem vexit fortem
   Coelo dena milia.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sis invictus,
Deus Israelis,
Visitasti, confortasti
Martyres Rachelis,
Quorum prece victa nece
Nobis dare velis
Ubertatem, sanitatem,
Gaudia in caelis;
Da virtutem, da salutem
Praemii veracis,
Nos compunctos tibi junctos
Duc in viam pacis.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Beati immaculati
Sequuntur te, Domine,
Crucifixi, ramis fixi
Crucifixi nomine.

Ad Tertiam.

A. Legem vani Adriani
Cum deorum numine
Hi spreverunt, qui fuerunt
Crucis in cacumine.

Ad Sextam.

A. Nam defecit, quidquid fecit
Adriani minatio,
Nam in mortis stetit portis
Albinus cum Achatio.

Ad Nonam.

A. Mira digne, rex benigne,
Fecisti testimonia,
Nam in cruce victa truce
Vincitur lex erronica.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virgam palmae crucis almae
   Ex Sion cum victoribus
   Exaltavit, reges stravit
   Sanctorum in splendoribus.

2. Benedictum sit invictum
   Regnum Uranicorum,
   In quo clare habitare
   Dat matrem filiorum.

3. In amara crucis ara
   Seminant cum tristitia,
   Christum ducem, coeli lucem,
   Colligunt cum laetitia.

4. Justi torti, dati morti
   Hi sunt pro tuo nomine,
   Habitabunt, exsultabunt
   Cum vultu tuo, Domine.

5. In pressura mortis dura
   Benedixisti filiis,
   Nunc ad pacem nos veracem
   Horum duc auxiliis.

Ad Magnificat.

A. Magna laude gaude, plaude,
Ecclesia, totis viribus,
Fecundata, decorata
Millenis denis martyribus,
Qui in cruce Deo duce
Vicerunt minas gentilium,

Flagellati, morti dati
Sequuntur Dei filium,
Quique vera salus mera,
Spes et rector humilium;
Quem orate, impetrate,
Ut post carnis exsilium
Nobis pacem det veracem
Aeternum et auxilium.

Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Treviren. 427. A. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusanus 74. B. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusanus 75. C. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 172. D. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. s. n. E. — Brev. Trevirense imp. Lugduni 1515. F.

In 1. Vesp. **A** 2, 1 Laudate Domini Christum A. — In 1. Noct. **A** 1, 1 sq. mater laetetur filia A. — In 2. Noct. **B** 2, 2 dum fehlt A.

2. De sancto Achatio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Dei patris dextera
Mundi fallacis prospera
Turba millenorum
Fide subnixa fugiens,
Regnum coeli fit cupiens,
Consors beatorum.

2. Dena sanctorum milia
Christi jugum subeunt
Fide roborati,
Crucis gerunt insignia,
Spe devota prodeunt
Jam purificati.

3. O quam felix haec generatio,
Quam beata sanctorum legio,
Viam carpens vitae perpetuae,
Mortem vincens vivunt continue.

4. Excelsum nomen Domini
Coetus laudat mirificus
Fortium virorum,
Coelesti junctus ordini
Summis adstat glorificus
Choris angelorum.

R. Fulgent arma Christi clementiae,
Dum sincerum genus militiae
Fide lucens micat in gratia;
Coronantur corona spinea,
Triturantur crucis in area
Mortis angustia.

V. O quam dignae coetus memoriae,
Christi passi ferens eximie
Quaeque ludibria.

Ad Magnificat.

A. O fulgor militiae
Crucis triumphalis,
O decus ecclesiae
Sponsi virginalis,
Virtutis eximiae
Coetus praemialis.
Exaudi nos hodie
Praeservans a malis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Triumphum victoriae
Martyrum laudemus,
In quo regem gloriae
Christum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In lege sacra Domini
Vanis despectis idolis,
Turba militaris,
Fidei juncta lumini,
Fraudibus mundi subdolis
Spretis meditaris.

2. Fremuerunt terreni principes,
Adstiterunt et reges impii,
Dum noverunt Christi participes
Fortes esse triumpho proelii.

3. Invocantes gratiam
   Christus exaudivit,
Quos partem egregiam
   Sibi conquisivit.

4. Intellexit vota fidelium,
Quorum flexit rigores mentium,
Introibunt in domum Domini,
Sempiterno jungendi lumini.

5. Christi nomen mirabile
Fatentur dena milia,
Cujus magnificentia
Fide firmat cor labile,
Cui nil impossibile
Mira coeli dans praemia.

6. Passus dura florens exercitus
Fide mira mundanos strepitus
   Superavit,
Ut argentum probatum splenduit,
Quem nulla faex peccati polluit
   Aut fuscavit.

Responsoria.

1. Gloriosum genus militiae,
Florens donis mirandae gratiae,
Mortem subit durans in acie
   Pro rege gloriae.

V. Christi ludibria tulit eximie,
Crucis insignia gestans non anxie
   Pro rege gloriae.

2. Florem mundi
   sprevit haec concio
Millenorum
   fide firmissima,
Gloriosa
   Christi praeconio,
Caritate
   fervens amplissima.

V. Non hanc flectit
   quaevis promissio,
Non illexit
   fallax ambitio
Nec seducens
   fraus iniquissima,
Caritate
   fervens amplissima.

3. Summi regis sequens vestigia
Passionis praefert insignia,
Flagellatur beata legio,
Condemnatur crucis opprobrio.

V. O quam felix ipsa societas,
Quam poenarum probat varietas.

4. Turba denorum milium
Christi virtute fortium
Centena fugat milia
Montis excelsi vertice
Fidem capit mirifice
   Mira Dei clementia.

V. Curae fuit angelicae
Fidei claros apice
   Christi docere munia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coeli tabernacula
   Martyres merentur,
Qui Jesum per saecula
   Vere confitentur.

2. In coeli pascuis
   Deus collocavit
Sanctos praecipuis,
   Quos mirificavit.

3. Exsultate, praeclari milites,
Namque decet vos collaudatio,
Digna laudis vociferatio,
Summi patris in regno divites.

Responsoria.

1. Quis ut passum
   Christum sic sequitur,
Quos feralis
   turma persequitur,
Nudat, angit,
   flagris insequitur,
Spinis regum
   jussa exsequitur
      Et cruce terminat.

V. Pretiosa sanctorum passio,
Non difformis Christi ludibrio,
Quam mors examinat.

2. Florens hortus matris ecclesiae
Decoratur rosis rubentibus,
Quas a valle Christus miseriae
Rubicundis junxit martyribus,
Felix genus tantae militiae.
V. Gloriosa palma victoriae
Sancti florent nunc in sublimibus
Triumphatis hostis agminibus.

3. Summi ducis exercitus
Summae virtutis inclitus
Angelicis oraculis
Ad pugnam docetur.
Fide sincera praeditus
Regum non pavet crepitus,
Fulget in miraculis
V. Alligatur vinculis
Tandem in propatulis.
Ut vita privetur.

4. Sanctos sub serto spineo
Deridet plebs nequitiae
Fuso cruore roseo
Cruci clavatos anxie.
Regnaturos decet angustia,
Ut coronae docet materia.
V. De torrente bibunt miseriae,
Quos exaltat caput, rex gloriae.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O dulcis fraternitas
Mundi vincens crimina,
O felix alacritas
Coeli petens culmina,
Coetus pretiositas
Deum temnit numina,
Sic virtutum germina
Dat militum sanctitas.

Responsoria.

1. Mortis sceptrum comminuit,
Morte crucis dum floruit
Sanctorum congregatio,
Carnem pro fide terminat
Plebs, quam Christus illuminat,
Fortis, potens in proelio.

V. Non altera passione,
Quam qua floret redemptio,
Sed humana laesione
Crucis fulget exitio.

2. Flos campi, convallium
Singulare lilium,
Christus rex, dux militum,
Turbae decem milium
In virtute fortium
Fructus reddit meritum.

V. Per certamen inclitum
Dat pro lucto gaudium
In sede laetantium.

3. Fulget coeli medio
Concio millena
Illustri martyrio
Degustans amoena.
Quam Dei fruitio
Pascit nunc serena.
Quorum felix passio
Laudis fuit plena.

V. Nos horum suffragio
Christi regat unctio,
Ne frangant terrena.

4. Almae crucis
stratis patibulo
Christus adest,
summus rex gloriae,
Qui de carnis
hujus ergastulo
Sanctos locat
in coeli requie.
Quorum preces
exaudit sedulo
Pro devotis
fusas quotidie,

V. Ut laxemur a culpae vinculo,
Delectemur sanctorum titulo
Meritorum obtentu gratiae.

Ad Laudes.

Super Psalmos.

A. Gaude, mater ecclesia,
Nunc tibi dena milia
Sacra sociantur,

Fortes in fide lucida,
Stola decori roscida
Coetus cumulantur.

Ad Benedictus.

A. Tu, Christe, nostrum gaudium,
Nostris adesto precibus,
Qui cum sanctorum milibus
Veniens ad judicium,
Apparebis in nubibus,
Horum festa colentibus
Regni coeli da praemium.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. In coelis jubilant
Martyres beati,
Dum mire rutilant
Luce trabeati.

Ad Tertiam.

A. Vigilarunt fortes in acie,
Dum pugnarunt in carne fragili,
Sic virtute divinae gratiae
Triumpharunt fide mirabili.

Ad Sextam.

A. Benedixerunt Dominum
Laude felici carminum,
Regem majestatis,
Dum fit vere laudabilis
Et in sanctis mirabilis
Corona beatis.

Ad Nonam.

A. In excelsis rex potens gloriae
Collaudatur a denis milibus,
Qui supernis adjuti civibus
Christo sonant voces laetitiae.

In 2. Vespers.

Ad Magnificat.

A. O collator sedis empyreae,
Triumphator mortis et zabuli,
Perpetuae largitor laureae,
Jesu Christe, salvator saeculi,
Coetus almi vestis purpureae
Celebramus festa nunc seduli,
Cujus prece fructus dent flosculi
Virtuosos fidelis vineae.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733). — In 1. Noct. **A.** 2, 8 Factos esse Hs. — In 2. Noct. zu je einer Antiphon zwei Psalmen. — In 3. Noct. Ad Cant. **A**, 6 dumm temnit Hs. — Hymnen: Ad Vesp.: Sacrae turbae celebremus; ad Noct.: Aeterno regi gloriae; ad Laud.: Felix chorus jam sonorus.

3. De sancto Adalardo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloria sanctorum
rex unica Christe tuorum,
Nos in laude tui
fac convotos Adalardi,
Ut per eum, cujus
solemnia concelebramus,
Te laudando Deum
mereamur in aethere regnum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regis saeculorum,
Christi venerando triumphum,
Sancte, tibi laudes,
Adalarde, sacramus ovantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coelitus acta dies
illustret festa colentes,
Festa, quibus sanctus
coelos petiit Adalardus.

2. Floruit hic clara
Karoli regnantis in aula,
Regali cujus
effulsit sanguine clarus.

3. Pro vitae meritis
non infimus imperialis
Aulae magnates
vincebat honore cluentes.

4. Ludentem mundum
varia sub imagine rerum,

Ut sensit primum,
despectans lusit et ipsum.

5. Despectis igitur
pompis mox jura professus
Sancta monasterii
sumpsit juga levia Christi.

6. Sic exercitia
virtutum nactus ad unguem,
Ordinis extremus
erat omni schemate primus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Patre monasterii
laxato compede saecli
Cunctorum votis
successor surgit herilis.

2. Praecipuos actus
sibi commendaverat ejus,
Ipse loco cujus
fuerat succenturiatus.

3. Major justitia
regis vernabat in aula,
Quam primum pompis
splendescens illecebrosis.

4. Qualis erat nempe
discordes conciliare,
Pax Beneventanis
probat indita cum Spoletanis,
Quos discors propria
furor impellebat in arma.

5. Sic pacem summis
recreans et foedera regnis
Aurea per totum
revehebat tempora mundum.

6. Gaudebat mundus
tanto sub lumine clarus,
Gaudebat sanctus
sic aethra capessere certus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Vitae meta dies
extrudit, nam reliqua spes,
Terminet ut certum
digno certamine cursum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus Adalardus
ut ab exsilio revocatus
Redditus est patriae,
lux terris visa redisse.

2. Omnis in occursum
coetus ruit, omnibus unum,
Ob sancti reditum
Christo dare cantica laudis.

3. Hinc relocat propriae
regalis jussio curae,
Cui fore subtractum
pergrave justitium.

4. Invidit patriae
tot gaudia fortis inique,
Vis inimica virum
duxit ad exitium.

5. Fratribus ista prius
praedixerat inresolutus,
Coelitibus superis
fit socius meritis.

Brev. ms. Corbejense saec. 12. Cod. Ambianen. 115. A. — Brev. ms. Corbejense saec. 14. Cod. Ambianen. 118 B. — Brev. ms. Corbejense saec. 14. Cod. Ambianen. 116. C. — Nur die Antiphonen, mit Ausnahme der A ad Bened. poetisch. — In 2. Vesp. ad Magn. Coelitus acta dies etc. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 4 convotos ABC. — In Laud. A 3, 4 justitium ABC.

4. De sancta Adalberga.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Dulce festum [sacro]sanctae
Adalbergae virginis
Celebremus applaudentes
Probae vitae meritis,
Quibus Jesu Christi sponsa
Facta est uranica.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Quem sequuntur agmina
Sacrae virgines assidue,
Dono cujus virgo laeta
Haec adiit Adalberga,
Collaudemus Dominum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nomen tuum, Deus noster,
   semper est mirabile,
   Qui fecisti coelo dignam
   Adalbergam virginem.
2. Orta virgo veneranda
   regiis natalibus
   Posuit in summo suum
   sole tabernaculum.
3. Innocentes manus habens
   corque mundum retinens,
   Postposita mole carnis
   scandit montem Domini.
4. Visu gerens pulchram formam,
   pulchriorem animam,
   Ejus labiis superna
   diffusa est gratia.
5. In adversis prosperisque
   sancta semper eadem,
   Erat ei Deus scutum,
   virtus et refugium.
6. Sion sanctam haec circumdans
   amplectensque undique
   Laetabitur et narrabit
   judicia Domini.

Responsoria.

1. Hodiernae lucis festum
   Deus celeberrimum,
   Fac nos pura celebrare
   mente devotissime,

V. In qua sancta sublimari
   Adalberga meruit.

2. Stirpe carnis virgo felix
   magnum decus attinens,
   Enutrita est majorum
   more liberaliter,

V. Sanctitatis jam perfectum
   obtinens initium.

3. Ceu fructum bonum
   bona dives Scotia mundo
   Dedit Adalbergam
   patre rege genitam;

V. Veneremur genere
   Deo dignam virginem.

4. Nobilis atque sacer
   flos almae virginitatis,
   Mater Adalberga,
   famulis rogamus adesto,
   Quatenus his festis
   proprio Domino placeamus,

V. Vocibus expensis
   cui solvimus organa vocis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quoniam timebat Deum
   suum plasma nobile,
   Salutare Dei mansit
   [illius] in corpore.
2. Gloriosa Christi sponsa,
   bona mittens semina,
   Est dilecta Deo super
   Jacob tabernacula.
3. Sanctimonialis virgo
   novum cantans canticum
   Domino benedicebat
   ejusque sancto nomini.
4. Amans ignis quem praecedit,
   benedicta femina
   Adorabat ipsum solum
   respuens sculptilia.
5. Recordatus rex coelestis
   suae misericordiae
   Adalbergae misertus est
   ut domui Israel.
6. Aula regis consecrata
   virgo prudentissima
   Jugiter custodiebat
   ejus testimonia.

Responsoria.

1. Cum intraret rex opimam
cum filia Galliam,
Venit locum sanctae Farae,
est quod monasterium,
V. Natam pater quo dicavit
servitio Domini.

2. Informata disciplinis
ordinis monasticis
Christi virgo corruscabat
uti lampas fulgida,
V. Erat enim servitute
Dei continentia.

3. Ad orationem prior
et ad mensam tardior
Veniebat Adalberga
jam Deo carissima,
V. In exemplo cunctis erat
benedicta femina.

4. Pia mater [sancta] Fara
cum sentiret obitum,
Dedit ei ad regendum
concionem virginum,
V. Dicens ipsam dignam [fore]
tantae rei apice.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Mitis hera curam habens
animarum maximam,
Scripturarum sacris verbis
alebat ac epulis,
V. Sicque cunctis multimoda
augebatur bonitas.

2. Dic, Deus, in solemni
Adalbergae virginis
Laudum favos aggregantem
respice familiam,
V. Qui gubernas omnem mundum
aequo moderamine.

3. Prudens virgo Adalberga,
virtutibus inclita,
Ad nuptias summi sponsi
cum ardenti lampade,
Quo pro nobis intercedat,
evolavit hodie,
V. Gratulatur jam choreis
addita virgineis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Veneranda valde nobis
Adalberga virgo est,
Est quibus a Deo data
corporis praesentia.

2. Christus namque per hanc suam
spiritalem famulam
Multis fuit animarum
salus atque corporum.

3. Beata sponsa Domini
vero militans regi
Se non implicavit hujus
saeculi negotiis.

4. Exsultantes collaudemus
Jesum magnis vocibus,
Sancta per quem Adalberga
regnat in coelestibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christi virgo sanctae Farae
edocta institutis
Mater exstitit praesenti
loco benignissima.

Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). — Diejenigen Stücke, welche zur Vollständigkeit des Officiums fehlen, wie die **AA** ad Magn. ad Cant. ad Ben. etc., sind nicht in poetischer Form abgefafst — In 1. Noct. **A** 4, 2 pulchrioris Hs. — **R** 1, 3 sq. pura mente celebrare Hs. — **R** 2, 3 uti est majorum Hs. — In 2. Noct. **A** 5, 2 recordatus est Hs. — **R** 2, 4 ut lampas Hs. — **R** 2, 6 Domini continentia Hs. — In 3. Noct. **R** 2, 2 sanctae Adalbergae Hs. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** 2, 2 virginis edocta Hs. — Hymnus in 1. Vesp.: Virginis prolis, in Laud.: Nam hic quiescit.

5. De sancto Agricio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Hic patriarcha prius
exsistens Antiochenus,
In Treviri praesul
successit post duodenus.

2. Jussu Silvestri
gentes adiens Treverorum
Illis fit pastor,
primas quoque Teutonicorum.

3. Hic moderatricis
Helenae carus et aptus,
Ejus legatus
exstat per munera factus.

4. Et merito carus
Agricius esse feratur,
Qui pius et prudens,
humilis castusque probatur.

5. Est Treveris clavus
Domini sanctusque Matthias,
Lata per Agricium
munera tanta scias.

R. Age festum, Teutonia,
De hospite suscepto,
Quem mittit Antiochia
Fructu per hunc adepto;
Tuos colit Agricius
Agros fertilitatis,
Remunerandus largius
Anno benignitatis;
V. Fructibus emeritae
coeli replet horrea vitae.

Ad Magnificat.

A. O pater Agriti,
cujus festum veneramur,
Nobis felici
concludas fine precamur,
Et ne sit dubius
finis, des immaculatam
Vitam propitius,
quae det sine fine beatam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regis adoremus
magnalia cuncta regentis,
Qui dedit Agricium
de partibus huc Orientis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Est Treveris clavus
Domini sanctusque Matthias,
Lata per Agricium
munera tanta scias.

2. Treveris ad vomitum
rediens simulacra colebat,
Cui datur Agricius,
quem sacrum pneuma re-
plebat.

3. Non causatur iter
longum multosque labores,
Christum morte sciens
nostros lenisse dolores.

Responsoria.

1. Jucundare, plebs devota,
Celebris insurge tota,
Dies adest digne nota
Praesulis Agricii,
V. Sion, applaude,
sancto tu consona gaude.

2. Haec est dies, qua beatus
Agricius est nudatus
Veste carnis et translatus
Ad coeli palatium,
V. Quem veri solis
suscipit alta πόλις.

3. Oriens hunc educavit,
Oriens hunc exaltavit,
Ipsum nobis delegavit
Urbe Antiochia;
V. Partibus occiduis
dat solem pars Orientis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adveniens igitur
   dat verbi semina genti,
   Spondens credenti
   coelos barathrumque neganti.
2. Credula gens rite
   dictis actisque beati
   Ejus mandata
   spondent complere parati.
3. Se fore cultores,
   clamant, et credere Christum,
   Qui talem transmisit eis
   tantumque ministrum.

Responsoria.

1. Deserens patriarchatum,
   Sedem antiquam Graecorum,
   A Silvestro praesulatum
   Sumit urbis Treverorum,
   Primatum Cisalpinorum.

V. Pro merito morum
   sumit regimen populorum.

2. Statim luce veritatis
   Pulsis umbris caecitatis
   Urbs novatur puritatis
   Fonte per Agricium,

V. Cujus mandata
   spondet complere parata.

3. Celebs mentis otio
   Pater visitatur
   A superno nuntio,
   Qui sanctum affatur:
   Te confecto senio
   Praesul statuatur

V. Vir Maximinus,
   quasi magnus amore caminus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Spernunt cultores,
   qui daemonibus famulantur,
   Idola quaeve nihil
   deitatis habere probantur.
2. Inde per Agricium
   gens credula fonte novatur
   Urbsque sacrata Deo
   quondam cultu reparatur.
3. Agros Agricius
   Domini colit officiisque,
   Nomen habet fide,
   quia semina spargit ubique.

Responsoria.

1. Plebem urbis convocat.
   Praefert Maximinum,
   Sede dignum collocat
   Jus sequens divinum,

V. Moribus ornatum
   sacrat meritisque beatum.

2. Clavus sacrae passionis.
   In Christo sanctificatus,
   Per virum opinionis
   Sacrae nobis est allatus
   Ab Helena sancta datus;

V. Auget reliquias
   electus sorte Matthias.

3. Vir totius bonitatis
   In virtute caritatis
   Jus solvens humanitatis
   Coronatur coelitus,

V. Invehitur caelis
   servus bonus atque fidelis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus Agricium
   celebres in laude canora,
   Cui per cunctorum
   laus musica concrepet ora.
2. Sacris fundatus
   scripturis et moderatus,
   Coelo discretus
   fuit hic fructuque repletus.
3. Ingeminatus amor
   hunc spesque fidesque beavit,
   Donis naturae
   cum gratuitis radiavit.

4. Plasma Deo dicat
hymnum, per quem benedicat
Insimul Agricium,
nomine reque pium.

5. Illum laudemus,
quo cuncta creata tenemus,
Cui laus in sanctis
laus est hos sanctificantis.

Ad Benedictus.

A. O Agriti, sedulos,
filios exaudi,
Depromentes modulos
Digne tuae laudi,
Fac beate vivere
Vita pura, bona
Et potiri propere
Gloriae corona.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Almi Agricii
precibus da gaudia caeli,
Christe, tuis et corde tibi
servire fideli.
Protege nos, pastor,
populum, quem tu genuisti
Et per quem Domino
dignus praesul placuisti,
Nosque tuos servos
meritis precibusque tuere
Nostrorumque pius
peccatorum miserere.

Antiph. ms. S Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5.
A. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 9.
B. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 23.
C. — In 3. Noct. R 1, 3 collocans A.

6. De sancto Aichadro.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Inclitus Aichadrus,
meritis et nomine clarus,
Dum viget in coelis,
precibus nos adjuvet almis,
Ut post hanc vitam
mereamur habere quietem.

Ad Matutinum.

Invitatorium

Surge, Sion, veneranda tuo
da cantica sponso,
Aichadrum placido
et resona jubilo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exstitit Aichadrus,
magno de germine natus,
Cui pater Anscharius
fuit Hermena dignaque mater.

2. Qui facit infantum
linguas sermone disertas,
Aichadrum studiis
doctrinae ditat honestis.

3. Transactis lustris
bis binis actibus aequis
Pervigil excubias
in templo semper amabat.

4. Hoc quadam complente die
vox intonat: ecce,
Virtutem virtute petent
sancti specialem.

5. Continuo nullum
cernens hanc perficit idem,
Cernetur Deus inque Sion
dominusque deorum.

6. Angelicis jungens
dictis sua dicta, sodali
Alloquio Christi
Fidei devotior haesit.

Responsoria.

1. Gaudia praesentis
ducentes maxima festi,
Cunctorum dominum
veneremur, qui pie coelum
Ditavit hodie
Aichadri flamine patris.
V. Omnia, quae voluit,
Dominus virtute creavit.

2. Ut sacer Aichadrus
monachorum Gemeticorum
Suscepit regimen,
dum curat habere laborem
Pascendi, dat ei
Christus vexilla salutis.
V. Temptamenta tulit
zabuli, sed Jesus ab astris.

3. Florebat vigil in
precibus, jejunia sectans,
Tranquillus, patiens,
castus, bonitate modestus,
Lampade virtutum
fultus, pietate serenus.
V. Omnibus omnia factus erat
pes ut omnibus esset.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haeredi sacro
genitores dant Aichadro,
Quo locat ecclesiam
secum plebemque fidelem.

2. Pro sancti meritis
Aichadri fama beati
Expetit abbatis
placidas aures Philiberti.

3. Qui cito discipulos
mittens praecepit eundem
Jure salutari
plene sibi menteque jungi.

4. Praeveniens hos e coelis
sacer angelus altis
Infixum precibus
Aichadrum jure profatur:
Ave, praeceptis
domini parens Benedicti,
Pro quibus ecce manet
semper tibi laus super astra;

5. Ut conforteris
melius Christo famulari,
In Christo fratres
duo cras tibi gaudia dantes
Partibus ex sancti
patris venient Philiberti.

Responsoria.

1. Aichadrus, Domini
confessor, talibus actis
Ad pretiosa trahens
cunctos convivia vitae
Effulsit signis
multis cum nomine Christi
V. In factis magnis,
fidei vestitus amictu.

2. Agmine fraterno
sudante labore beato
Ingemit hostis atrox
quaerensque nocere fideles
Arbore cum sterili
perit in crucis obice pulsus,
V. Abba nam fratres
firmat niger angelus atque.

3. Vir felix minui
dum se jubet iste capillis,
Post horam nonam
paschalia signa parantem,
Quod tulit incautus,
lacrimis reparavit obortis,
V. Vidit enim hostem
in hoc gaudere sed idem.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hujus namque loci
legeris divinitus auctor
Ac ideo debes
istis fore laetus ut hospes.

Responsoria.

1. Hic miles fortis,
geminis cum fratribus optans
Exorare genu
flexo, dum cogitat, uni
Illorum tradit,
radio solis digitales
V. Intentis oculis
coelum tantumodo spectans.

2. Nec dictu facile est
nec luce capabile carnis,
Quod post hoc globus igneus
obtegit illius artus,
Et, ne discipuli
spargant haec, valde minatur.
V. Erectus terra,
soli quod credidit, aufert.

3. Cum foret excubiis
commissi pastor ovilis
Pervigil Aichadrus,
ipsi nitet angelus index,
Altera quod pars, quam regit,
illico flamma laxet;
V. Ad tantam vocem
lacrimis perfunditur heros.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum dicti fratres
veniunt, sibi jussa revolvunt,
Corda ligant patrum
pariter sua sicque revisunt.

2. Coelitus adventum
praenoscens tunc pater horum
Huncque suis monstrans
recipit, hinc, quod cupit, audit.

3. Angelico ductu
petit Ansoaldum Philibertus,
Pictavis qui clarus erat
hoc tempore praesul.

4. Visitat Aichadrum
tanto jam junctus amico,
Munitum verbis
superis et laudibus almis.

5. Collaudant Dominum
hi tres duo necne priores,
Gemeticae justum
turmae ducunt Aichadrum.

Ad Benedictus.

A. Dilectum Christi famulum
proceres Aichadrum
Praeficiunt plebi
sanctae, cujus prece caeli
Lumine ut ornemur,
humili cum corde precamur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O rex perpetuae
lucis pax atque perennis,
Obtineat nobis
Aichadrus dona salutis,
Quem hodie summae
transfers ad culmina vitae.

Brev. ms. Gemeticense saec. 12. Cod. Rotomagen. 211. A. — Brev. ms. Gemeticense saec. 12. ex. Cod. Rotomagen. 210. B. — Antiph. ms. Gemeticense saec. 12. ex. Cod. Rotomagen. 248. C. — Brev. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebaten. 229. D.

In 1. Noct. R 2, 8 schliefst der Sinn nur ab nach der Repetitio: Pascendi etc.; dasselbe ist der Fall mit dem zweiten und dritten Responsorium der folgenden Nocturn. — R 4: Agmina sancta . . nur dies, ABC; D de communi. — In 2. Noct. R 4: Sancte Aichadre . . nur dies, ABC; D de communi. — In 3. Noct. R 4: Miles Christi . . nur dies, ABC; D de communi.

7. De sancto Albano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Inclita martyrii
recolentes jure trophea,
Laudes, Christe, tibi
pangimus assidui,
Qui pietate tuis
festum solemne dedisti

Albani meritis,
martyris egregii,
Qui proprii pro te
perfusus sanguinis unda
Splendet in angelica
perspicuus patria.

Ad Magnificat.

A. Ave, martyr gloriose,
Ave, sidus jam coeleste,
Decorans, Albane, coelum,
Nos guberna vincens humum,
Quo laetemur triumphantes
Te patronum venerantes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nomen, Christe, tuum
cuncti veneremur in unum,
Qui das pro meritis
coelica regna tuis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Primus in Anglorum
cito lampas gente refulsit
Albanus martyr,
fidei virtute corruscans.

2. Hic regum fremitus
et inania gentis iniquae
Agmina contemnens
se Christo corde subegit.

3. In terris positus
mundanis rebus opimus
Moribus angelicam
curabat ducere vitam.

Responsoria.

1. Sacrosanctum venerandi
festum sancti martyris
Christo dignas inspectori
laudes demus pectoris,
Albanum qui sibi dignum
sacravit hospitium.

V. Illustret nostras
coelesti lumine mentes,
Criminibus vacuas
sacris virtutibus implens.

2. In terris adhuc
mundanum lucrum
Spernere coeperat
Albanus martyr,
Pietatem sectans
sumptus pauperibus
Dabat, credens,
in coelis sibi compensandum
Vitae munera perpetim,

V. Contemnens multis
onerari gratis.

3. Lumen sensificum,
Christe, piorum
Clemens accumula
vota precantum
Et, quibus tribuis,
solvere festum
Albani meritis,
martyris almi,
Addas supplicibus
gaudia pacis.

V. Ipsum glorifica
morte beasti,
Ipsius precibus
des quoque nobis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Alloquio dulcis,
vultu reverendus honesto,
Inter sacrilegos
constans sine crimine vixit.

2. Miles, Christe, tuo
fidei munimine rectus
Perstitit impavidus
voluit nec cedere laesus.

3. Albanus Domini
laudans mirabile nomen
Angelicis meruit
dignanter coetibus addi.

Responsoria.

1. Alme martyr, gemma coeli,
Forma saecli, solve supplex

Vincla plebis
Christi subditae
Confer pacem, tolle pestem,
Vitam da piam.
V. Audi, Christe, judex juste,
Voces supplicum,
Qui das sanctis aequum semper
Cunctis praemium.

2. Addictus morti
venerabilis hostia Christi
Pectore stigma crucis
bajulans laborumque salutis,
Transivit siccis
fluvialia carbasa planctis
V. Exemplo Moysi
psallens magnalia Dei.

3. Benedicimus omnipotentem
Sua praemia non minuentem
Aberit licet unctio frontis
Bona sufficit actio justis.
V. Tua sic pie, Christe, latroni
Miseratio contulit olim.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste quidem sanctus,
morum probitate benignus,
Sumptibus ex propriis
victum praestabat egenis,
Implens dilecti
jugiter praecepta magistri.

2. Alme Dei martyr,
clamorem suscipe nostrum,
Exora Dominum
pro peccatis populorum.

3. Martyr dignus ait
perflatus flamine Christi:
O pie me Jesu
placato suscipe vultu,
Participem facias
vitae coelestis et aulae.

Responsoria.

1. Judex indomita perditus ira
Dixit voce nefanda:
Albanus gladium sentiat improbus;
Orat quoque martyr:
V. Jesu Christe, meus optime conditor,
Nunc et semper adesto.

2. O perpetua festivitas,
O gratissima jucunditas,
In qua angelorum choris
Aeterna afflavit hilaritas.
Cum beatum Albanum
Sanctorum adscivit consortio
Adoranda trinitas unus Deus.
V. Omnis illa coelestis Jerusalem
Cum magno affectu
Jucundata est.

3. Gloriose
ac semper venerande
martyr Dei, Albane,
Intercede
pro omnibus nobis
ad Dominum Deum nostrum,
Ut per ipsius misericordiam
ad coelorum regna
mereamur pervenire.
V. Sancte Albane,
succurre plebi tuae
atque omni ecclesiae
sanctae Dei.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Suscipiens martyr
fidei pia dogmata vere
Pro Christi voluit
nomine multa pati.

2. Vincitur diris
constans athleta catenis,
Tortus suppliciis
improbe multimodis.

3. Ad mortem properans
habiturus denuo vitam,
Pertransivit aquas
vi crucis immodicas.

4. Percussor sancti,
divino tactus amore,
Caedere dum timuit,
sanctior occubuit.

5. Cum Domino laudes
curaret solvere miles,
Fontem promovit
arida planities.

Ad Benedictus.

A. Summa Dei virtus
sancti patuit super artus,
Caesum perlustrans,
caesorem lumine frustrans;
Unde tibi perpes,
sanctorum dextera vindex,
Laus et honor maneat
per cuncta saecula saecli.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Grata tibi, pie rex,
semper jubilatio nostra,
Munera persolvens
et corde resultet et ore,
Ut, qui concedis,
laetari testis agone,
Des veniam nobis
clemens ipsius amore.

Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. — In 1. Noct. **A** 3, 2 optimus. — **R** 1, 9 vacuus. — In 3. Noct. **R** 3, 5 facies. — In Laud. **A** 3, 2 habitus.

8. De sancto Altone.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Dux Deus ex alto,
te dilexit sacer Alto,
In toto corde,
quem salvasti sine sorde;
Sordibus infectos
fac nos hujus prece rectos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alto salutari
jubilo facias meditari,
Nos Christo dare,
studiosius evigilare.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lege Dei gratus
fuit Alto mente probatus,
Fructiferum lignum
Deus ornavit sibi dignum.

2. Jam tibi, rex Christe,
servivit in omnibus iste,
Noxia solvisti,
quem coelo constituisti.

3. Voce Dei tractus
perfectos induit actus,
Nunc exaudivit,
in monte Dei modo vivit.

4. Lumen signatum
super hunc est multiplicatum,
Noluit irasci
sed justitiae dape pasci.

5. Jam benedixisti,
cujus mentem tetigisti,
Estque coronatus
coelesti lumine gratus.

6. Gloria cum flore
fuit alto jam sub honore,
Constat fundatus
in coelo magnificatus.

Responsoria.

1. Virtutum clarus ab alto
Regis natus fuit Alto,
Ut fertur a patriotis,
Est certum Scoticis totis.
V. Jam puer transcendens viles
Sibi metas puériles.

2. Hic facta puerilia
Mutans per bona milia
Sic factus decus aetatis
Est cum flore pietatis.
V. Ecclesiam frequentabat,
Deum precibus placabat.

3. Prudens erat in patria
Egenis dans cibaria,
Arcebat a se sordida,
Quae captant corda arida.
V. Magnificus et praeclarus
Et nunquam fuit amarus.

4. Primordiis vitae clarus
Fuit iste Deo carus,
Dulcis erat lux patriae
Nunc fulgens donis sophiae.
V. Precibus nobis det vitam
Semper omnibus cupitam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Glorificat mentem
sancte Dominum sitientem,
Corde suo vera
loquitur damnando severa.

2. Iste coronari
cupit, in virtute beari,
Quem Deus ardenter
vocat, exsultat vehementer.

3. Arte Dei tractus
fit in omnibus omnia factus,
Corde suo mundo
Dominum placat sitibundo.

4. Laude bona fultus
prece summa gaudet adultus,
Lenis, mansuetus,
est pauper ad omnia laetus.

5. Electus, gratus,
assumptus ad aethra beatus,
In virtute bona
captat coelestia dona.

6. Cedrus plantata
sed in altum multiplicata,
Nunc det florere
prece nos Christoque placere.

Responsoria.

1. Sanctus Alto, Scotus genere,
Promeruit Christo placere,
Nos ejus fulti precibus
Fugiamus a sordibus;
V. Boni sexus et aetates
Concurrunt, dant modo grates.

2. Pater iste Christo carus,
Dilectus et hominibus,
Dulcem reliquit patriam
Apprehendens theoriam,
V. Adiit per visionem
Germaniae regionem.

3. Quandam silvam est ingressus,
A rege datur accessus,
Utiliter exstirpavit
Et Christo sic militavit.
V. Manuum pastus labore
In Dei vixit amore.

4. Habita ut hic somnia
Pro Christo sprevit omnia
Et statuit sequi ipsum,
Istum fugiebat mundum;
V. Ergo multis adunatis
Domino servivit gratis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Sapientia potatus,
Justitia est cibatus
Et post aurum non abiit,
Coelestia dona quaesivit.

Responsoria.

1. Post ecclesiam construxit
Et sanctos viros adduxit,
Cum quibus servivit Christo,
Dum mundo vixit in isto,
V. Sanctum celebrantes cursum,
Ut possent vivere sursum.

2. Praesul magnus Maguntinus,
Inclitus Bonifatius,
Per visionem fuit admonitus,
Ecclesiam consecravit laetus.
V. Multitudo plausum fecit,
Cum sanctus cuncta peregit.

3. Post haec mirificus Alto
Devotus fulsit ab alto,
Sic omnibus manens gratus
Per Christum magnificatus.
V. Claruit [insignibus]
Signis et virtutibus.

4. Plasmator Deus cunctorum
Donavit Altoni sensum
Veritatis, quo armatus
Viceret hostem severum;
Pro nobis
Oret per longa dierum.
V. *Suavis est Dominus,*
Beatus vir, qui sperat in eo.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Magnus Dominus in alto,
Cui servivit hic Alto
Compescens marinos fluctus,
Tenendo animae fructus.

2. Serviens in laetitia,
Cui aderat munditia,
Ardens et lucens lucerna
Gaudet gloria superna.

3. Matutinis meditatus
In Christo fuit sacratus,
Jam laetatur in anima
Per saeculorum saecula.

4. Benedicatur Dominus
In tribus pueris trinus,
Qui hunc secum collocavit
Atque justis sociavit.

5. Gaudet Israel in Sion
Super aurum et topazion.
Hymnizant coeli coelorum
Et Alto civis eorum.

Ad Benedictus.

A. Salute visitari nos ab alto,
Suis precibus juvet pius Alto,
Quia pressi variis criminibus,
Absolvi mereamur ab omnibus
Et perfrui coelestibus.

Ad Primam.

A. Alto, Dei sancte,
nostri dilecte patrone.
Respice devotos
nos tibimet famulos,
Utque magis prompti
tibi possimus famulari.
Ora pro nobis,
confer opem miseris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Athleta Dei inclitus, Alto,
Virtutibus cornatus ab alto,
Unus erat ex Israel fortibus,
Lectum Salomonis ambientibus,
Ense fortiter accinctus Dei verbi,
Faciat nos calcare actus superbi.

Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 116. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 1 Lies Lux Deus? — In 1. Noct. **A** 3, 4 Lies Hunc exaudivit? — **R** 2, 4 Est fehlt Hs. — In 2. Noct. **A** 4, 1 bona vultus Hs. — In 3. Noct. **R** 1, 1 Postea ecclesiam Hs. — **R** 4, 2 Deus donavit Hs. — **R** 4, 2 Venerunt statt veritatis Hs. — **R** 4, 4 Vicens hostem Hs. — In Laud. **A**. 2, 4 in gloria Hs. — **A** 4, 4 Et justis Hs.

9. De sancto Ammone.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudeat ecclesia
Chorique Leucorum,
Dum resplendet gloria
Pastorum suorum.

2. Mansuetum nobilem,
Qui Leucam curavit,
Post decessum flebilem
Ammon tumulavit.

3. Hic praefato praesuli
Quasi pro mercede

Ex consensu populi
Successit in sede.

4. Digne praeeligitur
Ammon in pastorem,
Qui moribus sequitur
Sanctum praecessorem.

5. Vitam eremiticam
In silvis agebat
Fidemque catholicam
Pie confovebat.

R. Felix haec ecclesia
Crevit in honore,
Dum Ammonis gratia
Virtutum dulcore
Refulsit cum gloria
Vitaeque decore,
V. Nova nobis gaudia
Reducit memoria
De tali pastore.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma sacerdotum
Tullensis ecclesiae,
Ammon gerens corde votum
Ex influxu gratiae,
Quidquid eras, Deo totum
Offerens quotidie,
Cibum coeli, vitae potum
Conferens familiae,
Per te coetum hunc promotum
Duc ad regna gloriae.

Ad Nunc dimittis.

A. Dum sanctus Ammon praefuit
Leucanis, luce claruit
Mirandae sanctitatis,
Cujus virtutum praemia
Mira probant subsidia
Diffusae pietatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum praeconia
Laudis digne reddantur,
Dum Ammonis solemnia
Devote celebrantur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ammon legem Domini
Studuit attente
Sacro vacans ordini
Domino favente.

2. Super Sion verticem
Rector constitutus
Nullum legis apicem
Solvit vir beatus.

3. Invasum hostiliter
Dominus suscepit,
Cujus vocem dulciter
Audiens excepit.

Responsoria.

1. Laus, honor, virtus, gloria
Sit regi saeculorum,
Dum virtutum insignia
Pontificum suorum
Haec recolit ecclesia
Concentu gaudiorum;
V. Ex his Ammon cum gloria
Transiit ad coelestia
Virtute meritorum.

2. Fidei sparso semine
Per verbum Mansueti
Leucani sacro flamine
Suscepto fiunt laeti
Novoque plaudunt carmine
Tali dono repleti.
V. Huic Ammon sine crimine
Successit in regimine
Certaminis expleti.

3. Postquam urbem Tullensium
Domino conquisivit
Atque turbam fidelium
Dulciter enutrivit,
Praesul ad coeli bravium
Mansuetus transivit.
V. Hunc pium patrem omnium
Ammon agens officium
Condigne sepelivit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc sanctum mirifice
   Dominus honorat,
   Quem virtutis coelicae
   Splendore decorat.

2. Clamor intelligitur
   Hujus praesidentis,
   Dum Deo porrigitur
   Voto piae mentis.

3. Hic honoris gloria
   Digne coronatur,
   Per quem laudis hostia
   Nova immolatur.

Responsoria.

1. Dum Ammon praeeligitur
   Ad regimen pastoris,
   Non in vanum erigitur
   Blanditia favoris
   Sed humilior redditur
   Sacri dono timoris.

V. Ille felix adstruitur
   Rector, qui non extollitur
   Propter culmen honoris.

2. Ammonem Dei famulum,
   Qui spreto mundi vitio
   Ad eremum perrexit,
   Dignum est Leucae populum
   Laudare cum tripudio,
   Quem Dominus dilexit.

V. Ad matris Dei titulum
   In silvis grandi studio
   Basilicam erexit.

3. Pastor labem haereticam
   Cernens ortam in gregibus
   Curae suae commissis,
   Per fraudem diabolicam
   Erroris novitatibus
   Simplicibus immissis,

V. Per veritatem coelicam
   Reduxit lumen mentibus
   Erroribus dimissis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justi ferens titulum
   Ammon obdormivit,
   Coeli tabernaculum
   Mundus introivit.

2. Cordis desiderium
   Obtinet beatus
   Super regni solium
   Praesul coronatus.

3. Nos ad montem gloriae
   Ducat per Ammonem,
   Qui dat justo gratiae
   Benedictionem.

Responsoria.

1. Ammon Leucae pontifex inclitus,
   Cujus fuit quam felix exitus,
   In capella Petri repositus
   Praecessoris est tumba conditus;

V. Per Hermannum hic translatus
   Cathedrali fuit datus.

2. Post vitae sanctae terminum,
   Quam potens apud Dominum
   Sit, clare comprobatur
   Per curam aegritudinum,
   Leprae, febris et luminum,
   Quae per eum donatur.

V. Hic a filiis hominum
   Concordi sono carminum
   Merito commendatur.

3. De facultate propria
   Reges hunc cum principibus
   Cum magna reverentia
   Coluerunt muneribus.
   Ut Christus ad coelestia
   Nos ducat suis precibus,

V. Praeclari cum laetitia
   Devotisque concentibus
   Pontificis magnalia
   Laudemus votis omnibus.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Sanctus hic amabilis
Ammon mundo splenduit
Decorem indutus,
Praesul venerabilis
Regnum mundi respuit
Dominum secutus.

2. Orans cum laetitia
Pro salute populi
Deo jubilabat,
Manens in justitia
In saeculum saeculi
Dominum laudabat.

3. Corde Deum sitiens
Fontem vitae sapiens
Deo vigilavit,
Vir beatus Dominum
Timens labem criminum
Parendo vitavit.

4. Gratam simul omnia
Deo reddant entia
Benedictionem,
Qui jam a terrestribus
Sursum cum principibus
Extulit Ammonem.

5. Sacrae laudis hostiam
Reddant cum harmonia
Cuncta creatori,
Qui jam coeli gloriam
Induto justitia
Contulit pastori.

Ad Benedictus.

A. Felix Ammon, ave,
pastor bone, gemma Leucorum
Solve jugum grave
labemque munda vitiorum
Per iter suave
duc nos ad regna coelorum.

Ad Tertiam.

R. Leucae felix ecclesia
Honoris in fastigio
Excrevit et in bonis,
Dum mira fulsit gratia
Claroque vita radio
Pontificis Ammonis,
V. Nobis accrescunt gaudia
Pro suae nunc solemnio
Commemorationis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pastor egregie
Leucorum civium,
Tullensis ecclesiae
Nobile depositum,
Ammon, vir praeclare,
Ora regem gloriae,
Matris almae filium,
Ut coelestis patriae
Regnum nobis inclitum
Dignetur praestare.

Brev. ms. Tullense saec. 15. (Privatbesitz). A. — Brev. Tullense imp. Parisiis 1510. B. — Leuca, Leuci, Leucani stets Leucha, Leuchi, Leuchani, Ammon stets Amon B. — In 3. Noct. A 2, 3 Obtinere beatus B. — In Laud. A 3, 5 labere terminum B. — A 4, 2 Deo fehlt B.

10. De sancto Aniano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Resonet in patulo
Pectoris arcanum
Et cum dulci modulo
Laudet Anianum.

2. Ortus ex nobilibus
Urbe Viennensium
Decoravit moribus
Genus natalitium.

3. Spernens luxum saeculi
In aetate primula
Locum habitaculi
Elegit in cellula.

4. Virtutum Evurtii
Audito rumore

Sancti desiderii
Uritur ardore.

5. Adjunctus Evurtio
Minister devotus
Fungens sacerdotio
Abbas est promotus.

R. O conscendens margarita
De virgineo corpore,
Apostolis counita
Cum aureolae decore,
Quae sola es exaudita
Persecutorum tempore;

V. Age causam hodie
Derelicti gregis
In conspectu curiae
Sempiterni regis.

Ad Magnificat.

O praesul egregie,
Laus et decus praesulum,
Regula justitiae,
Caritatis vinculum,
Ebur pudicitiae,
Honestatis speculum,
Forma sanctimoniae,
Sanctitatis titulum
Relinquens ecclesiae,
Esto propugnaculum
Praesentis familiae,
Conservans in saeculum
Assistentem hodie
Tuae laudi populum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Plaudat devotio
Coetus Christiani
Sistens praeconio
Patris Aniani.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Evurtius sanctus obitui
Jam approximatus,
Anianum petit substitui
Curae praesulatus.

2. Puer loquens erigit
Breve de altari,
Sic plebs sanctum eligit
Ex consensu pari.

3. Agrippinus supplicanti
Sancto respondens tumide
Corripitur in instanti
Grandi percussus lapide.

Responsoria.

1. Vergens ad vitae vesperum
Sanctus praesul Evurtius
Anianum presbyterum
Jam mortis suae praescius
Successorem et posterum
Fore monet attentius.

V. Quod Moyses Josue
Senio gravatus,
Hoc egit praecipue
Praesul memoratus.

2. Ad divinum oraculum
Fidelium devotio
Recurrens per infantulum
Trinae vocis indicio
Audit Dei famulum
Dignum pontificio.

V. Pandit ecclesiae
In usu sermonis
More Zachariae
In ortu praeconis.

3. Agrippino supplicat
Pro incarceratis,
Pietatem praedicat
Et jus libertatis,
Quod confestim indicat
Usus dignitatis.

V. Nam quos denegaverat
Pontificis precibus,
Hos subito liberat
Lapis sine manibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus oculos abbatis
Liniens ex sputo
Vellit squammam caecitatis
Visu restituto.

2. In extremi spiritus
Labore compertum
De portis interitus
Revocat Mamertum.

3. Lapsus aedificio
Corpore confracto
Redditur officio
Signo crucis facto.

Responsoria.

1. Urbis Genabensium
Hunna gens incredula
Minatur excidium,
Tunc fugit gens tremula
Ad pastoris gremium
Metuens pericula;
V. Non hasta vel clipeo
Praesul hanc armavit
Sed cum Macchabeo
Verbis animavit.

2. Dum muri vallant ambitum
Attila cruentus
Et cum eo satellitum
Malignans conventus,
Sanctus opponit sonitum
Suavis concentus.
V. Opponit obviam
Verba cantionis
Clangens in Madiam
More Gedeonis.

3. Divinae potentiae
Sentiens auxilium
Spreta gentis rabie
Conspuit in medium,
Sic triduae pluviae
Redundat profluvium.
V. Quod Elias potuit
Passibili corpore,
Hoc sanctus obtinuit
In hostili tempore.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum sanctorum merita
Muro decantans invocat,
Irridentem mors subita
Virum blasphemum suffocat.

2. Mox ut Attila circuit
Civitatis moenia,
Sanctus in Hunnos exspuit
Et inundat pluvia.

3. Anno quo sanctus expulit
Populum praefatum,
Tellus accolis attulit
Fructum duplicatum.

Responsoria.

1. Christi miles inclitus
Cingulum militiae
Deponit emeritus
Ad bravium patriae
Evocatus coelitus.
V. Sol egressus nubilo
Transit hemisphaerium,
Cum sanctorum jubilo
Scandens regit solium.

2. Purgatum habens oculum
Vir anachorita
Raptum in mentis culmine
Videt in hac vita
Translatum Dei famulum
Apostolorum ordine
V. Assumptus cum Deo,
Contemplans hunc facie
Stat cum Mardochaeo
Inter primos acie.

3. In virtututum tumuli
Miranda frequentia
Catervatim populi
Currunt ad suffragia
Reportantes singuli
Dei beneficia.
V. Ossa Joseph pullulant,
Ubi visitantur,
Impetrant, quae postulant,
Hi, qui venerantur.

In Laudes.

Antiphonae.

1. Post transitum praesulis
Merita praeambula
Testantur in populis
Secuta miracula.

2. Robertus, rex Franciae,
Per sancti subsidium
Triumphat in acie
Belnae Lingonensium.
3. Mater, quae transmittitur
Per regem Francorum,
Salutem assequitur
Trium puerorum.
4. Qui balneo moritur
Puer suffocatus,
Sanus matri redditur
Sancto devotatus.
5. Gillebertus desipit
Incurrens amentiam,
Atque sanctus corripit
Ejus insolentiam.

Ad Benedictus.

A. Ave, stella matutina,
Vero soli convicina
Stellato palatio,
Laesae mentis medicina,
Vero morum disciplina,
Rege nos in stadio
Nos conservans a ruina
Et a morte repentina
Tuo patrocinio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O vas auri solidum,
Vas inviolatum,
Omni dono lapidum
Coelitus ornatum,
Qui servasti candidum
Vitae coelibatum,
Mentis nostrae horridum
Detergens reatum,
Fractum cor et tepidum,
Meritis orbatum,
Redde Deo placitum
Per tuum precatum.

Brev. ms. Atrebatense saec. 14. Cod. Atrebaten. 717. A. — Brev. ms. Atrebatense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1034. B. — In 1. Noct. **A** 2, 10 praeconiis A. — In 3. Noct. **R** 3, 10 His qui venebatur A.

11. De sancto Annone.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sursum corda suscitentur
In laudum praeconia,
Ut condigne celebrentur
Annonis solemnia.

Ad Magnificat.

A. Ave, sanctae fidei
Fide praedicator,
Ave, domus Domini
Magne propugnator,
Famulorum te colentum
Attende precamina,
Ut per te peccaminum
Sublevemur sarcina.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In Annonis annua
Veneratione
Adoremus Dominum
Cum devotione.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortus ex Alemannia
Praelustri de prosapia,
Virtutum Anno schemate
Fulsit, non minus stemmate.
2. Praeditus ingenio
Profecit in studio,
Praelatus in regio
Ceteris palatio.

3. Pius, prudens, humilis
Et provisor utilis
Est Agrippinensium
Nactus pontificium.

Responsoria.

1. Gratuletur laetabunde,
Laetetur gratulabunde,
Pangat melos sine fine
Clerus urbis Agrippinae,
V. Cujus erat talis
pater Anno pontificalis.
2. Tantae fretus dignitatis
Sacro ministerio
Et divinae pietatis
Suffultus praesidio
In ecclesiasticis
Viguit et publicis,
V. Omni corde Deum
laudans, qui condidit illum.
3. Homo quidam caecitatis
Defessus angustia
Viri mirae sanctitatis
Apprehensa fimbria
Loca fricans oculorum
Lumen recepit eorum.
V. Justus in operibus
Honoravit Deum
Et in mirabilibus
Excrevit per eum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Anno pernoctabat
In orationibus,
Loca sancta frequentabat
Caris comitantibus.
2. Nudi pedes, uber fletus
Et latens cilicium,
Mentis actus, Dei metus
Praebebant indicium.
3. Munificus clero,
monachis, civi, peregrino,
Felici, misero,
complacuit Domino.

Responsoria.

1. Dum sanctis operibus
Sanctus insistebat,
Caritas sincerius
In eo fervebat,
Erexit monasteria
In Dei ministeria
V. Quintum consummans numerum
Memor tot Christi vulnerum.
2. Alter item oculorum
Usu destitutus,
Coram sancto ad sanctorum
Sancta constitutus,
Quem petebat, est dolorum
Finem consecutus.
V. Irrigatus, quo beatus
Manus lavat, latice
Oraturus et sumpturus
Libamen ex calice.
3. Qui nocturna visione
Non fraudatus in Annone
Praedicat mirabilem
Deum, cui tres personae,
In stellata regione
Nunquam terminabilem
V. Cujus et nos per Annonem
Mereamur visionem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mulier in egestate
Laborans et caecitate
Vixit in miseria
Tot flagris obnoxia.
2. Haec ad Dei famulum
Deducta per bajulum
Sublevari petiit,
Quam clemens exaudivit.
3. Primum pedes ejus lavit,
Post famelicam cibavit,
Genis manum superduxit,
Quibus ex hoc lux illuxit.

Responsoria.

1. O virtutum speculum,
Anno, gemma praesulum,

Tuo nos precamine
Purgatos a crimine
Ad intransitorias
Transmitte laetitias.
V. In cujus potentias
Jam introivisti,
Deo nos concilia,
Quem emeruisti.

2. Adolescens deformatus
Morbo tympanicio,
Viri famam perscrutatus
Rumore jam publico,
Scandit montis cumulum
Tractus per vehiculum.
V. Abscondi non potuit,
Qui ut lampas splenduit
Et ut thus redoluit.

3. Pontifex immanitatem
Languoris exhorruit,
O miram benignitatem,
Dolenti condoluit,
Adoptavit sanitatem,
Quam Deus adhibuit.
V. Aquae benedictio
Et ejus adspersio
Curat atque potio.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Vir beatus Deo gratus,
Postquam rite cursum vitae
Consummavit, frequentavit
Praeelectum, praedilectum
Montem magis solito.

2. Illic sese victimam
In oratione
Deo mactans sedula
Fletus fusione
Preces pro ecclesia
Fudit cum instantia.

3. Regressus Coloniam
In pestem podagricam
Dextro pede incidit
Et ibi occubuit.

4. Sic purgatum transiit
Vas electionis
Ad coeleste solium
Summis plenum bonis,
Commutans terrestria
Pro aeternis donis.

5. Venerandus merito
Saeculis futuris,
Qui suis temporibus
Nec a verbis duris
Principum pertimuit
Nec eis succubuit.

Ad Benedictus.

A. Collectis ecclesiae
Cunctis magistratibus
Et uni sententiae
Praebitis assensibus
Fotura Colonia
Patrem in visceribus
Pandit sinum filia
Dignis sepulchralibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mutatur propositum
Deo sic volente,
Recipit depositum
Navis et repente
Contra nisum gurgitis
Cursum explet serio
Nec veli nec remigis
Acta ministerio.

Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus anni 1477. Cod. Semin. Colonien. 5. A. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 53. B. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Semin. Colonien. 23. C. — Antiph. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. S. Georgii Colonien. s. n. D. — Brev. ms. S. Mariae ad Gradus saec. 15. Cod. Darmstadien. 977. E.

In 1. Vesp. folgen nach der ersten noch folgende vier Antiphonen:

2. Laus sit Christo et gloria Pro Annonis memoria, Quem consummatum virtutibus, Associatum coelestibus Tantis signis gratiae Commendat ecclesiae.

3. Mirabilis nimirum Deus In Annonis virtutibus, Dum per illum caeci visum, Claudi recuperant gressum, Morbi curantur, Pericula vitantur.

4. Gaudens ergo, ecclesia, Tanti patris solemnia Gratulabunda suscipe Prece, votis et laudibus Devotionis intimae.

5. Vere hujus orationes et eleemosynae ascenderunt in coelum, quem noctibus lumina sancta lustrantem victus et vestitus egenorum prosequebantur.

Da dieselben teilweise unrhythmisch sind und in A und B, ursprünglich fehlend, erst später nachgetragen scheinen, wird die 1. Vesper, wie so oft, nur eine Antiphon gehabt haben.

12. De sancto Ansgario.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pastor apostolice,
lux Danorum Sueonumque,
Sedis Romanae
legatus in ultima terrae,
Ansgari, nobis
pius in Christo pater adsis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno regi,
cum quo regnas, Ansgari,
Laudum nostrarum
fer Domino jubilum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Flos innocentiae,
Puer Anscharius mente
Pura revelationibus
Divinis erat assuetus.

2. Ne puerili cederet
Levitati sanctae Dei
Genitricis voce per visum
Meruit admoneri.

3. Altius erudiendus
In divino timore,
Eductus de corpore
Examinatus est
Purgatorio igne.

Responsoria.

1. Lucifer Anscharius
de Corbejensi coenobio
Lux nova emicuit
in barbarorum ergastulo
V. Destinatus ad gentes
sub sancti Petri patrocinio.

2. Apparuit Dominus
beato Anschario per visum
Et consolabatur
servum suum
V. Super misericordia
et veritate sua.

3. Animam pueri
innocenter occisi
Vidit pius magister coelitus
inter martyres coronari,
V. Quem pie in Christo docuerat
sublimiter contemplatus est.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Assumpta hinc splendide
Anima in luce
Claritatis aeternae
Exhibetur regi gloriae.

2. Prae ineffabili gaudio
Concinentium sanctorum
Obliviscebatur jam
Omnium dolorum.

3. Reversus in corpus omnem
Spem mundi abdicat penitus,
Aeternae gloriae
Amore jam saucius.

Responsoria.

1. Fonte fluens vivo
divini sanctus amoris,
Errantum vitam
votis sitiebat anhelis,
V. Gentis barbaricae
quo pectora sicca rigaret.

2. Primus in ecclesia
factus metropolitana
Pastorale decus
subit archipontificatus,
V. Ut candelabro
late lux spirat ab alto.

3. Visum est sancto Anschario
Christum Dominum flagellari
Et se opposito verbera
accepisse pro ipso.
V. *Hinc didicit, quod flagella exprobrantium pro Christo passurus esset.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orante in spiritu
Beato Anschario
In fulguranti facie
Visus est Dominus
Jesus Christus.

2. Mox procidens
Coram Domino
Justificari meruit
Ei confitendo.

3. Missus in salutem gentium
Peregrinari gaudebat
Pro Christo concius sanctorum.

Responsoria.

1. Vir beatus se frustrari
gloria martyrii
Dum lugeret, super eum
facta est vox Domini:
Parce metu, non est dolus
apud regem saeculi,
V. Quidquid tibi repromittit
visio, percipies,
Ad coeleste, inquit, regnum
Cum corona venies.

2. O sancte Anschari, quamvis
sanguinem non fuderis,
Tamen bibisti calicem
dominicae passionis,
V. Inter tot fremitus
Barbarorum,
Inter tot discrimina vitae.

3. Hodie Nordalbingorum
pontifex, Anscharius,
Christe, tuis gloriatur
repromissionibus,
In sanctorum sempiternis
triumphans splendoribus.
V. Corbejae civis,
primas in finibus orbis,
Coelica regna tenet.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Sanctus adhuc mortis
spirans in agone supremo
Cor oculosque pios
levat ad Dominum pietatis.

2. Mysterii vivi
sumens placabile pignus
Per Christi calicem
patrem rogat omnipotentem.

3. Da nobis, Domine,
pacem, dixit, veniamque
Per pretium mundi,
quo nos tibi conciliamur.

4. Inter carorum
lacrimantia cantica fratrum
Spiritus emigrans
mox lucis in arce corruscat.

5. O felix obitus,
cujus pia vita probatur,
Inde pios fletus
simul et pia gaudia miscent.

Ad Benedictus.

A. Anscharius Domino
se libans corde benigno:
Hanc animam commendo tibi,
Jesu pie, dixit,
Et flatum mittens
in coelica gaudia fudit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Respice nos, pater Anschari,
stella aurea nostri,
Et facie rutila,
qua solem conspicis altum,
Illustra tenebras
nostras, dux lucis ad ortum.

Brev. ms. Bremense saec. 15. Cod. Oldenburgen. 36. A. — Diurn. ms. Bremense saec. 15. Cod. Bremen. C 60. B. — Brev. Bremense imp. Coloniae 1486. C.

Die Form dieses Officiums, das mit Teilen in Reimprosa stark untermischt ist, spricht für das hohe Alter desselben. In 2. Noct R 2, 4 subit fehlt C. — In 3. Noct. A 2, 1 profidens C. — Ad Laudes A 1, 2 agone summo C.

13. De sancto Ansuero.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adesto, pater gloriae,
Nobis, ut victoriae
Laudes tuorum martyrum
Digne possimus promere
Ansueri et ejus sociorum.

2. Cordis ex secretario
Gens omnis symphonizat,
Nam in tormento vario
Ansuerus stephanizat.

3. Coeleste viridarium
Jucunde tunc stipatur,
Cum felix per martyrium
Hic mundus irrigatur.

4. Avete, sancti martyres,
Ansueri comitiva,
Orate ne nos febriles
Mors tangat recidiva.

5. Sancte Ansuere,
Martyr Dei inclite,
Cum tuis consortibus
Ora pro nobis omnibus.

R. Pange terra Holsatiae
Nobilis et generosa,
Nam de tua progenie
Prodiit rubens rosa,
Ansuerus, qui nobiliter
Ex te generatur,
Per quem ineffabiliter
Multa mirabilia
Deus operatur.

V. Ex cujus odoris fraglantia
Tota redundat Slavia.

Ad Magnificat.

A. *Sanctus Ansuerus,
innocens ab infantia,
mansuetus in pueritia,
sobrius in adolescentia,
secutus parentum vestigia
tantis virtutum moribus
est adornatus, ut usque ad aetatem
virilem, qua perfecte vixerat,
propter suae perfectionis culmen
possit beato Job comparari.*

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum Domino
venite jubilantes,
Qui sanctos in martyrio
confortat agonizantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ansuerus in consilio
Non abiit pravorum,
Quapropter nunc collegio
Sortitur beatorum.

2. Cur in sanctos Domini
Gentes fremuerunt,
Quos nece valde flebili
Flebiliter straverunt?

3. Invocantes, Domine,
Sanctos exaudisti,
Quos in tuo nomine
Pati voluisti.

Responsoria.

1. Ansuerus sprevit scoriam
Terrenae dignitatis,
Ut usurparet gloriam
Coelestis civitatis,
Dereliquit patriam
Juventutis flore.

V. *Elegit abjectus esse in domo Dei sui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

2. Ut rosa vel lilium
Constipat viridarium,
Sic aequali forma
Per Oswaldi filium
Fulcitur monasterium
Sub Benedicti norma.

V. *Sicut novellae plantationes a juventute sua.*

3. Eja, Rachel, sponsa Christi,
Militans ecclesia,
Quae tot proles edidisti,
Quot ad coeli gaudia
Animas tu transtulisti
Per tormentorum genera,
Quorum neces tu flevisti
Per sancta desideria,

V. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Bonae voluntatis scuto
Coronasti, Domine,
Quos ex hujus mundi luto
Extraxisti hodie.

2. Ex ore patientium
Vis, Christe, collaudari,
Ut virtus innocentium
Possit comprobari.

3. In Dei tabernaculo
Habitat Ansuerus,
Qui in Slavorum populo
Fuit doctor verus.

Responsoria.

1. In patrem dum elegitur
Ansuerus, vir discretus,
Ex hoc non erigitur
In corde sed mansuetus
In pietatis opere
Permansit indefessus,
Quod docuit summopere
Aliis, est aggressus.

V. *Hic accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.*

2. O sacratissimi amatores
Trinitatis deificae,
Abraham in montis radice
Tres viros vidit et unum adoravit,
Sic Ansuerus ex uno ore
Tres simul et semel
Emisit melodias.

V. *Abraham vidit tres viros et unum adoravit.*

3. Sicut non potest civitas
In montibus celari,
Sic et nequit sanctitas
In sanctis occultari.
Hoc in Ansuero panditur
Sancto sufficienter,
Cui de coelo mittitur
Virga non latenter

In cercumque vertitur
Valde competenter.
V. *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In te sperantes
hos et pro te morientes,
Coelorum Domine
conservabis benedicte.
2. In mundo corde
permanserunt sine sorde,
In terra Domini
consistunt ergo locandi.
3. Pro plebis facinore
Te Christe deprecantur,
Qui in suo sanguine
Pro te rubricantur.

Responsoria.

2. Ex terrenis inquilinis
Fiunt cives coelici,
Dum necantur a lupinis
Viris viri angelici,
Per quos Slavi sunt doctrinis
Docti roris mellici
Et erepti a latrinis
Carceris Eumenici.
V. *Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est.*
3. Eja vos triumphatores
Pro nobis intercedite
Et perversitatis mores
In nobis corrigite,
Ut adjutos vestra prece
Deus, creator omnium,
Et ablutos ab hac faece
Perducat in empyreum.
V. *Apud Christum vota nostra promovete precibus.*
1. O militantis ecclesiae
Capitanei fortissimi,
O triumphantis militiae,
Phaleratores doctissimi,
Sancte Ansuere cum tuis sociis,
Hos precibus vestris defendite,
Quos in vestro servitio
Humiliter
Cognoscitis permanere.
V. *Apud Christum patrociniis vestris adjuvemur semper.*

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Praecinctus fortitudine
Dominus regnavit,
Qui suos pulchritudine
Sanctos decoravit.
2. Serviet in jubilo
Deo plebs fidelis,
Qui sanctos a periculo
Liberat et a poenis.
3. Adhaeserunt Domino
Martyrium sitientes,
Cujus in servitio
Steterunt vigilantes.
4. Sancti et humiles corde
Hymnum dicite Deo.
5. In collegio sanctorum
Laudetur rex eorum.

Ad Benedictus.

A. Gaude, Ratzeburgensis ecclesia,
Divinitus inspecta,
A deitatis clementia
Medullitus electa,
Quae sanctorum sanguine
Pulchre rubricaris,
Quorum nunc juvamine
Mire gubernaris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mirantur cives coelici
Et spiritus tartarei
Stupent, quod haec fragilis
Natura sit tam agilis,
Quod cum tanta gloria
In passionis victoria
Ad coeli transit gaudia.

O Ansuere, vir nobilis,
Cum quater septem sociis
Pro nobis preces fundere
Velis et intendere,
Quod annuis devotionibus
Tua festa recolimus.

Brev. Sleswicense imp. Parisiis 1512. — Dasselbe Officium befand sich auch in dem 1506 zu Lübeck gedruckten Breviarium Ratzeburgense, von dem ein Exemplar nicht mehr bekannt ist.

14. De sancto Armagilo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Armagili meritis,
Christe, da demeritis
Promereri merito,
Ut sint cum emerito
In coelesti curia,
Ubi laus et gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultantes adoremus
Christum regem et laudemus,
Qui hodie coronavit
Armagilum, quem amavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gloriosa prosapia
In majori Britannia
Traxit natalitia
Beatus Armagilus.

2. Vir magnae scientiae,
Vas omnis munditiae,
De bono in melius
Crescebat quotidie.

3. Christi cultor jugiter
Ordinatus presbyter
Contra cuncta vitia
Dimicavit fortiter.

Responsoria.

1. Puer dum adhuc scholarum
Exerceret studia,
Operatus est suarum
Virtutum primordia,
V. A sodali, quem presserunt,
Frigus, febris, abscesserunt
Solo tactu pallii.

2. Prorsus dimissis omnibus,
Quae obviant coelestibus,
Britannorum in partibus
Transfretat cum sodalibus;
V. Prece regis est profectus
In Galliam et effectus
Ejus secretarius.

3. Deo placens, cunctis gratus,
Regali palatio
Moram fecit vir beatus
Sex annorum spatio,
V. Per quem Deus magnalia
Multa fecit in Gallia
Sex annorum spatio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cunctis membris impotentem
Curat claudum deposcentem
Ejus alimoniam.

2. Vir benignus caeco flenti
Visum reddit confidenti
De ejus auxilio.

3. Signis sancti divulgatis
Adsunt, quo it, villis, stratis
Infirmorum agmina.

Responsoria.

1. De regis licentia
Redonensi patria
Dato oratorio
It festinus cum gaudio,
V. Quo spretis mundi [gaudiis]
Signis effulsit variis.

2. Villa quaedam, per quam ibat,
Tota fere plebs peribat
Nec non animalia
Aquarum penuria;
V. Quo audito baculo
Terra fixo populo
Fons divus exsiliit.

3. Die quadam exspectabat
Opem sancti, quam optabat,
Multitudo languentium
Stans ante domus ostium;
V. Vir benignus pietate
Hos remisit sanitate
Cunctis prius reddita.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Juxta montem habitabat
Serpens ingens, qui, dum flabat,
Suo flatu morti dabat
Terrae ejus incolas.

2. Prece plebis inclinatus,
Qui reclinat declinatus,
Monstrum stola colligavit
Et in aqua suffocavit.

3. Timens vitam maculari
Una laude populari
Ad desertam Britanniam
Pergit linquens Redoniam.

Responsoria.

1. Ad Britannos transmeando,
Verbum Dei seminando
Multas gentes baptizavit
Et idola conculcavit;
V. Aedes sacras fabricavit
Jesu Christo noviter
Et in fide roboravit
Servos Dei firmiter.

2. Quidam habens daemonium
Sancti petens auxilium
Ejus sensit suffragium
Tactu lecti straminis.
V. Tactu vestis est sanata
Quaedam diu fatigata
Propter fluxum sanguinis.

3. Ubicunque procedebat,
Opem petens accedebat
Infirmorum concio,
Quae ejus auxilio
Sospes recedebat,
V. Qualicunque tenebantur
Aegri morbo, curabantur
Ejus medicamine.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vir illustris genere,
Illustrior ex opere,
Opem dabat omnibus
Bestiis et hominibus.

2. Quadam die sentiens
Morbo se gravari
Intrat oratorium
Deum deprecari.

3. Statim adest angelus
Dulci modo intrans
Hunc affatur:
Tibi Dei gratia
Supererogatur
Locus tibi debitus
Cum sanctis paratur.

4. Genitricis [Domini]
Completo solemnio
Deo reddens spiritum
Et sanctorum praemio,
Quod est tibi debitum,
Frueris cum gaudio.

5. Dicta die reddito
Missali officio
Et instructo populo
Divino eloquio
Discens obitum suum
Deo reddit spiritum.

Ad Benedictus.

A. Impetrator veniae,
Vas omnis munditiae,
Coelos scandens hodie
Pulsa regem gloriae
Pro lapsis quotidie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vir immensae caritatis,
Fons totius honestatis,
Summi regis palatio
Duc nos tuo suffragio
Sanctorumque consortio
Tua jungat oratio.

Brev. Briocense imp. Redonibus 1548. — In 1. Noct. **A** 1, 3 Ortus traxit. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Si quis sancti.

15. De sancto Arnulpho.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vapincensis laetetur civitas
Novi solis lustrata radio,
Vernet in te fides, spes, caritas,
Omnis culpae cesset occasio
In hoc tui patris solemnio,
Quem commendat
carnis integritas,
Norma vitae morum frugalitas,
Verbi vigor, sacra confessio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum creatori
Psallat plausus hujus chori,
Qui trasvexit ad decorem
Coeli suum confessorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gallicanis ortus de partibus
Claris fulsit Arnulphus patribus,
Ortu sacro minister Domini
Decoravit castrum Vendocini.

2. Hic ab annis adolescentiae
Literali datur scientiae,
Mox divinis insistens actibus
Admirandis fulsit virtutibus.

3. Spretis puer carnis illecebris
Et mundanis fugatis tenebris
Artae vitae sequens propositum
Monachalem suscepit habitum.

Responsoria.

1. Simoniae pollutus macula
Praesulare Ripertus desiit,
Vapincensis mox ope sedula
Clerus papam Romanum adiit
Et ab ipso supplex expetiit
Virum dignum pastoris infula,

V. Vult sibi praeberi
supplex devotio cleri.

2. Alexandri
vigil industria
Dat Arnulphum
se postulantibus,
Quem virtute,
quem praerogantia
Praeferendum
censet hominibus;
Hunc honestis ornatum moribus
Vapincensis colit ecclesia.

V. Maxima sacrorum
lux fulget in hoc meritorum.

3. Dum Valernae castri basilicam
Venerandus sacraret pontifex,
Ab excelso
per partem lubricam
Lapsus quidam jacebat artifex,
Cui pius levamen opifex
Dat per aquam
crucemque medicam;

V. Fons scelus enervat,
crux quaeque fidelia servat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regulari velatus habitu
Christo carne vixit et spiritu,
Christi jugo devote subditus
Praeter Christum
nil ambit penitus.

2. Pro fervore gravisus pueri
Sumptus parat abbas itineri
Volens Romam secum deducere,
Quem prae cunctis
amabat tenere.

3. Alexandri coram praesentia
Tanta fulsit Arnulphus gratia,
Quod per ipsum
totum, quod voluit,
Ejus abbas gratis obtinuit.

Responsoria.

1. Celebrato praesul encennio
Manus lavit infuso latice,
Cujus sacro respersus fluvio
Visum caecus recepit publice,
Mox adstantes laeti mirifice
Claro Christum
laudant praeconio.
V. Voces in caelis
attollit turba fidelis.

2. Miles solo motu malitiae
Blasphemare
sanctum non timuit,
Vindicandae tempus injuriae
Christus diu differre noluit,
Nam de templo
mox lignum corruit,
Qui multatur confracta facie.
V. In qua peccavit,
linguam sibi dente putavit.

3. Visu carens homo Teutonicus
Observabat
sepulchrum praesulis
Orans supplex, ut vir mirificus
Lumen ejus infundat oculis,
Quem depulsis
umbrarum nebulis
Dat videre coelestis medicus.
V. Luce fervens caeli
grates agit ore fideli.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postulatus a summo praesule
Pius senex obedit sedule,
Jussionem tristis exsequitur,
Dum sodalis sibi subtrahitur.

2. Hunc in Priscae beatae gremio
Sacro papa junxit collegio,
Commendatum
fratres suscipiunt
Et suscepto devote serviunt.

3. Indefessae mentis constantia,
Pius actis, dulcis facundia,
Morum formam
supplet in omnibus,
Dat exemplar vivendi fratribus.

Responsoria.

1. Ob delenda culparum vitia
Monialis catena stringitur,
Sed a sancto collata venia
Sponte ferri ligamen frangitur,
In quo plene facto perpenditur,
Quod sanatur
mens prius saucia.
V. Squalorem sordis
lavit contritio cordis.

2. Mutilatus in dextro brachio
Mutilantem antistes arguit,
Nam in somnis horrenda visio
Huic mirando minax apparuit,
Qua conspecta reus contremuit
De supremo timens judicio:
V. Hac me scire datur,
quae pravis poena paratur.

3. Pater sanctus rebus dispositis
Est sublatus a nequam saeculo,
Terra tanti susceptrix hospitis
Sepulturam dedit corpusculo,
Vapincensis clerus cum populo
Damna deflent amissi capitis.
V. Plaudit gravisus
pro cive suo paradisus.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Regnaturus in stola duplici
Jam Arnulphus
gaudet in simplici,
Qui vestitus decore gloriae
Delectatur fructu justitiae.

2. Infinita fretus laetitia
Jam cum sanctis
gaudet in patria,
Ubi jugis est exaltatio,
Summa quies et Dei visio.

3. Separatum granum a palea
Paradisi jam tenet horrea,
Et, quam frequens
sitivit lacrima,
Coeli luce repletur anima.

4. Coelum, terra,
pontus et aethera,
Benedicant factorem opera,
Sustentando dans jura singulis
Praedicatur Deus in saeculis.

5. Seniores cum junioribus
Vita, voce, votis et moribus,
Regnum cujus
non novit terminum,
Collaudemus in coelis Dominum.

Ad Benedictus.

A. Veneranda justi memoria
Claris fulget signorum titulis,
Claudis gressus
datur constantia,
Mutis sermo, lux caecis oculis,
Vincti gaudent solutis vinculis,
Surdus audit, cedunt daemonia,
Et defunctis vitalis gratia
Redit pulsis
morborum stimulis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lucerna plebis catholicae,
Cleri clarens,
Arnulphe, speculum,
Clerum clemens
adstantem respice,
Rege cives, conserva populum,
Ut post hujus
mortis articulum
Resurgentes in stola duplice
Repromissum
coenae dominicae
Te juvante sumamus epulum.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. A. — Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535. B — In 1. Noct. R 1, 1 Simonis pollutus B. — R 1, 2 Praesulari B. — In 2. Noct. R 2, 3 Vindictam de tempus A. — R 2, 5 de fehlt A.

16. De sancto Autore.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, jubar matutinum,
Flos et decor patronorum,
Autor, redolens oliva,
Te per tempus vespertinum
Ut tutorem populorum
Jam laudamus voce viva.

2. Vere felix pater iste,
Plenus morum fructu,
Fit praesul per te, rex Christe,
Trevirorum ductu.

3. Treviris episcopatu
Miris signis claruit
Ibique Dei precatu
Sedulus apparuit.

4. Ornata haec gemma cleri
Hinc discessit ab hoc mundo,
Juncta coelis Dei veri,
Nam recessit ab immundo.

5. Rursus suis reliquiis
Autor nobis addicitur
Factis ejus exsequiis
Et patronus efficitur.

R. Surge, pater, dignus laude
Pro tuis adoptivis filiis
Munda laesos hostis fraude
Tua prece, tuis auxiliis;
V. Pro nobis Christo applaude
Ut salvet stantes in exsiliis.

Ad Magnificat.

A. O fons inundans veniae,
Qui omni in progenie
Das bonum indeficiens,
Dites, purges esurie,
Bonis coelestis curiae
Mendicantes reficiens;
Hanc catervam tibi servam
Coeli junge tricliniis,
Autoris patrociniis
Ipsam salvam efficiens.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Concrepet oda chori,
regi jubilando venite,
Qui dedit Autori
coelestis gaudia vitae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Jubilemus Deo in gloria,
Nam beata adest memoria
Sancti Autoris pontificis,
Praeornati signis mirificis.
2. Cui nomen datur
Autor, quo certificatur,
Quod sit prae mille
sanctis autenticus ille.
3. Hic sanctus quinque talenta
Traditis superlucratur
Per virtutum incrementa,
Dum in terris vegetatur.

Responsoria.

1. Dum in terrenis luctibus
Autor per te, Domine,
Fuerat vivificus,
In gratiarum fructibus
Vita, re et nomine
Vixerat autenticus.
V. *Vitam petiit a te et tribuisti ei.*
2. Qui virtutum praxibus
Devotus mirificus
A mundo diligitur,
Quod Trevirorum taxibus
Ut pater deificus
In praesulem eligitur.
V. *Constituit eum Dominus super excelsam terram, ut commenderet fructus ejus.*
3. Trevirensi praesulatu
Pio, justo, sancto statu
Plebi suae praeerat
Et sic fidem Christi rectam
Plebemque suam perfectam
Deo impliaverat.
V. *Qui non egit dolum in lingua sua nec fecit proximo suo malum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O pietas nati,
patris sapientia veri,
Autoris grati
meritis dignare tueri.
2. In pauca fuit fidelis,
Supra multa constituitur,
Ergo Autor est in caelis,
Ut per nomen innuitur.
3. Abba, tu laudis
orantes qui pius audis,
Nostratum fautor
et tutor sis, sacer Autor.

Responsoria.

1. O Autor, flos pontificum
Auctoris aeternitatis,
Nomen habens autenticum,
Tuae vi auctoritatis
Vultum placa deificum,
Ut vivamus cum beatis.

V. *Multum enim valet in conspectu Domini deprecatio justi assidua.*

2. Hic verus Israelita
Miris signis stante vita
Coram plebe claruit,
Regem Attilam delusit,
Hostes baculo exclusit,
Dum plebs guerris aruit.

V. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.*

3. Hodie patronorum,
Flos et decus auctorum,
Autor in terris moritur,
In coelis tamen oritur,
Christo junctus in gloria
Pro saeculi victoria.

V. *Quoniam ingreditur sine macula et operatur justitiam.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Autor fautor sis illorum,
Qui te rite florem florum
Colunt horis matutinis
Digne cantibus divinis.

2. Hic pius antistes
nos laetificat bene tristes,
Nam prece dum plaudit
gens, orantes pius audit.

3. Pastoris forma
legis iste, Dei quoque norma
Treviros rexit,
post haec mundum pius exit.

Responsoria.

1. Laetetur coeli regio,
Sanctorum plaudat legio
De Autore egregio,
Quem auctor in coelestibus
Assumpsit de terrestribus
Exutum mundi vestibus.

V. *Placita enim erat Deo anima illius.*

2. Gaude et laetare,
Praesens sacra civitas,
Nam refulget clare
Praesulis festivitas,
Qui te cunctis praeelegit,
Quod Deus in ipso egit,

V. *Memor congregationis suae, quam possedit ab initio.*

3. O auctor summe coelorum,
Qui Autorem Trevirorum
Pro salute das tuorum,
In suis nos miraculis
A cunctis munda maculis
Et hostis pravi jaculis.

V. *Egressus est enim in salutem populi tui cum Christo tuo.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Autor ut palma florebit
Cum Domino glorioso,
Coronam enim habebit
De lapide pretioso.

2. In gratiae pabulo
se pontificem quia gessit,
Devicto zabulo
de mundi carne recessit.

3. Deus, Deus meus, tui
Ad te de luce vigilant,
Ut beato queant frui,
Laudibus cui jubilant.

4. Benedicant omnia
Deo Dei opera,
Qui Gertrudi somnia
Mira dedit opera,
Ut esset datura
Nobis sancti crura.

5. Laudate Dominum de caelis
Devotionibus celsis,
Qui Autorem coeli velis
Circumcinxit in excelsis.

Ad Benedictus.

A. Benedicto dono Dei
Hic exsultent greges regi,

Nam nobis sidus oritur,
Quod in Treveri moritur,
Autor, praesul beatus,
Deo auctorisatus.
Pie pater et patrone,
Te devote rogitamus,
Apud Christum sic dispone,
Ut coelum introeamus.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Surgat in nobis caritas,
Nova refulget claritas,
Nam auctor hierarchiae
Coelesti galaxiae
Autorem praesentavit,
In terris quem beavit.
O auctor summi generis,
Autoris juva meritis.

Ad Magnificat.

O mirae spei
Pontifex, Autor.
Magnae fidei,
Nostratum fautor,
Qui Trevirorum
Praesul fuisti,
Et nostrum forum
Visitavisti,
Ut nostrae laudis
Participares
Ab hoste fraudis
Et defensares.
Ergo pater
noster vocaberis,
Veni, veni,
veni, praesul
Alme, pastor
bone laudaberis.

Brev. ms. Lubicense (ol. 62) saec. 15. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Sit praesul Hs. — In Laud. **A** 1, 2 Cum Deo Hs.

17. De s. Augustino Cantuariensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Augustinus a beato
Electus Gregorio
Juncto secum venerando
Sanctorum collegio,
Ut fructum ferret Domino
Ex Anglorum populo,
Nunc fulget ut sol in coelo
Lucro centuplicato.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Pastorum summo principi
Jubilemus Domino,
Qui beatum confessorem
Elegit Augustinum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Legis divinae
vir hic medicamine fretus
Protulit eximium
verbi de semine fructum.

2. Anglorum populis
cultor dicebat herilis:
Deservite Deo
mentis habitu tremebundo,
Ejus justifica
ne depereatis in ira.

3. In montem Domini
positus pastor reverendus
Orans pro populis
curam satagebat ovilis.

4. Augustinus ait
Satanae cultoribus: Ut quid
Corde gravi colitis
hominum mendacia nati,
Sacrificate Deo
cordis libamine vero.

5. Orabat sanctus
Dominum pro plebe sacerdos:
Juste Deus, ne permaneant
hi semper iniqui,

Sed tibi subdantur
credentes corde fideli.

6. Vir Domini quantum
perfecerit ille laborum,
Testantur pueri
divina laude canori.

Responsoria.

1. Augustinus, vir modestus,
Miraculis praecipuus,
A beato Gregorio
Sacratus episcopio
Anglorum genti vividam
Verbi monstravit lucernam.
V. Doctrina fretus mystica,
Virtute apostolica,
Subjectis sibi plebibus
Ut tuba evangelica.

2. Romulea sancti
digressi protinus urbe
Nomine pro Christi
alta petunt pelagi,
Quos Augustinus,
divino dogmate plenus,
Ornabat gestis,
moribus, eloquiis,
V. Exercens jugibus
jejunia longa diebus
Commendata sibi
jura ministerii.

3. Insignis pastor
de summo culmine puppis
Prospiciens arvum
perverso germine comptum
Orans cum sociis
lacrimis ita fatur obortis:
Christe, sator rerum,
vim comprime daemoniorum,
Ut tibi complacitam
possimus gignere plebem.
V. Introitum nostri
tu lumen dirige verum,
Lucrandis populis
auditum praebe benignum.

4. Cum pietatis opus
plantaret cultor opimus,
Humani generis
rugiebat pestifer hostis,
Dum nimium frendens
vacuas dum territat auras
Faucibus ex rabidis,
depellitur agnus herilis.
V. Suscipit ecclesia
vitae documenta perennis,
Idola depereunt
mortis Satanaeque furentis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancte carens macula,
vitae laetaris in aula,
Augustine, gregi
veniam deposce precanti.

2. Actibus innocuis
et corde piatus et ore,
Confessor Domini
transivit ad gaudia coeli.

3. Lumen sensificum,
totius palma salutis,
Hujus nos precibus
protege pontificis.

4. Et qui consortes
non possumus esse decoris,
Effice nos, Domine,
participes veniae.

Responsoria.

1. Vera salus populorum
Per beatum Augustinum
Sanavit gentem Anglorum,
Qui per verbum veritatis
Languidos oblatos sibi
Restituit sanitati.
V. Baptizato quoque rege
Ac plurimis fidelium
Congaudebat quotidie
De numero credentium.

2. Confessor Domini bonus
praedicans instantius
Minas sprevit barbarorum
graviter furentium,
Insuper ab ipso rege
colitur magnifice.
V. Daemones verbo fugabat,
ordinans ecclesiam
Insistebat officiis
juxta ritum mysticis.
3. Inter falsiloquos
forte recumbens
Verbis pontificum
jure coactus
Sanctus vir Domini
percitus inquit:
Jam nunc sufficiunt
plurima verba,
Sed virtus Domini
vera probetur.
V. Curatoque dehinc
corpore caeco
Importuna fugat
agmina dicens.
4. O meritum justi
nimium laudabile testis,
Quos nec vis hominum
valuit superare nec arma,
Hos Augustinus
solo sermone subegit.
V. Armatus verbi
gladio galeaque salutis
Indomitos adiit
doctrinae viribus Anglos.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Augustinus ecclesiae
Restaurator Angliae,
Docebat Christum colere
Idola respuere.
2. Armatus cruce nobili
Stabat verbo fidei,
Regem saevum prae ceteris
Christi junxit discipulis.
3. Praebebat sanctus
cunctis exempla salutis
Ecclesiae sacro
deditus officio.
4. In conspectu populorum
Per sancti viri meritum
Confesso Christi nomine
Caecus gaudet de lumine.
5. Ad hujus sancti tumulum
Curantur membra languentum,
Per cujus summum studium
Cognoverunt altissimum.

Ad Benedictus.

A. Hodie pater Anglorum
Consors factus angelorum
Migravit ad Jesum Christum.
Gaudet mater ecclesia
Verbo Dei fecundata,
Quae beatum pontificem
Praemisit in Jerusalem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magne praesul, doctor gentium,
Pater Anglorum,
Alme Augustine,
Intercede pro populo,
Quem lucratus es Domino,
Veniam posce famulis,
Quibus donasti verbum salutis.

Brev. ms. Coloniense saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Londinen. Harl. 4664. — Nach der 4. Antiphon der 2. Nocturn folgen folgende Anfänge von Antiphonen de communi: Amavit eum Dominus; In fide; Collaudabunt. Antiphon und Responsorien der dritten Nocturn sind alle prosaisch und de communi, weshalb nur die Anfänge angegeben. Diese Lückenhaftigkeit legt den Gedanken nahe, dafs wir es mit einem Officium zu thun haben, dem die monastische Form nicht ursprünglich ist.

18. De sancto Augustino.

In 1. Vesperis.

R. O decus ecclesiae,
lux mundi, salus quoque terrae,
Augustine pater,
dilecte Deo vehementer,
Pro nobis Christum
supplex deposce benignum.
V. Ut vitiis mundos,
virtutum lumine claros,
Reddat nos patriae
coelestia dando supernae.

Ad Magnificat.

A. Augustine, summe doctor
Et cultor justitiae,
Pietatis propugnator,
Bellator perfidiae,
Sapientiae per vias
pulchras et pacificas,
Quas trivisti, duc nos tecum
ad sua palatia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Deo nostro,
laetemur in Domino,
Qui dedit nobis insignem
doctorem justitiae,
Cujus nimbus orbe toto
fructus est tam multiplex.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vere beatus iste vir,
Summus amans legis Dei
Signumque tam fructiferum,
Ut toti det mundo cibum.
2. Rupit malorum vincula,
Jugum rejecit improbum,
Sublimis in monte Dei
Superna jussa docuit.
3. Vanos, graves, falsiloquos
Sanctum arguentem filios
Terris Deus mirificans
Transfert ad coeli requiem.
4. Benedixisti, Domine,
Justo, qui tam dilexit te,
Quo totus dum replebitur.
Aeternum gloriabitur.
5. Mirabilis es, Domine,
Donans honorem gloriae.
Hostes tuos qui destruis
Potentis oris gratia.
6. Arcum, sagittas tenebris
Rectis pararunt improbi.
Vicit fidens in Domino.
Justus amabilis Deo.

Responsoria.

1. Civitas nobis Tagaste
regionis Africae
Augustinum turrim dedit
fidei catholicae,
V. Honesta et christiana
editum progenie.
2. Maxima parentum cura
literarum studiis
Brevi puer eruditus
insignis emicuit,
V. Sacris enim et divinis
aptandus officiis.
3. At rudis adolescentis
ingenium docile
Errore Manichaeorum
capitur Carthagine,
V. Ut post revelata magis
veritas dulcesceret
Et tenacius comperta
pectori insideret.
4. Cumque plures docuisset
primitus in Africa,
Oratoriam docturus
Romam quoque navigat,
V. Ut doctrinam tanti viri
Probet et Italia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justus, verax, innocuus
Altis quiescit sedibus,
Per quem maligni ad nihilum
Haeretici deducti sunt.

2. Desideravit, fruitur
Gaudens coelo vultu Dei,
Fructum semenque pessimum
De terra qui disperdidit.

3. Rex gloriae bello potens
Per mundicordem militem,
Suam quaerentem faciem,
Dolosam stravit aciem.

4. Conventus malignantium
Iniqua perscrutatus est,
Alti venit cordis homo
Et Deus exaltatus est.

5. Verbosa pestis praevalens
Domum Dei mirabilem
Pressit, beatus lectus est,
Illa cadente haec uber est.

6. O palma mire florida,
Dei perornans atria,
Augustine, scientiae
Profundae conscientiae
Factura, quae dives manus,
Altis jucunda sensibus,
Per te perennis illa sit
Senecta nostra uber bonis.

Responsoria.

1. Inde Caesaris praecepto,
immo nutu divino
Transfertur Mediolanum
quasi rhetor docturus,
V. Ad urbem, cui praesidebat
sacerdos Ambrosius.

2. Igitur catechizatus
per tantum antistitem
Liberatur ab errore,
lavatur baptismate,
V. Diligentius instructus
catholico dogmate.

3. Spiritus sancti renatus
et repletus gratia
Omnibus saeculi pompis
statim valere nuntiat
V. Fidei ad Deum tendens
et amoris passibus,
Ne quid animum devotum
terrenum praepediat.

4. Mox in Africam regressus,
ordinatus presbyter,
Cuncta morum et doctrinae
circumlustrat lumine,
V. Cum quibusdam sibi junctis
vivens apostolice.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hic tibi quam fuerat
sapientia dulcis amica,
Augustine, suam
dum gemis ad patriam,
Susceptum supera
tandem solatur in aula
Et carum proprio
confovet in gremio;
Hanc nos corporeo
fac delectamine spreto
Sic ardendo sequi,
sic et habendo frui.

Responsoria.

1. Processu quoque temporis
Factus antistes Hipponis
Publice atque privatim
docet verbum salutis
V. Contra haereses Africanas
maxime Donatistas.

2. Aliquanti post elapso
temporis curriculo
Africam triplex pervasit
Barbarorum invasio,
V. Ferro, flammis cuncta perdens,
Fide favens Ario.

3. Videns ergo urbem suam
hostibus circumdatam,

Lacrimosa Deum prece
indefessus postulat,
V. Ne depopulationem
illius conspiciat,
Ut ab hac se miseratus
luce jam recipiat.

4. Tertio obsidionis
mense febre decubat,
Transitu beato functus
laetus coelos superat,
Intimus Dei amicus
ipso nunc perfruitur,
Apud quem nobis patronus
perpes sit, deposcimus.
V. Debellatis usquequaque
veritatis hostibus
Miles Dei gloriosus
Triumphans eximitur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Domino regnanti semper
psallamus suppliciter,
Cum quo praesul Augustinus
regnat in coelestibus.

2. Felix migrans ad superna
doctor summus atria,
Introivit in conspectu
Dei cum laetitia.

3. Quem sitivit in hac terra
Augustini anima,
Satiatur fonte vitae
nunc in poli patria.

4. Domino benedicamus
corde, verbis, actibus,
Cui benedicit in coelis
Augustini spiritus.

5. Laudemus universorum
conditorem Dominum,
Cujus donis Augustinus
fulsit tot virtutibus.

Ad Benedictus.

A. Laudibus magnis te Deum
in magni pontificis
Benedici constat dignum
Augustini meritis,
Cujus illustratur sancta
doctrinis ecclesia,
Quo intercedente duc nos
ad aeterna gaudia.

In 2. Vesperis.

R. Lucifer ut coelo
solet effulgere sereno
Inter sidereas
nocturno tempore flammas,
Sic Augustinus
toto nitet orbe beatus.
V. *In medio ecclesiae aperuit os ejus, et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus.*

Ad Magnificat.

A. Augustine, nitens
doctorum gemma per orbem,
Clarus et reliquis
rutilans ut sidus in astris,
Sis memor et salves
nostri, deitatis amice.

Alia Antiphona.

O lingua sancti spiritus,
Fluens doctrinae imbribus,
Contra errorum machinas
Turris David fortissima,
Nobis semper tu succurre,
Alme doctor Augustine.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 13. Cod. Parisien. 1088. A. — Brev. ms. Valentinense anni 1420. Cod. Parisien. (Arsen.) 105 B.

Das Brevier von Valence bietet das Officium nicht monastisch. Es beginnt in 1. Vesp. Ad. Magnif. **A**: O palma mire florida = In 2. Noct. **A** 6. Es fehlen ihm In 1. Vesp. **R**; In 2. Noct. **AA** 4, 5, **R** 2; In 3. Noct. Ad Cant. **A**, **RR**. 1, 2, 3. In 2. Vesp. **R** und beide **AA** ad Magnif. statt deren: Augustine, summe doctor etc.

In 1. Noct. **A** 1, 4 Ut et toti mundo det cibum B. — **A** 3, 2 argumentum B. — **A** 4, 3 Quo dum totus A. — **A** 5, 2 gloriam A. — **R** 1, 1 Civitas nobilis Targasten B. — **R** 1, 3 turrem A. — **R** 3, 1 Ad rudis B. — **R** 4, 6 Polleret Italia A. — In 2. Noct. **A** 2, 4 De terraque B. — **A** 6, 3 scientiae summae B. — **A** 6, 4 fehlt A. — **A** 6, 6 jucundat A. — **A** 6, 7 Par te B. — **R** 1, 4 quasi rector AB. — **R** 3, 4 alere nuntiat A; lies: vale renuntiat? — In 3. Noct. **R** 1, 2 Factus episcopus A. — **R** 1, 4 lies: verbum salutis docet? — **R** 1, 6 lies: Donatistas maxime; die Hs. fügt noch bei: Manichaeos atque paganos, was spätere Zuthat scheint. — **R** 4, 9 neque quaque B. — In Laud. **A** 3, 3 Satiatus A, satiavit B. — **A** 4, 3 benedixit A. — Ad Bened. **A**, 3 Benedicti constat B.

19. De sancto Baldo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In sanctorum splendoribus
   Natus ante luciferum
   Signis micantem pluribus
   Sol nobis misit Hesperum.

2. Ut Hesperus enituit
   Baldus morum fulgoribus,
   Se Deo, sua tribuit
   Et dispersit pauperibus.

3. Ut eum cum principibus
   Sui collocet populi,
   Christus hunc a tumultibus
   Hujus exserit saeculi.

4. Cordis optans ex intimo
   Passionis instantiam
   Sese laudis altissimo
   Sacrificavit hostiam.

5. Ut sancti sic effloreat
   Baldi fructificatio,
   Coelestis hunc lux trabeat,
   Virtutum plena radio.

Ad Magnificat.

A. Ave, praesul eximie,
   Virtutum florens floribus,
   Qui carnis liber nexibus
   Coelum conscendis hodie,
   Tuis nos, Balde, precibus
   De maris hujus fluctibus
   Transfer ad portum patriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt Baldi pontificis
   Veneranda solemnia,
Laudis sono multiplici
   Plaudat mater ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quasi natus aut plantatus
   Rivi secus alveum
   Fructum temporaneum
   Protulit Baldus beatus.
2. Praedicavit et servavit
   Dominicum praeceptum
   Et coelitus acceptum
   Talentum multiplicavit.
3. Dum obivit, obdormivit
   Soporatus requie
   Et a carnis carie
   Liber coelum introivit.

Responsoria.

1. Ad honorem opificis
   Summi Baldi pontificis
   Laudibus insistamus,
   Ut ad coeleste bravium
   Per ejus patrocinium
   Post cursum attingamus,
V. Votis hymnis et canticis
   Viri sancti praeconium
   Laetantes attollamus.

2. Clara stirpe progenitus
Baldus, antistes inclitus,
In lege meditari
Solerter studuit,
Unde promeruit
Coronam sibi dari.
V. Letaeis culpae penitus
Expers in istis renuit
Caducis prosperari.

3. Aevum adolescentiae
Donis praeventus gratiae
Modeste pertransivit,
Locum parans virtutibus
Christi mandatis omnibus
Devotus obedivit,
V. Praecurrens castimoniae
Vias pudicis gressibus
Carnis motus attrivit.

2. Attritus parsimonia
Non injectu sed gratia
Coelesti provocatus
Metropolis Turonicae
Conscendit honorifice
Sedem pontificatus,
V. Sanctum fore praeludia
Signo monstrant multiplici
Finis et incolatus.

3. Dum maris in periculo
Sanctum rogatu sedulo
Martinum invocaret,
Illi Martinus adfuit,
Moxque sanctus obtinuit,
Tempestas ut cessaret;
V. Vociferante zabulo
Turbari nunquam potuit,
Ut a prece vacaret.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Illustratus et signatus
Dei vultus lumine
Fruitur interminae
Somno pacis vir beatus.

2. Liber satis a peccatis
Factus praesul inclitus,
Coronatus coelitus
Scuto bonae voluntatis.

3. Minoratus vir beatus
Paulo plus quam supera,
Dei rexit opera
Letalis expers reatus.

Responsoria.

1. Cruce carnem attenuat,
Multa ne lapsa minuat
Stipendia laborum;
Hanc caro nutrit fomite,
Ne fortassis a tramite
Declinet praeceptorum.
V. Hic libido non aestuat,
Quae nullo constat comite
Stipata vitiorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Supergressus vitae gressus
Hujus sine macula
Tua tabernacula,
Deus, tandem est ingressus.

2. Gloriatur et laetatur
In virtute Domini
Honorisque gemini
Serto quoque coronatur.

3. Mundo corde sine sorde
Deum generatio
Haec quaesivit studio
Manuque misericorde.

Responsoria.

1. Divino mundum semine
Replens, ardore geminae
Succensus caritatis,
Aegris affert remedia,
Mendicis et obsequia
Praestat humanitatis;
V. Praeclarus sanctitudine
Coeli tandem in gloria
Laetatur cum beatis.

2. Quae sit beati sanctitas,
Viri signorum claritas
Per orbem divulgavit,
Ad ejus nempe tumulum
Defunctum mater parvulum
Vivum recuperavit;
V. Quem tangebat infirmitas,
Sanum bovellus oculum
Exsultans reportavit.

3. O virtutum vas odorum,
Balde, felix Christicola,
Coetu gaudens in doctorum
Praemiatus aureola,
Pro salute servulorum
Precum libamen immola.
V. Gemma nitens, flos in florum
Pulchre vernans areola,
Recta via, norma morum,
Balde, coelestis incola.

Prosula.

1. Solaris consors luminis,
Coeli sidus, irradia
Interioris hominis
Nostri visens praecordia.

2. Exilis modulaminis
Accepta tu praeconia,
Quae tui pangit nominis
Haec in laude familia.

3. Nostri culpam peccaminis,
Balde confessor, expia
Precumque proli virginis
Pro nobis sacrificia
Immola.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctum fortitudine
Cum decore virtutum,
Coeli Baldum in agmine
Colamus constitutum.

2. Jam in conspectu jubilat
Beatae trinitatis,
Ubi splendore rutilat
Divinae claritatis.

3. Suscepit Dei dextera
Sibi compatientem
Et evexit ad sidera
Post se sic adhaerentem.

4. Cuncta nunc benedicite
Creata creatori
Melosque Baldo pangite,
Beato confessori.

5. Exutus carnis sarcina
Deum laudat in caelis,
Cui laudum modulamina
Plebs impendat fidelis.

Ad Benedictus.

A. Precis opem suffragio
Nobis, o Balde, porrige,
Rege stantes in stadio,
Culpa prostratos erige,
Tui, sacer opilio,
Mores ovilis corrige
Nosque te duce praevio
Pacis in viam dirige.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O praesul eximie,
Vas virtutum omnium,
Lochensis ecclesiae
Nobile depositum,
Balde, praeco Christi,
Adstanti memoriae
Tuae plebi gaudium
Da coelestis patriae,
Quod tibi per meritum
Ingens acquisisti.

„Regalis et collegiatae ecclesiae Sanctissimae Dei genitricis et virginis Mariae Lochensis, sanctae sedi Apostolicae immediate subjectae, Breviarium.“ Imp. Turonibus 1536. — Hymnen siehe Analecta IX, p. 81 sq.

20. De sancto Barnardo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest dies celebris,
Qua servus fidelis
Ab his migrans tenebris
Corruscat in caelis.

2. Peregrinus patriam
Obtinet coelestem,
Gloriae primariam
Ubi sumpsit vestem.

3. In nuptiis regiis
Decenter ornatus
Affluit deliciis
Supernis beatus.

4. Corde, lingua, manibus
Domum fabricavit
In locis coelestibus,
Quam inhabitavit.

5. O pastor egregie,
Adsis semper gregi
Commendans quotidie
Nos aeterno regi.

Ad Magnificat.

A. Magnificat animam
Deus sui militis,
Virtute mirificat,
Amplificat meritis,
Praemii glorificat
Deliciis abditis,
Secum cor laetificat
Barnardi antistitis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Collaudemus singuli
Divinam clementiam,
Qui Barnardo praesuli
Dedit tantam gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nobilis prosapiae
Tamquam vitae lignum
Barnardus Burgundiae
Dedit fructum dignum.

2. Super Sion positus
Jussa Dei praedicat,
Moribus compositus
Ut sol lucens emicat.

3. Deus, ejus gloria,
Hunc clamantem eripit
Et secum in patria
Exaltatum suscipit.

Responsoria.

1. Stirps Barnardum
producit nobilis,
Radix florem,
fructum flos utilis,
In quo Deus patet mirabilis,
V. Crescit puer simplex et humilis,
Virtutibus magnis laudabilis.

2. Avulsus a scholarum studiis,
Praesit in patris patrimoniis,
Summi patris haerens consiliis
V. Emit summa de rebus patriis
Et aeterna de transitoriis.

3. Factus miles impugnat vitia,
Monachorum fundat coenobia,
Vana mundi calcata gloria
V. Fit monachus tenens humilia,
Ad virtutum volat fastigia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbis, signis, actibus
Barnardum magnificat
Coram magnis regibus
Deus et mirificat.

2. Hunc Deus exaudiens
Perdidit mendaces,
Errorum aperiens
Laqueos fallaces.

3. Dei mirabilia
Videns in coelestibus
Omnia terrestria
Subjecit sub pedibus.

Responsoria.

1. Dum humilis latere nititur,
In abbatem invitus sumitur,
Hinc Viennae praesul efficitur;
V. Dum, quis fiat
praesul, discutitur,
Puer de hoc decennis loquitur.

2. Cum Barnardus in alto ponitur,
Esse bene nardus ostenditur,
Cujus mundus odore trahitur;
V. Solis jubar late diffunditur,
Per hoc caecus
error confunditur.

3. Beatus vir
post longum proelium,
Multiplicem
post fructum messium,
Sciens cursus
propinquum stadium,
Se praeparat,
ut sumat bravium,
V. Ut Rachelis assumat studium,
Romanense subit coenobium.

In 3. Nocturno:

Antiphonae.

1. Dei tabernaculum
Merito justitiae
Habet habitaculum
In aeterna requie.

2. Cordis desiderium
Tu das ei, Domine,
Cujus est judicium
Missa vox cum lumine.

3. Quod in montem Domini
Innocens ascendit,
Ordo junctus lumini
Desuper ostendit.

Responsoria.

1. Viri probat peringens meritum
Vox militem vocans emeritum,
Fragrans odor,
lumen viis praestitum:
Haec testantur beatum exitum.
V. Suscipiunt beatum spiritum
Laeti chori coelorum militum.

2. Dum thesaurus
occultus quaeritur,
Almi patris
sepulchrum frangitur,
Inde mirus odor egreditur,
Sancti virtus
suppressa panditur;
V. Salus membris
aegrotis redditur,
Barnardi laus
longe diffunditur.

3. Gaude, Romanensis ecclesia,
Tanti patris dotata gloria,
In te victor transit ad praemia,
V. Cujus te fundavit industria,
In te virtutum fit frequentia,
In corporis sancti praesentia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes nostras suscipiat
Vox in altis mirabilis,
Quas gratas Deo faciat
Barnardus, vir laudabilis.

2. Jubilate, jam jubilat
Deum videns in jubilo
Barnardus, cui laus rutilat
Dei lux absque nubilo.

3. Hunc suscepit dextera
Dei, quem sitivit,
Dans huic super sidera
Potum, quem cupivit.

4. Sacerdotes Domini
Deum benedicant,
Cujus laudes homini
Per Barnardum micant.

5. Laudent simul omnia
Dominum de caelis,
A quo sunt magnalia
Barnardi fidelis.

Ad Benedictus.

A. O decus Burgundiae,
Ambroniacensium
Fundator ecclesiae
Atque Romanensium
Et praesul egregie
Gregis Viennensium,
Devotae familiae
Per tuum suffragium
Impetres quotidie
Divinum auxilium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Solemnizet laetabundus
In Barnardi festo mundus,
Nostri sacri praesulis,
A valle fletus jucundus
Exit et a mundo mundus
Liber carnis vinculis,
Regnat meritis fecundus,
Fontis vitae sitibundus
Sociatur poculis.

Brev. ms. Brivatense saec. 15. (Privatbesitz) A. — Brev. ms. Deense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. B. — Brev. ms. Deense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. C. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). D. — Brev. S. Barnardi in Romanis imp. Romanis 1518. E.

In 1. Vesp. beginnen Ad Magn. BC; die fünf **AA** super Psalmos in 2. Vesp. C. — Ad Magn. **A**, 5 Praemiis A. — Invit., 4 Tantam dedit B. — In 1. Noct. **A** 1, 2 vitae fehlt A. — In 2. Noct. **R** 1, 6 de hoc deormus loquitur A. — In 3. Noct. **A** 3, 1 Quid in A. — **R** 1, 6 Laeti chori angelorum A. — **R** 3, 6 In fehlt A. — In Laud. **A** 5, 4 Bernhardi de coelis A; der Name wird in ABC stets Bernhardi geschrieben. Ich behalte die Form Barnardi nach E bei zur besseren Unterscheidung.

21. In Octava s. Barnardi.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, Lugdunum, praesulis
Barnardi festi gaudio,
Quem cum virtutum titulis
De tuo territorio
Mittis Viennae populis,
Omni dignum praeconio.

Ad Magnificat.

A. Gaude, parens alta prosapia,
Tantae prolis refulgens gloria,
Monachorum
prorumpant gaudia,
Viennensis plaudat ecclesia,
Sed tu magis, Romanis, grandia
Sancti tui agens solemnia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt sanctissimi
patris solemnia,
Laudet et jubilet
nunc haec ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lugdunensem provinciam
Valde Barnardus extulit,
De qua ducens originem
Fructus beatos protulit.

2. Alta natus progenie
Virtutibus dum emicat,
Genus suum quam nobile
Plus et plus sic magnificat.

3. Felix haec nobilitas,
Quae virtutum florem
Profert sui nominis
Reddentem odorem.

Responsoria.

1. Ex illustri natus prosapia,
Mundi sanctus declinans vitia,
Totum transfert cor ad coelestia
Ex Dei gratia.
V. Mundi divitias, carnis delicias
Generis gloriam, spernit et curiam.

2. Inter mundi fulgentem gloriam
Et Karoli regalem curiam
Servat sanctus cordis munditiam
Et conscientiam.
V. Extra mundi portans imaginem
Intus sanctum gerebat hominem.

3. Felix miles,
qui vanum saeculum
Sic contempsit,
ut esset speculum
Sanctitatis
atque spectaculum
Morum cunctum
illustrans populum.
V. Ut coelum ornant sidera,
Sic hunc virtutum opera.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic mundum dum considerat,
Intrat in monasterium,
Quod prius ipse fecerat
Monachorum refugium.

2. Perfectionis culmine
Universos exsuperat,
Quos sub Maria virgine
Jam ante congregaverat.

3. Voto communi omnium,
Quibus gratus efficitur,
Licet invitus nimium
In abbatem extollitur.

Responsoria.

1. Mundi caute timens contagia,
Quae mundi sunt, reliquit omnia,
Manum mittens ad claustri fortia,
Christi vestigia.
V. Omne saecli disrumpens vinculum,
Regi Christo se dat in famulum.

2. Claustralis factus humilis
Et vas virtutum omnium
Et gratia mirabilis
Cunctis fit in solatium;
V. Cunctis gratus cunctos laetificat,
Cunctis placet, cunctos aedificat.

3. Domus hujus, quam ipse fecerat
Et maximis donis dotaverat,
In qua fuit ipse discipulus,
Pater abbas fit Dei famulus.
V. Felix habens tu, Ambroniacum,
Talem patrem et talem monachum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex abbatis officio
Mire fuit vocatus,
Puerili indicio
Ad culmen praesulatus.

2. Factus praesul sollicite,
Quae sunt praesulatus,
Exsequitur assidue
Digne vir beatus.

3. Romanis aedificat
Locum requiei,
Quo tumultus fugiat
Homo sanctus Dei.

Responsoria.

1. Pontificis ascendens culmina
Sancte vivit, expugnat crimina
Et commissar eformat agmina,
Nulla sanctum frangunt discrimina.

V. Nocte coeli perlustrans lumina
Die terris dat vitae semina.

2. Granum exsussum palea
Nexu solutum luteo
De mundiali area
Coeli locatur horreo.

V. O cum quanto receptus gaudio
In doctorum fulget consortio.

3. Gregem tuum, pastor egregie,
Festum tuum colentem hodie
Tuis sanctis defende precibus
A malorum cunctis incursibus,

V. Ut sub tuo nunc patrocinio,
Tuo tandem sit in consortio.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Adest dies memoriae,
Qua Barnardus mirificus
Transit ad regem gloriae,
Civis effectus coelicus.

2. O cum quanta laetitia
Receptus est in caelis,
Cum de mna lucra varia
Reportat vir fidelis.

3. In terris in modicis
Gerens se fideliter,
In coelis in maximis
Ascendit sublimiter.

4. Felix iste · · · · · ·,
Quem Christus, quando venit,
Super gregem suum sollicite
Vigilantem invenit.

5. Laus Deo sit pro tali famulo,
Quem laudandum a suo populo
Christus fecit in omni saeculo.

Ad Benedictus.

A. Transit praesul ad coeli solium,
Dux ad sceptrum,
cursor ad bravium,
Mors in vitam, labor in otium,
Praesens cedit
luctus in gaudium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O praesul eximie,
Norma sanctitatis,
Pietatis vasculum,
Homo veritatis,
Tua per suffragia
Veniam peccatis
Et vitam in gloria
Praesta cum beatis.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. Romanis 1518.

22. In Translatione s. Barnardi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Congaudeat ecclesia
Summa cum devotione,
Laeta psallens praeconia
Barnardi translatione.

2. Vivens in mundo fundavit
Templum istud mirifice
Et locum amplificavit
Adjacentem magnifice.

3. O Barnarde, pastor pie,
Aperi tuos oculos,
Respice nos hodie
Ad te clamantes famulos.

4. Sicut miles arma sua
Custodit a rubigine,
Sic, Barnarde, ossa tua
Praeservas a putredine.

5. Nam Reinaldo praecepisti
Corpus tuum exhumari
Nec non illud mandavisti
Honestius collocari.

Ad Magnificat.

A. Puerum suum suscepit
Israel devotissime,

Dum Barnardi corpus cepit
Redolere dulcissime:
Omnes ergo voce pia
Decantemus Alleluja.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Translatus est in gloria
Pastor noster, Alleluja.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Ad laudem tui nominis
Barnardique sit haec dies,
Christe, pater, fons luminis,
Cunctorum conditor qui es.

2. Dum thesaurus occultus quaeritur,
Puerilis manus conteritur,
Vino sacro post haec adspergitur
Et illaesa per cunctos cernitur.

3. In die translationis
Sanitatis obsequia
Data pluribus personis
Sunt divina potentia.

Responsoria.

1. Visione multis apparuit
Sacer praesul lapsis temporibus,
Ipsos quoque dulciter monuit
Pro levandis ipsius ossibus.

V. Finaliter uni de fratribus
Beatus vir comminatus fuit.

2. Romanensis populus gaudeat
Videns patrem suum exaltatum
Et patronum sibique studeat
Exhibere dignum famulatum.

V. Sacerdotum sidus irradiat.
Quis est homo, qui nunc sufficiat
Exhibere dignum famulatum?

3. O Barnarde, pater egregie,
Ad te puris spiramus cordibus
Rogantes, quod conserves hodie
Locum tuum cum habitantibus.

V. Festum tuum devote colimus,
Ut gubernes semper, deposcimus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Indutus fortitudinem
Contra malignos spiritus
Dat odoris dulcedinem
Barnardus, praesul inclitus.

2. Servite in laetitia
Barnardo, nostro praesuli,
Ut impetret cum gratia
Salutem sui populi.

3. In terra deserta fuit,
Invia et inaquosa,
Et per tempora latuit
Margarita speciosa.

4. Benedicite omnia
Opera Dei Domino,
Qui Barnardum in gloria
Posuit sine termino.

5. In hoc festo tuba cum tympano,
Psalterium, chorus cum organo
Et cithara resonent vocibus
Cum cymbalis bene sonantibus.

Ad Benedictus.

A. Jusjurandum, quod juravit,
Hunc se locum servaturum,
Usque nunc ipse servavit
Et servabit in futurum,
Si pro posse honoremus
Eum in hac ecclesia;
Ergo, fratres, nunc clamemus
Simul omnes Alleluja.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Cum Barnardus in alto ponitur,
In brachio fecit potentiam
Deus, salus aegris impertitur,
Ad praesulis laudem et gloriam,
Et beatum perenniter omnes
Dicunt ex hoc generationes.

Brev. S. Barnardi in Romanis imp. Romanis 1518.

23. In Translatione s. Benedicti.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilectus Dei Mummolus,
Pastor gregis Dominici,
Amicus coeli civibus,
Ut transferret in Galliam
Patris Benedicti glebam,
Divinitati placuit,
Qua admoneri meruit.

2. Inter ceteros igitur,
Quos normali imperio
Dogmate fovebat sacro,
Quidam Aigulphus nomine,
Flos candens innocentiae,
Pollebat privilegio
Disciplinae monasticae.

3. Hunc pater ille Mummolus,
Ut meruit oraculo
Edoceri divinitus,
Direxit ad Italiam,
Beneventi provinciam,
Quae tunc patris corpoream
Retinebat praesentiam.

4. Tandem perveniens ad oppidum,
Quod incolae vocant Casinum,
Prostratus orabat ad Dominum,
Qui visionis auctor fuerat,
Monstrari sibi thecam placeat
Thesauri sui, quem promiserat.

5. Intuens annosus homo
Hunc explorantem sedule:
Si, inquit, fidei meae
Tuam placet committere,
Puto me ocius dare
Finem tuae solertiae.

6. Tanti secreti conscius
Ille senex angelicus
Huic inquit: vigil lectulo
Primo noctis crepusculo
Splendore notabis locum,
Ubi tui reperias
Laboris desiderium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Personae senilis fidem
Vir Dei probans stabilem,
Visionis historiam
Et tanti laboris viam
Beato seni texuit
Et promissionis memor,
Ut fieret, obtinuit.

2. Cordis amore credulus
Senis promissionibus
Noctem pervigil excubat,
Precibus coelum penetrat,
Hinc sanctorum reliquiae
Claro monstrantur jubare.

3. Nondum sol per orbem suos
Coelo fundebat radios,
Aigulphus venerabilis
Ovanter locum adiit,
Cujus notator extitit,
Coelorum regi jubilat
Reperto, quod quaesierat.

4. His inventis vir Domini
Latus apertum loculi
Sancto thesauro vacuat,
Quem texta palmis sportula
Includit, quam paraverat,
Mox magno cum tripudio
Pede fertur retrogrado.

5. Jam securi pacifice
Fines intrabant patriae,
Insinuatur praesuli
Furto felices insequi,
Coelesti mox oraculo
Moras vetantur nectere
Potiti desiderio.

6. Cumque ministri Domini,
Reliquiarum geruli,
Ut coelitus didicerant,
Romanum papam fugerent,
Divinitas hos protegit,
Hostes tenebris abigit;

Intrant securi patriam.
Adventum patris nuntiant
Laetificantes Galliam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gloriosus Christicola
Rediens ab Italia
Cum thesauro, quem repperit,
Gallias ovans rediit,
Patrem Mummolum repetit
Gestans sanctorum corpora,
Gallis aeterna gaudia.

2. Facti hoc imperio
Securi Dei famuli
Ab hostium periculo
Amoenis tandem floridi
Requiescunt praedioli,
Quod Bonodium dicitur,
Aurelianensis pagi.

3. Ecce, privatus lumine
Ab utero matris suae
Interpellat sanctissimum
Dum Benedicti meritum,
Caecitatem deseruit,
Solem cernere meruit
Orans: sancte, propitius
Adesto nostris precibus.

4. Infertur quidam languidus,
Nervis membrorum perditus,
Poscens Dei auxilium
Per Benedictum famulum;
Cujus ut sportam attigit,
Gaudens in pedes constitit,
Hinc benedicit sedulus,
Per quem sibi est redditus.

5. Procedens pater Mummolus
Obviam sanctis ossibus
Cum monachorum agmine
Et sacro plebis ordine
Laudum Deo praeconia,
Dat Benedicto cantica,
Per quem juvari poscimus
Suis ovantes laudibus.

Brev. ms. Tutelense saec. 11/12. Cod Parisien. 1256. A. — Brev. ms. S. Petri de Cultura saec. 13. Cod. Cenomannen. 188. B. — Brev. ms. Sammaglorianum saec. 15. Cod. Mazarin. 346 (767). C. — Brev. ms. Nobiliacense saec. 15. Cod. Burdigalen. 85. D.

Nur die Antiphonen der Nocturnen (mit Ausnahme der vierten und der Antiphon ad Cantica) und der Laudes bewegen sich im jambischen Dimeter und bilden zusammen eine fortlaufende Erzählung; die anderen Teile des Officiums sind in Reimprosa abgefaſst, die in der zweiten Nocturn sich der gebundenen Redeweise stark nähert. Das erste Responsorium enthält z. B. unter 9 Zeilen 6, das zweite unter 7 Zeilen 2, das dritte unter 9 Zeilen 5, das vierte unter 8 Zeilen 5 jambische Dimeter. Der Inhalt der dritten Nocturn bezieht sich zu vier Fünfteilen gar nicht auf die Translation, das letzte Responsorium ist sogar dem Officium des Hauptfestes entlehnt, weshalb nur die Antiphonen hier wiedergegeben sind. — In 1. Noct. A 2, 2 Quod normali A. — A 4, 2 incolentes A. — A 6 = A 1 Noct. 2. BC. — In Laud. A 4, 1 Infectus quidam A. — A 4, 2 perditis A.

24. De sancto Bertrando.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laudibus exsultet
coelum mundusque resultet,
Cantica Bertrandi
festiva dies canit anni.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum
plebs omnis voce sonora,
Magnificet Dominum
sanctorum turma canora,
Cum quibus, alme pater,
pro nobis omnibus ora.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sanctorum regem
trinum veneremur et unum
Ut pastor gregem
revocans conservet in unum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impia consilia
vitans actusque malorum,
Felix mente pia
sectando exempla bonorum
In Domini lege
meditatur nocte dieque.

2. Supra Sion montem
tu rex a rege statutus
Te geris insontem
Domini praecepta secutus.

3. Contra te datur
hostis et multiplicatur,
Susceptor clipeus
tuus ipse Deus.

Responsoria.

1. O quam glorifica
Bertrandus luce corruscat
Et quam magnifica
plebs ejus laude resultat;
V. Nos prece mirifica
Deus ejus in astra coronet.

2. Plebs devota Deo
laudes attolle canendo,
Dic tua vota Deo
Bertrandi festa colendo,
V. Ut te ducat eo
salvet et ipse regendo.

3. O pie confessor,
a nobis saepe vocatus
Sis intercessor
nostros solvendo reatus,
V. Coeli possessor,
coelum largire rogatus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te pater orantem
Deus audit teque vocantem
Lumine signavit,
te signis magnificavit.

2. Scuto virtutis
tegit hunc galeaque salutis
Christus, ut antiquum
procul expellat inimicum.

3. O quam mirandum
nomen Domini venerandum,
Qui meritis donat,
hunc coelo laude coronat.

Responsoria.

1. Dulcia corde pio
resonemus cantica Christo,
Munere propitio
mundo nos servet in isto,
V. Post vitae cursum
perducat ad aethera sursum.

2. Gemma sacerdotum,
populum nunc respice totum,
Qui se devotum
reddit, fac crimine lotum,
V. Hostibus ignotum
coelestibus exhibe votum.

3. Sanctus Bertrandus,
clemens, dulcisque benignus,
Prudens et justus,
fortis, mitisque modestus,
V. Solvat vincla reis
et reddat lumina caecis,
Infirmos sanet
cunctisque petita ministret.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui maculas nescit,
virtutum culmine crescit,
Lumine clarescit,
in sancto monte quiescit.

2. In virtute tua
se rexit rexque vocatur,
Qui, Deus, assidua
prece nos regat ac tueatur.
3. Hic manibus mundus
et mundo corde jucundus
In montem ascendit,
nobis sua dona rependit.

Responsoria.

1. Confessor Domini
claris natalibus ortus,
Cujus sermo bonus,
bonus actus, pura voluntas,
Assidui mores
signantur nobiliores;
V. Hinc claustrum petiit,
mundum cum flore reliquit.
2. O felix pastor,
servos audi famulantes
Erige lapsos, corrige pravos,
dirige justos,
V. Omnia pelle mala,
cuncta precare bona.
3. Inclite Bertrande,
vitae meritis venerande,
Mente Deo carus
et mundo sanguine clarus,
Plebs tibi devota
sua gestit promere vota,
V. Pro cujus venia
tu prece posce pia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnavit Dominus,
semper regnabit in aevum,
Qui regnare facit
sanctum virtute decorum.
2. Omnis terra Deo
jubilet, qui cuncta creavit,
Lumine sidereo
qui sanctum glorificavit.
3. Ad te de luce
vigilat, Deus, hic fide dignus,
Quo largire duce
nobis aeterna benignus.
4. Coelorum Domino
benedicite, coelica cuncta,
Cunctorum Domino,
benedicite cetera cuncta.
5. Coeli coelorum
laudent et virtus eorum
Sanctum sanctorum
donantem regna polorum.

Ad Benedictus.

A. Israel est dictus
Deus et Dominus benedictus,
Qui primo fecit,
post nos redimendo refecit;
Bertrandi meritis
det nobis dona salutis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pie, nos serva,
cui psallit juncta caterva,
Hostes enerva,
nos protege nosque guberna.

Brev. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 74. A. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. B.

Ad Matut. Invit. 3 sq. Pro pastore gregem reuctans A. — In 1. Noct. **A** 3, 4 tuus ipse tuus A. — In 2. Noct. **A** 2, 2 tegat A. — In 3. Noct. **R** 2, 3 lapsos corrige fehlt A.

A hat vor den Lektionen der ersten Nocturn folgendes in rubro: „Incipit vita sancti Bertrandi episcopi ad instantiam Dompni Jacinti, sacrosanctae Romanae ecclesiae diaconi Cardinalis, et mandatum Dompni Guillelmi, archiepiscopi Auxitani, nepotis ejusdem sancti, edita tempore Sancti Alexandri papae a magistro Vitale, notario apostolicae sedis, qui de provincia Auxitana oriundus fuit; vitam et miracula beati confessoris ex relatione dicti

archiepiscopi et ab aliis, qui eum viderunt in ecclesia sua et plene noverunt gesta ipsius, et a fratribus Scalae Dei, Cisterciensis ordinis, quae scripsit, se asserit veraciter et fideliter accepisse.“ Ob wir in dem Verfasser der Vita auch den Dichter des Officiums zu suchen haben, bleibt ungewifs.

25. De sancto Bertulpho.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Bertulphe,
Confessor Domini venerande,
Cui pro vitae merito
Illuxit columna ignis
Incensa de coelo,
Exora pro tuis
Christum famulis.
Ut nos suis
Condonet amicis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voce pari regem
laudemus cuncta regentem,
Qui superis castris
Bertulphum junxit in astris.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Prodiit ex Hunnis
Bertulphus uti rosa dumis,
Nam patre gentili
genitus nec matre fideli,
Ad fidei portum
genuinum transtulit ortum.

2. Amplectens Abrahae
sacri exemplum patriarchae
Ad loca Francorum
transiit de sede suorum,
Fonte salutari
quo possit eo renovari.

3. Fluminis in lavacro
purgatus pneumate sacro
Detonsisque comis
pro causa religionis
Regis amat veri
cultor studiosus haberi.

4. Egerat Archatum
dux Wambertus Morinorum
Bertulphumque sibi
sociavit amore fideli
Oeconomum clarum
rerum statuendo suarum.

5. Daemonis accensi
quidam livore maligni
Principis in facie
jaciunt mendacia mille
Ejus et expensum
male fingunt a patre censum.

6. Actio nota patris
ne forte pateret iniquis,
Panis adest lignum,
pallescit ut unda Falernum
Glorificante suum
coelesti numine sanctum.

Responsoria.

Ergo stupenda viri
nimium miracula sancti
Aemula turba sacros
cujus dum prodidit actus,
Vina imitantur aquam
panis lignique figuram
Ordine naturae
coelestia jura stupente.
V. Quid ferat in gremio,
monstrare jubetur ab hero,
Ecce per altithronum
species patet altera rerum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic bonus athleta
stabilitus mente quieta

Servat equos pratis,
dum nocte et imbribus atris
A pluviae guttis
aquilae defenditur alis.

2. Egregium dictu,
nimii splendoris in ictu
Ante patrem clarus
radiavit ab aethere pharus,
Per cujus radium
fertur legisse libellum.

3. Comperiens sanctum
Wambertus glorificatum
Lucis ad adspectum,
quia desuper alite tectum,
Pergit adire virum,
quem suscepit peregrinum.

4. Promeruit vere
vir clarus et ipse videre,
Luce pater quali
steterit sub turbine tali,
Corpore curvato
prosternitur ecce beato.

5. Sanctus Wamberto
replicat sermone diserto,
Quod Christi causa
migrarit sede paterna
Atque fide sana
contempserit idola vana.

6. Bertulphum donans
princeps et rebus honorans
Haeredem carum
firmaverat ecclesiarum,
Cultu praestanti
quas constituit dominanti.

Responsoria.

Lumine dum phari
meruit pater irradiari,
Et codicem solvit,
vitae quo verba revolvit,
Stat pernix aquila
crispanti desuper ala
Imbres arcendo
sanctum caput atque tegendo.

V. Horrida tempestas
hiemes dedit undique maestas,
Illi sub forma,
Johannes qua petit astra.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Talibus ex factis,
Christi virtute peractis,
Gloria Bertulphi
crevit per compita regni
Oblectans cunctos
fidei signamine functos,
Omnia servanti
quare sit doxa tonanti.

Responsoria.

O pater insignis,
virtutibus aucte benignis,
Te pie poscentes
audi, Bertulphe, clientes,
Cum Christo civis
quia summus in aethere vivis,
Qui secum clare
statuit te glorificare,
Quapropter cantum
pius accipe te modulantum.

V. Te patriarchatus,
te colligit ille senatus,
Qui Sanctus Domino
semper canit ordine miro.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Omni Bertulphus
virtutum laude probatus
Suscipit ecclesias
prece Wamberti moderandas,
Firmo jure quidem
sibi dux quas contulit idem.

2. Praelatus vero
tanto reverenter ab hero

Non formidari
sed plus quaesivit amari
Et cura vigili
deico praesedit ovili.

3. Fortis agonista,
dum carne manebat in ista,
Pulcher erat vultu
virtutis et undique cultu
Actibus atque bonis
trivit caput ipse draconis.

4. Is ubi jam sciret,
quia finem carnis obiret,
Divinis epulis
obdulcans intima cordis,
Corpore transivit,
Christum gaudenter adivit.

5. En pater elatus
coeli super alta beatus
Gaudet cum Domino
sine termino temporis ullo,
Audit et ex astris,
qui se venerantur in arvis.

Ad Benedictus.

A. Coelicolas hodie
meruit Bertulphus adire,
In Christi dextra
ceu stella nitens matutina.
Coelestis valvae
nunc praecluis incola, salve,
Mente simul tota
quae fundimus, accipe vota,
Ut sanctae triadi
nos conciliesque monadi.

Brev. ms. Blandiniense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 29253. — In jeder Nocturn nur ein **R.** in Versen, die übrigen in Reimprosa gleich der **A** ad Magnificat.

26. De sancta Bilhilde.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, gemma mulierum,
Radix sancta, semen verum,
Favus, uva, dulcor mellis,
Universas tu praecellis.

2. Bilhildis pia, nobilis
Et regalis sobolis,
Loci sancti monialis,
Cujus idem stat sub alis.

3. Francorum de genere
Talis re et nomine
Affectabat vivere
Felici sub omine.

4. Haec in laudem salvatoris
Universis suis horis
Expandit vires animae,
Sursum sunt potentiae.

Ad Magnificat.

A. Te magnificantes
collaudemus Dominum,
qui respiciens humilitatem
Bilhildis, ancillae tuae,
Ei gratuito praestitisti munere
candidam baptismi stolam
ante tuum tribunal
immaculatam perferre,
Ut aeternam mereamur
in coelis vitam habere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Templum sanctum hoc intrantes
Te in ipso venerantes,
Rex pie, exaudi Domine.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beata in trivio
Jens, sedens stadio,
Juncta Dei filio
Proprio principio.

2. O quam pulchra, nobilis,
Casta, verecunda,
Ut in astris lucifer
Fulgens semper munda.

3. Ejus cordi viluit
Mundus hic immundus,
Christum mente induit,
Qui est pure mundus.

4. Quanto sese deprimebat
Humilis nobilitas,
Tanto magis elucebat
Nobilis humilitas.

5. Plura loca dotat sancta,
Inter quae praecipuum,
Cui donat se in tanta,
Vetus monasterium.

6. Baro magnus in hanc votum
Offert se et sua totum,
Nihil flectit hanc invitam,
Donec patris sors fert vitam.

Responsoria.

1. Bilhildis clara, nobilis,
Tota lux spectabilis,
Cujus caro, cor et vita
In excessu exquisita,
V. Pulchra nimis et decora,
Salva tuos sine mora.

2. Haec est illa, quam rigavit
Fons divinus, dum perflavit
Auster hortum pietatis,
Rosa, junge nos beatis;
V. Benedicta mulierum,
Contemplaris Deum verum.

3. Tu es illa Salomonis
Veri nata, quae in thronis
In vestitu deaurato
Jam conregnas Dei nato.
V. Audi, domina, et vide
Et inclina aurem tuam.

4. Mater larga loci
nostrae modulamina voci
Imprime devota,
clementer suscipe vota,
Pro meritis gaudes,
cantant coeli agmina laudes.
V. Coeli regina,
mentis dulcedo, rosina.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Defuncto patre filia
Virginitatis lilia
Quoad se non mutat,
Sed mater meticulosa
Imperat, quod rubens rosa
Hoc votum commutat.

2. Cum esset jam tenera
Sub annis juvencula,
Detestatur munera
Maris ut sponsalia.

3. Status demum conjugalis
Adfuturus salutaris
Fructum fert eximium
Per hoc dotalitium.

4. Celebratis nuptiis
Fluit parum temporis,
Regionem deserit,
Casu conjux interit.

5. Quae fulgens castimonia,
Ob viri copulam ingemuerat,
A peste mox curatur,
Qua misere languerat;
Paucis quippe hic diebus
Lapsis moritur,
Sed Dominus ignivit
Cor ejus incendio
Ardentissimae caritatis.

6. Sancta praeconia recolentes
Beatae Bilhildis
Nostrae prosequuntur voces
Cum jubilo laudis.
O alma Christi famula,
Choris coelestibus juncta,
Supernorum civium amica,
Sanctorumque omnium socia,
Intercede ad Dominum
Pro nobis,
Ut tecum mereamur
Adscribi in coelis.

Responsoria.

1. Flavit auster, dum Bilhildim
Castitatis vas elegit.

Et peregit militare
Caste sancto flamini,
Liquefecit et refecit
Resolutam funditus
Verbum missum coelitus.
V. *Fluminis impetus civitatem Dei laetificat.*

2. Aestimari quidem nequit,
Quae Bilhildis jugiter
Supra modum intus egit
Cuncta ferens suaviter.
V. Trinitati lux perennis,
Laus et jubilatio,
Ubi ejus habitatio.

3. Francorum fulget gloria
In coelesti curia
Bilhildis, dux eximia,
Nobili prosapia,
Et quanto natu altior
Tanto vita sanctior.
V. Nobilitas a Deo
rationis, exit
Causa haec fuit, quare
mare se reflexit.

4. O mater nostra
Bilhildis locum requiei,
Quem possedisti,
quod praestet gratia Christi,
Obtineas genti
te puro corde colenti,
V. *Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit.*

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Gaude, coelestis curia,
Bilhilde laeta socia,
Cum qua in throni socio
Laudas patrem cum filio.
V. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, pater, verbum et spiritus sanctus.*

2. Recordare, mater et patrona,
Ut loquaris pro tuis bona,
Quae praesentata es praesentiae
Filii Mariae.
V. *Eloquium tuum dulce commendet nos gratiae filii.*

3. Vide ad nostra piacula,
Bilhildis, nostra patrona,
Quibus mors est jam vicina,
Licet hora dubia.
Adfuturum redemptorem
Credimus in tempore,
Quem digneris mitigare,
Dum sumus in corpore.
V. Eja, mater gratiosa,
Tu quae mitis et formosa
Super omnes es puellas,
A te nunquam nos repellas.

4. O mater nostra,
ter sancta quaterque beata,
Cum prece devota
famulantum suscipe vota,
V. Jam Christo juncta
sponsoque tuo sociata.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Laude Deo debita
Celebremus inclita
Bilhildis solemnia,
Quae nata ex Franconia
Jubilat in patria.

Ad Benedictus.

A. Dulcedo festi coelici
Nec linguis explicari
Nec ratione conjici
Nec potest aestimari;
Visibilis hic deitas,
Plenitudo bonorum,
Hic omnium satietas
Abundat gaudiorum.
Istic Bilhildis prospere
Gaudet inthronizata
Sponsoque Jesu foedere
Perenni copulata.

Te deprecamur cernui,
Piissima patrona,
Impetra nobis perfrui
Tecum coeli corona.

Nobilior fide Christi,
Contempsit mundi gloriam
Meruitque obtinere
Coelestis sponsi gratiam.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Quasi stella matutina,
Quam illustrat lux divina,
In conventu cum concentu
Bilhildis coelestium
Gaudet luminarium.

Ad Tertiam.

A. Nobili de genere
Sancta Dei Bilhildis,

Ad Sextam.

A. Quae dum pia mente
Oleum sumpsisset,
Sponso cum prudentibus
Obviam exivit.

Ad Nonam.

A. Circa horam nonam
fidenter exspirat,
Margaritam bonam
sursum secum gyrat.

Brev. ms. Veteris Monasterii saec. 16. Cod. Maguntin. 96. — In 2. Noct. **A** 3, 1 status convivalis Hs. — **A** 5, 1 Aue fulgens Hs. — **R** 3, 8 exit rationi Hs. — In 3. Noct. **A** ad Cantica dieselbe wie In 1. Vesp. ad Magn. — In Laud. Super Ps. **A**, 1 Laudem Hs. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** dieselbe wie ad Bened. — Einige wenige Bruchteile dieses Officiums bietet auch die Kölnische Handschr. 28. ein Gebetbuch des 15. Jahrhunderts.

27. De sancto Blaano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Psalmorum modulos,
devota cantica,
Plebs laetis mentibus
pangat catholica
Die, quo transtulit
ad regna coelica
Blaani spiritum
phalanx angelica.

Ad Magnificat.

A. Salve gemma
coelestis gratiae
Dumblanensis
praesul ecclesiae,
Salve decus
et robur patriae,
Juva nos in
valle miseriae
Ducens tecum
ad montem gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christus adoretur,
jubilus corde cumuletur,
Quo sunt praecipua
festa, Blaane, tua.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Legem Dei meditatur,
Cujus prece suscitatur
Defunctus, qui sequebatur
Ipsum, donec viveret.

2. Dum ignem exstinguerat
livor malignorum,
Puer flatu confovet
summum digitorum,
Mox scintillae saliunt,
lumen fert in chorum.

3. Vere virtute praeditus,
Cujus coxit anhelitus
Piscem crudum, quem monitus
Tulit ales divinitus.

Responsoria.

1. Dies ista laudibus
expendatur tota
Ad honorem pracsulis,
quem produxit Bota,
Cujus tot virtutibus
gaudet plebs devota.
V. Digitis ignem traxit,
Piscem crudem matri coxit
Flatu sacer parvulus.

2. Senex venerabilis
Cathanus laudabilis
Aetate tenerum
doctrinis imbuit
Et mores docuit
Blaanum puerum
V. Profectu spiritus
et casti corporis
Explevit spatium
mox multi temporis.

3. Lampas ardoris,
vas lucis flosque pudoris,
Moestis solamen
praebens aegrisque juvamen,
Stella micans tenebris,
precibus mala dilue crebris,
V. Fac cordis sanae
fiant plagae, sancte Blaane.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fide stat solidus,
non corde duplici,
Defunctum suscitat
a morte triplici.

2. Pavit mirabili
messores pabulo
Mentis et corporis
dans cibos populo.

3. Secundus Moyses
petram percusserat,
Fons statim scaturit,
plebem refrigerat.

Responsoria.

1. Puer navicula
contexta vimine
Cum matre ponitur
absque solamine,
Sed pio regitur
divino numine.
V. Mater cum parvulo
fretum abhorruit,
Nam remis, remige
et velis caruit.

2. In hoc sancto Dominus
docet revereri
Omnes suos servulos,
quos habet tueri,
Qui quandoque pii sunt,
quandoque severi.
V. Mox ictu fulminis
prostrati corruunt,
Qui vaccas praesulis
injuste rapiunt.

3. Dum rediret peregre
vir Deo devotus,
Filium resuscitat
regis pie motus,
Vitam, visum, speciem
reddens orat totus.
V. Laudetur Dominus
in cunctis populis,
Per quem Blaanus tot
fulget miraculis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fidem, mores instruens
Christi dilatavit
Cultum et, quod docuit,
signis confirmavit.

2. Aureo candelabro
ut lucet lucerna,

Sic Blaanus micuit
sitiens aeterna.

3. Columna marmorea
basi stans argenti
Fuit ejus castitas
cum fide ferventi.

Responsoria.

1. Gulosos damnat saeculi
Per disciplinam vituli,
Cui cum signum apposuit
Crucis, statim abstinuit,
Contentus semel sugere,
Docens nos parce vivere.

V. Sic columna stabilis
fulsit dei templum,
Vitae bonae posteris
relinquens exemplum.

2. Ignis mirificus,
ducens populos in amorem,
Piscis, apri, cervi
cunctis dant signa stuporem;

V. Hinc resonent psalmi
meritis antistitis almi.

3. O felix transitus
Blaani praesulis,
Bota nunc jubilet
prae cunctis insulis,
Quae talem protulit
concivem angelis,
Quo domus Domini
fulget miraculis.

V. Jesu, nos adjuva
Blaani precibus,
Offensas diluens,
ditans virtutibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes Deo debitas
devote reddamus,
Qui Blaani praesulis
festa celebramus.

2. Virum sanctum praedicans
livor novi fontis,
Signo satis obstupens
plebs monocerontis.

3. Mente vigil, corpore
dormiens ut leo,
Orans, psallens, praedicans,
sic adhaesit Deo.

4. Benedicant Dominum
omnes creaturae,
Dum pro sanctis singulae
mutant vim naturae.

5. Prosint nobis merita
beati Blaani,
Per quem aegri duplici
morbo fiunt sani.

Ad Benedictus.

A. Jesu dulcissime,
preces considera
Blaani praesulis,
non nostra scelera,
Ejus da meritis,
ut mens, vox, opera
Tecum nos collocent
in parte dextera.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ardens, lucens, eminens,
lampas castitatis,
Alme praesul, oleum
praebe pietatis,
Lumen praebe gratiae
sanans a peccatis,
Duc nos ad perpetuum
regnum claritatis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — In 1. Vesp. Ad Magnif. **A**, 4 praesul fehlt. — Ad Matut. Invit. 3 sq. Quo sunt praecipue festa Blaane. — In 1. Noct. **A** 2, 1 exstinguerit. — **A** 3, 1 virtute est. — **R** 3, 8 fuit plagae. — In Laud. **A** 2, 4 monocerontis (sic). — **A** 5, 1 Proposuit nobis. — Ad Bened. **A**, 7 collocet. — Ad Magn. **A**, 5 gratia.

28. De sancto Bonito.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Confessor Domini, Bonite,
adstantem plebem corrobora
sancta intercessione,
Ut, qui nostrorum
pondere premimur,
Tuae beatitudinis
meritis sublevemur
Et te duce aeterna
praemia consequamur.

Ad Magnificat.

A. In transitu incliti
Patris Boniti
Coeli nobilitantur gaudiis
Et nos prosequamur laudibus.
Ave, praesul inclite,
Ave, Dei amice,
Concilia nobis regem nostrum,
Qui te nobis providit patrem pium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite demus ei laudes,
quem laus decet omnis,
Per quem Bonitus
bonitate fuit redimitus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus iste legi Dei
insistendo floruit,
Vitae fructus instar ligni
salutaris protulit.

2. Sanctitatis in timore
servivit altissimo,
Cujus monte cum sanctorum
nunc gaudet collegio.

3. Vana sprevit corde puro
ambiens coelestia,
Templum Dei salutare
factus atque hostia.

4. Gloriose coronatur
Tuus, Christe, vernula,
Quia tibi voluntate
Adhaesit mundissima.

5. Ore, mente benedixit,
Christe, tuo nomini,
Qui ubique populorum
Haberis mirabilis.

6. Aequitatem amplectando
sectator justitiae
Ad coelorum tendens regna
migravit feliciter.

Responsoria.

1. Vir electus sanctitate,
Bonitus et nomine,
Genus altum, quo processit.
extulit egregie,
V. Summi patris factus haeres
adoptivus gratiae.

2. Matris alvo clausus infans
Deo notus pontifex,
Ut sacerdos salutatur
a quodam pontifice,
V. Velut alter Jeremias
sacratus ab utero.

3. Votis cunctorum favente
divina clementia
Ex praefecto insignitur
praesulatus infula,
V. Reddens Deo, quae sunt Dei,
Caesari, quae Caesaris.

4. Bonite, Christi confessor,
audi rogantes servulos
Et impetratam coelitus
tu defer indulgentiam.
V. O sancte Bonite,
Sidus aureum,
Domini gratia
Servorum gemitus
Solita suscipe
clementia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dolo caret sancti vita
   veritate lucida,
   Unde Sion montis nactus
   est nunc tabernacula.
2. Cordis ejus voluntatem
   tribuisti, Domine,
   Coronando eum digne
   corona laetitiae.
3. Innocentum iter sequens
   animi munditia
   Jacob scala Hierusalem
   novae scandit moenia.
4. Sequestratus a malignis
   dignis vitae moribus
   Eidem conregnat coelo,
   cujus haesit laudibus.
5. Supernorum jucundatur
   concentu hymnidico.
   Quem in terris promerendo
   suspirabat animo.
6. Arbor cedrus ut odora
   fraglabat virtutibus
   Nocte die insistendo
   divinis operibus.

Responsoria.

1. Quidam claudus tactu sancti
   praesulis erigitur
   Et ex aqua lotae manus
   multis salus redditur,

V. Erat enim pes lapsorum,
   infirmorum baculus.

2. Hoste captos in eundo
   signo crucis expiat
   Et credenti mulieri
   absens lumen reparat,

V. Fides enim faciebat
   eum Deo proximum.

3. Matrona quaedam manibus
   pedibusque debilis
   Et privata luce solis
   patentibus oculis
   Virum Dei licet absens
   fide plena petiit
   Et, o mira Christi virtus,
   subito convaluit;

V. Lux refulsit, valens membris,
   non nigrata exstitit,
   Sed patronum mox adiit,
   grates egit, rediit.

4. Miles Christi gloriose,
   Bonite sanctissime,
   Tuo pio interventu
   culpas nostras ablue,

V. Ut coelestis regni sedem
   valeamus scandere.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. *In sapientia Dei semper moratus est sacer praesul Bonitus: ideo bona illius stabilita sunt in Christo et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.*

Responsoria.

1. Romam tendit dum beatus
   vir orandi gratia,
   Ejus prece rex fidelis
   usus est victoria,

V. Per hunc et nos triumphemus
   cum Christo in gloria.

2. Theoriae volens sanctus
   vacare liberius,
   Successore subrogato
   est effectus monachus,

V. Sanctior ut sanctus
   melior fieretque beatus.

3. Orans nocte vir beatus
   coeli vidit agmina,
   Quibus summi sacerdotis
   exhibet officia,

V. Adest simul et Maria
   cum sua familia.

4. De virtute in virtutem,
   gloriose pontifex.

Studuisti mundo vivens
feliciter scandere,
Nunc in Sion Deum cernis
revelata facie.
V. Marthae ministerio
diligenter expleto
Elegisti Marianam
partem labe nesciam.

Prosella.

1a. Revelata Domini gloria,
cum justus judex
aeque judicabit cuncta.
1b. O, pater sancte, praesulum
gemma,
flos monachorum,
nos te venerantes salva.
2a. Assurge pro nobis
et prece gratissima
2b. Nos Deo commendans
pie reconcilia,
3a. Ut in ejus clarissima
3b. Gloriari mereamur
4. Facie.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus praesul in superno
Bonitus palatio
Regem Christum in decore
semper gaudet cernere.
2. Pura Deo quia mente
servivit fideliter.
Portas ejus introire
meruit feliciter.
3. Sub tuarum, rex aeterne,
alarum velamine
Hic exsultat, coelo tua
quem suscepit dextera.
4. Inter Christi sacerdotes
refulgens ut lucifer
Creatorem Dei servus
benedicit Bonitus.
5. Omnis aetas, omnis sexus
omnis atque spiritus
Laudet Deum cum beato
confessore Bonito.

Ad Benedicto.

A. Decurso vitae praesentis
feliciter stadio,
Ut esset probato auro
ter quaterque purior,
Bonitus podagrae gravi
correptus incommodo
Supernorum est receptus
civium collegio,
Quo placato repraesentet
vota nostra Domino.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Suscipe nostra,
Pater Bonite, precamina
Et ea Christo repraesenta,
Ut et tuis precibus
Nostris liberemur a criminibus.

Brev. ms. S. Catharinae de Monte saec. 14. Cod. Rotomagen. 203 A. — Brev. ms. S. Catharinae de Monte saec. 15. Cod. Rotomagen. 204. B. — In 1. Noct. R 4, 1 Sancte Bonite AB. — In 2. Noct. A 4, 2 dignis fehlt B.

29. De sancta Brigida.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Virgo sancta Brigida,
Pro nobis exora,
Corda rigans arida
Desuper irrora,
Sit mens Christo placida,
Vox laudis sonora.

Ad Magnificat.

A. Deo carnis edidit
Brigida candorem,
Relativum reddidit
Benignus honorem,
Siccum lignum niveum
Designans pudorem
Ad tactum virgineum
Resumpsit virorem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Totus orbis Brigidae
Plaudat in amorem.
Puritatis floridae
Currat in odorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex coelestis humilem
Ancillam respexit.
De qua prolem nobilem
Brigidam provexit.

2. Prolis exordium
Multa prodigia
Praecurrunt gaudium
Praefigurantia.

3. Nocte matris lectulum
Lux irradiabat,
Nasciturae meritum
Prolis designabat.

Responsoria.

1. Felix Hiberniam
Beat Lagenia.
Declarat Brigidam
Gignens prosapia.
De qua laetitiam
Sumat ecclesia.
V. Praesignant Brigidam
Multa miracula
Futuram placidam
Coelesti gratia.

2. Hanc de Britannia
Praesules praedicant,
Ejus natalia
Magi magnificant,
Hanc luminaria
Coeli prognosticant.
V. Nam globus igneus,
Splendor aethereus
Sanctam notificant.

3. In albis clerici
Vestibus coelici
Natam sanctificant.
Aquis baptismatis,
Liquore chrismatis
Hanc Deo dedicant,
V. Post vestem candidam
Collatam Brigidam
Sanctam specificant.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fusa super parvulam
Gratia coelestis
Monstrat Christi famulam
Signis manifestis.

2. Ardens velum niveum
Multis appárebat,
Quod caput virgineum
In cunis tegebat.

3. Candor veli niveam
Carnis castitatem.
Praesignavit igneam
Ardor caritatem.

Responsoria.

1. Lacte, quod premitur
De vacca candida.
Per sanctam feminam
Cibatur Brigida,
Rejicit omnia
Magi cibaria.
V. Lucis ad tenebras,
Cum sint contraria,
Non erat aliqua
convenientia.

2. Proficit in moribus
Infra patris septa,
In cunctis operibus
Gratiam adepta,
Crescit ejus manibus
Res quaevis recepta.
V. Sicut lecytus liquoribus,
Hydria farinae panibus
Abundat in Sarepta.

3. Virgo decoratur,
honor amplus ei cumulatur,
Synodus instabat,
nova Brigida stella micabat,
Sacra cohors plaudit,
quia signum coelitus audit.
V. Presbyter hanc aliam
denuntiat esse Mariam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vertens in cervisiam
Fontanum liquorem
Nutricis inopiam
Pellit et languorem.

2. Quidquid vidit oculo
Vel manu tangebat,
Coelesti miraculo
Crementum sumebat.

3. Christo, bis sex apostolis
Vaccas devota dedicat,
Impletis cunctis vasculis
Butyrum se multiplicat.

Responsoria.

1. Larga manus Brigidae
Cani carnis avidae
Frusta quinque jecit,
Grande per miraculum
Nullum sibi ferculum
In coena defecit.
V. Horum gestat omnium
Hospes testimonium,
Quem virgo refecit.

2. Felix virgo viscera
Gerens pietatis
Ensem patris dextera
Domat caritatis,
Rex stupet ad opera
Tantae largitatis.
V. Illa voce libera
Dixit: Rex, credatis,
Hinc vos, vestra cetera
Date Christo gratis.

3. Regnum mundi respuit
Virgo Deo grata,
Mira res, quam voluit,
Et est impetrata,
Oculus nam crepuit,
Ne sit maritata.
V. Hunc Deus restituit,
Postquam est velata,
Facies plus placuit
Christo reformata.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Thalamum sponsi Brigida
Gaudens introivit,
Quem caritate fervida
Semper concupivit.

2. Nata lacte calido
Signanter est lota,
Ut pudore candido
Vivat nitens tota.

3. Cella pudicitiae,
Brigida, fuisti,
Speculum munditiae,
Virgo, sponsa Christi.

4. Dum devote sequitur
Opus pietatis,
Odor late spargitur
Tantae sanctitatis.

5. Leprosus subsidium
Petens caritatis
Sentit beneficium
Plenae sanitatis.

Ad Benedictus.

A. Vera pollens
Virgo munditia,
Pietatis
ferens insignia,
Sanitatum
dotata gratia,
Post mortem carnis
vivit in gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Lux Brigida Lageniae,
Character castitatis,
Cella patens clementiae.
Resina pietatis,
Posce tuae familiae
Levamen a peccatis,
Post transitum miseriae
Quietem claritatis.

Antiph. ms. Clondalkinense saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 3. A. — Antiph. ms. Kilmoonense saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinit. Dublinen. B 1. 5. B. — Brev. ms. Dublinense saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinit. Dublinen. B 3. 13. C.

In 1. Noct. R 1, 4 Gignans A. — In 3. Noct. R 2, 10 Dare Christo A. — Ad Laud. A 2, 1 Natam A. — A 4, 3 Odor lacte A.

30. De sancta Brigida.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Festa piae Brigidae
devote praevenientes
Christum laudemus
solemni voce canentes.

R. Fulget dies hodierna,
Quam venustat lux Hiberna,
Cujus lampas et lucerna
Sede micat in superna.

V. In Brigidae festo,
pia concio, pervigil esto.

Ad Magnificat.

A. Jucundetur prole laeta
Virgo Sion filia,
Quam cum rosis rubicundis
Mire vernant lilia,
Quibus juncta jam centenos
Fructus metit Brigida,
Quae fallaces mundi nexus
Mente sprevit rigida.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Votum, multimodas
et puri pectoris odas
Auctori vitae,
fratres, jubilare venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coeli jure modulantur
Brigidae magnalia,
Cujus artus puerili
dum reguntur fascia,
Quod sit princeps regionis,
diva prodit gratia.

2. Vir a sponso commonetur,
Ut ancilla venumdetur,
Ejus prole nam veretur,
Haeres suus ut gravetur.

3. Dum vomit ista cibos
magici, signatur ei bos,
Qua sustentatur,
vomica nec abinde gravatur.

Responsoria.

1. Celebremus concinentes
Brigidae magnalia,
Quae illustri Hibernorum
exorta prosapia
Christo suae juventutis
dicavit primordia.

V. Prudentum metas
puerilis transvolat aetas.

2. Hanc ut regi pater vendat,
curru vehit proprio,

Quae miserta paupertatis
patrem privat gladio,
Quem offensum rex admirans
ense pacat alio.
V. Sic ne mercetur,
manus ejus larga meretur.

3. Fracto scypho septiformi
vir necandus rapitur,
Pro quo regem praesul orat
et repulsam patitur,
Sed collectis hinc fragmentis
Brigida consulitur,
Qua signante reformatur
vas et miser solvitur.
V. Sic dum compescit
regem, famosa nitescit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pia virgo Brith recepta
Brigida hospitio
Ejus pedes aqua lavit
pietatis studio,
Quo aegrotans virgo sana
redditur obsequio.

2. Dum cibatur haec, spectatur
super mensam Satanas,
Contestatur hic et fatur
virginis insidias,
Quae sanatur et sacratur
Deo reddens gratias.

3. Dumque fovet haec misellas
balnei obsequio,
Aegrotantes hoc bis bini
sanantur officio,
Caeca videt, lepra cedit,
obsessa daemonio
Liberatur, haec curatur
morbo paralytico.

Responsoria.

1. Consecrata virgo parit,
et Bron pater dicitur,
Negat insons, mater instat,
Brigida consulitur,
Consignatur ore rea
tumens nec convincitur,
Sed parentem puer jussus
pandit et cognoscitur,
V. Praesul lactentis
datur insons ore loquentis.

2. Haec impensas, quas pararat
Christi natalitio,
Has egenis erogavit
ex affectu solito,
Sed plebeus reparavit
quaeque sumptu regio,
Quod rex stupens haec dicavit
virginis obsequio.
V. Liber signatur,
plebeus dum famulatur.

3. Hujus equis captis fures
plena petunt horrea,
Quos laborant onustare
multa frugum copia
Et, dum sperant repedare
Brigidae tuguria
Intrant [atque] subscructantur
et fatentur singula.
V. Hi dum solvuntur,
fruges Brigidae tribuuntur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dumque turbae verbum vitae
sereret Patritius,
Taetro die nubes clara
lapsa patet coelitus,
Cujus causam jussa pandit
Brigida quantocius,
Dicens, bustum hoc signari
praesulis divinitus.

2. Aqua plenum vas signatum
lapsum non conteritur,
Res stupenda, sed nec aquae
stillula dilabitur,
Ast servata sacramentis
divinis infunditur,
Et perfusus quisque aeger
hac saluti redditur.

3. Vir insanus dum devotae
occursaret virgini,
Jussis parens mox prorumpit
in haec verba Domini:
Ama Deum, et amabunt
te reges et populi,
Et te Christum venerantem
contremiscent singuli.

Responsoria.

1. Haec vix virgo vigilando
moram noctis impetrat,
Quem deluso sub lictore
pernox prece liberat,
Nam dum lictor ferit, vinctus
Brigidam vociferat,
Et mox liber et illaesus
eam versus properat.
V. Solvitur ecce reus,
compungitur et basileus.

2. Rex hanc multis ditans donis
benedici meruit,
Quem configens hostis ense
fugam clam arripuit,
Flent ministri, quos confortans
rex sanus apparuit,
Sicque dextra consignantis
rege salvo claruit.
V. Haec velut hortatur,
rex hosti pacificatur.

3. Praesul Hercus et haec virgo
Hercae montem adeunt,
Atque lassati ministri
arent et esuriunt,
Quos, ut virgo docet, quidam
cibi mox reficiunt
Et effossa terra fontis
aquas jussi hauriunt,
V. Ut jubet haec, undas
dat tellus jussa profundas.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laudum vota, plebs devota,
Brigidae conjubila,
Et sonoris odis oris
Vox transcendat nubila.

2. Haec leprosis ulcerosis,
Ut se lavent, imperat,
Et haec unda carne munda
Obsequentes liberat
Et sanatum haec elatum
Lepra recte ulcerat.

3. Hospites deliciari
coquam virgo praecipit,
Quae nihil, quo obsonentur,
in coquina reperit,
Sed hanc jussa scopis mundat
et orare incipit,
In qua cibos hora sexta
Dei dono suscipit.

4. Ad se turbae properanti
Nocte silvis et erranti
Hujus prece lampas luxit
Et ad aedes hanc perduxit
Et, ut ipsa prophetavit,
Horum pedes aqua lavit.

5. Haec affectu pietatis
patrem suum visitat,
Hujus aedes comburendas
prima nocte praedicat,
Et vix suis hinc eductis
furens hostis advolat,
Tecta cremat, ast sic virgo
se suosque liberat.

Ad Benedictus.

A. Redemptori Israelis
Benedicat plebs fidelis,
Cui soli virgo nupsit,
Cujus nobis dies luxit,
Quae soluta carnis mole
Jam virtutum in decore
Sponsum suum contemplatur
Et contemplans jucundatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Plebs in festo Brigidae
Dominum magnificet
Et exsultans spiritu
modulos amplificet,

Qui effectos humiles
  nos sibi gratificet
Ac istius precibus
  in coelis glorificet.

Brev. ms. Anglicum saec. 13. Cod. Parisien. 12036. — In 3. Noct. R 2, 4 clam arripuit fugam. Hs.

31. De ss. Cantio, Cantiano, Cantionilla.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Impari qui gaudes
  numero, Deus, accipe laudes,
Quas pro martyribus
  dat chorus iste tribus.

2. Sunt revera tres,
  quos dat generatio fratres,
Dictos nominibus
  paene quasi paribus.

3. Nomen idemque fere
  fuit his, quia mente fuere
Hi tres sicut idem
  corde tenendo fidem.

4. Tempore quo siquidem
  Romae residentia pridem
His tribus egregiis
  facta fuit sociis,
Exiit edictum
  gladiis quod in urbe praeceptum
Plebs Christi caderet,
  ni sacra dis faceret.

5. Istud ad auditum
  fratrum dum venit edictum,
Mox iter arripitur
  Romaque deseritur.

R. Urbs tandem petitur
  Aquileja, sed reperitur
Plus quam Romae gens
  hic pietatis egens.
Urbe subintrata
  gens accurrit scelerata,
V. Quae praecepit eis
  sacrificare diis.

Ad Magnificat.

A. Servi quando feri
  cogunt hos, nolle fateri
Natum matre Deum,
  plus profitentur eum,
Christi jussa colunt,
  pro cujus nomine nolunt
Sic prece sic pro vi
  sacrificare Jovi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Cantica solvantur
  Christo, per quem trabeantur
Certi martyrii
  Cantius et socii.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Unanimes aeque
  fratres sunt speque fideque
Et secum geminis
  sic amor vivit in his.

2. Hos Christi inesse
  facit ardentes amor esse,
Spes reddit stabiles
  atque fides humiles.

3. Christum sectantur,
  Christi magnalia fantur,
Semper ad hunc clamant,
  quem venerantes amant.

Responsoria.

1. Ex tribus ut sensit
  judex, ad quid sua mens sit,
Ira cor exurit
  ejus et inde furit,

Tunc Romam misit,
quod agendum scire sibi sit
V. Jussaque sunt scribi
verba remissa sibi.

2. Princeps Romanus
Jove teste Diocletianus
Mandat, ni sacra dent,
quod simul ense cadent.
Judex hoc lecto
jubet hos dare sacra profecto,
V. Nam vult mandatum
principis esse ratum.

3. His est cura sequi
Christum fervente fide, qui
Est a patre datus,
virgine matre satus,
Et, quia res sic est,
judex sententia dicit.
V. Ut perdant capita,
jus jubet et ita.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut necis auditur
sententia, currus aditur,
Junguntur muli,
sic abeunt simul hi.

2. His via tardatur.
cum mulus mortificatur,
Et, quae captatur,
proxima palma datur.

3. Accelerant servi
crudeles atque protervi
Et, quos dant egredi,
mox faciunt regredi.

Responsoria.

1. Non fuga dicatur
via fratrum. quae revocatur,
Nam quasi sic dicat,
haec via significat:
Illum, quem colimus,
sequimur, properate, praeimus.
V. Sumite, quis prohibet,
figite tela. libet.

2. Absit eis, fuga sit
iter hoc, quod mens pia suasit,
Nec desiderium
martyrii minuit;
Ut manifestentur,
abeunt poenisque parentur.
V. Sic abeundo patet,
quod sibi mente latet.

3. Si quaesivissent
latebras sibi, cum potuissent,
Iter arriperent
nocte suum, fugerent;
Non latebris inhiant,
Christi sed ut hostia fiant,
V. Quaerunt, quod cupiunt,
non igitur fugiunt.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Usum quando viae
Jezabel obstruxit Eliae,
Currus aetherei
contigit usus ei.

2. Martyrii palmam
dum sic ducuntur ad almam,
Curru sunt lati
judicis armati.

3. Si sit bigarum
collatio facta duarum,
Aequo conspicuae
sunt in honore duae.

Responsoria.

1. Ad requiem laetam
si pertulit illa prophetam,
Ad palmam pariles
tres trahit haec pugiles;
Aeris axe vias
Ignito scandit Elias.
V. Catholicae fidei
tres liquet igne vehi.

2. Inspecto tandem.
quod tam constanter eandem
Mentem tres habeant.
quod retrahi nequeant.
Ensis vibratur
magis et superesse negatur,

V. Instant fata nec his
maesta fit hora necis.

3. Laudibus immensis
intenti, dum micat ensis,
Colla neci tradunt
sicque sub ense cadunt;
Miraque res dictu,
quod in ipso lac fluit ictu,
V. Res tamen haec liquide
cognita digna fide.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. O felix omen,
quod fratrum nobile nomen
Non est fortuitum
vel sine re positum.

2. His datur exortus
a cantu nominis ortus,
Mens quibus una manens
est super astra canens.

3. Quos dedit aequales
mens, nomen, origo sodales,
Hos res dispariat
nullave dissociat.

4. Hi simul occisi,
simul ad patriam paradisi
Tendunt, et simul his
laus datur in populis.

5. Ut simul quorum
meritorum sicque locorum
Sunt hi sortiti
dona quiete siti.

Ad Benedictus.

A. Ne nos cum reprobis
damnet sententia, nobis
Da per martyrium,
rex pie Christe, trium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Canti, sacer exora,
quod justitiae rex
Nos lavet a vitiis
vilibus et variis,
Vosque preces reliqui
duo fundite, nos ut iniqui
Hostes nequitia
non trahant ad vitia.

Cod. Parisien. 17331. saec. 16.

32. De sancto Castore.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laus tibi, rex aeterne,
Laus et decus perenne,
Cujus castus amor,
Quo exarsit Castor,
Tulit ipsum mundo
Et invexit coelo,
Ubi fulgens gloriosus
Adsit gregi pastor pius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Auctori vitae
vigiles jubilare venite,
Cui vigilans pastor
vivit super aethera Castor.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Effloruit tamquam lignum,
Quod a Deo est plantatum,
Fructum Castor justitiae
Suo ferens in tempore.

2. Apprehendit disciplinam,
Ne perderet viam justam,
Qua tendebat in directum
Super Sion montem sanctum.

3. Dum tribulat se gravius
Suscepit eum Dominus,
Cui gloria est et salus
Et exaltans caput ejus.

Responsoria.

1. Sanctus Castor a puero
Jam praeventus Dei dono

Non in terra sed in coelo
Conversabatur animo,
V. Quia melior est dies una
In atriis Dei super milia.

2. Praeclarae puer indolis
Sacris traditus studiis
Mox tesauros plenissimae
Adeptus est scientiae;
V. Quem diligens rex in sua
Introduxit cellaria.

3. Christum nudus ardens sequi
Et abnegans semet sibi
Sanctum petit Maximinum,
Fama et vita maximum,
V. Ut cum sancto fiat sanctus,
Cum electo sit electus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vultus tui lumine
Insignitus, o Domine,
Ut in pace in idipsum
Requiescat, fugit mundum.

2. Ergo sperans in te, Deus,
Cujus scuto stat protectus,
Voto petit martyrium,
Ut exsultet in aeternum.

3. Arianos gentilesque
Revincis ejus dogmate,
Hinc gloria et honore
Coronas eum, Domine.

Responsoria.

1. Sub praesule Maximino
Gradu functus Levitico
Dignissime Castor sanctum
Exhibuit officium.
V. Audite et mundamini,
Qui vasa fertis Domini.

2. Dum pro summis virtutibus
Dignis effertur laudibus,
Laudes suas a seipso
Quodam repellit odio,
V. Quia nescit gloriari
Nisi in cruce Domini.

3. O caritas summa viri,
Qua requirit vultum Dei,
Quam sacerdos consecratus
Ut contempletur dulcius,
Secessit petens eremum
Quasi quietis lectulum.
V. Ecce, inquit, tu pulcher es,
Dilecte mi, et decorus,
Lectulus noster floridus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confisus est in Domino,
Quem diligens corde toto
Transmigravit a patria
Amoris ejus gratia.

2. En in monte Dei sancto
Requiescit ex merito
Operatus justitiam
Castor et innocentiam

3. O Domine, rex virtutum,
Qui confessorem tuum
Dignatus es praevenire
In tua dulcedine,
Cui vitam tribuisti
In saeculum saeculi.

Responsoria.

1. Vir insignis virtutibus
Vitae coelestis splendidus
Ad exemplum sanctitatis
Ut lampas fulsit subditis,
V. Quoniam illuminasti
Lucernam ejus, Domine.

2. Vere crucis Christi servum,
Qui per crucis signaculum,
Quos terruit naufragio,
Mox eruit periculo.
V. Dextera Domini fecit virtutem,
Dextera Domini exaltavit eum.

3. Pretiosus Dei Castor,
Mundi fortis triumphator,
Morte sacra per eremum
Ad supernam scandit Sion,
Qua coronam gestans vitae
Regi conregnat gloriae.

V. Qui tam sublimis
prece nos sustollat ab imis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Mens pia Castoris,
lumbos praecincta vigoris,
Morte triumphata
fruitur sibi sorte parata.

2. Christo, cui promptus
servivit cum pietate.
Conregnat junctus,
cui laetantes jubilate.

3. Te solum cernens,
pro te, Deus, omnia spernens,
Ad te transivit,
quem toto corde sitivit.

4. Flammis in Domino
superatis tot vitiorum
Gaudet cum Domino
cantans hymnum puerorum.

5. Sanctorum coetus
tam sancto compare laetus,
Quo miles gaudet,
regem pro milite laudet.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex coelestis
Et in coelis et in terris,
Qui Castoris sublimia,
Quae in coelis sunt merita,
Et in terris angelico
Declaravit oraculo.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater beatissime.
Pastor vigilantissime,
Gregem tuum continuis
Serva, Castor. vigiliis.
Ut Dominum redeuntem
A nuptiis et pulsantem
Mox vigilans excipiat,
Cum quo vitam percipiat.

Brev. ms. S. Castoris ad Confluentes? saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Laudunen. 260. A. — Brev. ms. S. Florini ad Confluentes saec. 15. Cod. Semin. Maguntin. s. n. B. — Brev. ms. S. Castoris ad Confluentes saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 193. C. — In 3. Noct. **R** 1, 5 Quoniam tu illuminasti A. — Ad Laudes **A** 2, 1 Christus cui A. — Die Herkunft von A bleibt fraglich, weil das Kalendarium zum 17. Juli Dedicatio Aquensis, zum 10. Oktober Anniversarium defunctorum fratrum et sororum ordinis nostri einträgt.

33. De sancto Cedda.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Germanorum quatuor
unus est beatus,
Cedda, quorum quilibet
erat consecratus.

2. Summo sacerdotio
duo consecrantur,
Praesulari simplici
duo venerantur.

3. His inerat numerus
evangelistarum,
Per quos inde fieret
horum opus clarum.

4. Omnes evangelium
Christi praedicarunt
Et vepres a vineis
ejus exstirparunt.

5. Cedda tantum ceteris
erat praeferendus,
Dignitate meriti
major est censendus.

R. O pastor digne,
miseris concede benigne,
Quod poscunt a te,
confessor Cedda beate;
V. Funde preces Christo
pro coetu jugiter isto.

Ad Magnificat.

A. Sis pro nobis intercessor,
rogamus, ad Dominum,
Ut nos regat et perducat
ad coeli palatium,
Ubi tecum et cum sanctis
simus in perpetuum.

Alia.

A. Pastor vigil
gregis in medio
Sacri verbi
munitur gladio
Plantans mores
expulso vitio,
Sed absente
caret solatio,
Cui favet
ut pater filio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In qua vigent
jugiter solemnia,
Mater virgo
jubilet ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mundi calcans gloriam
Cedda declinavit
Corporis lasciviam,
Dum sese claustravit.
2. Jugo se supposuit
Christi, quem dilexit,
Qui tenendam docuit
Vitam, quam direxit.
3. Qui cum vitae sanctitatis
Ut lux se monstravit,
Eboraci civitatis
Archipraesulavit.

Responsoria.

1. Hunc quem magnum
reddit auctoritas,
Ceddam parvum
facit humilitas,
Cui nunquam
deest benignitas.

V. Non attollit
illum prosperitas
Neque frangit
quaevis adversitas.

2. Hic legati
verbo paruerat,
Cedens sedi,
cui praefuerat,
Claustrum petit
et non remurmurat.

V. Sed indignum
fore se dixerat
Tanta cura,
quam prae tenuerat.

3. De quo Deus
ita disposuit,
Merciorum
quod inde praefuit
Gregi, regens
hunc sicut decuit.

V. Orans nocte
de die docuit,
Per quem Christi
nomen innotuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postes agni sanguine
in die linivit,
Crucis memor Domini
carnem dum punivit.
2. Pugnans contra vitia
palmam acquisivit,
Armis nudam ferreis
carnem dum vestivit.
3. Qui sic fontem frigidum
orans introivit
Et non corpus calido
balneo nutrivit.

Responsoria.

1. Legem Christi
qui sic tenuerat,

Ut tenendam
fore docuerat.
Ante finem
scire meruerat;
V. Hinc quietae
certus transierat,
Qui coelesti
regi servierat.

2. Postquam Ceddae
lux praesens clauditur,
Laus ipsius
a plebe canitur.
Hostes vincens
hic non devincitur.
V. Vis unguenti,
dum pyxis frangitur,
Cunctis patet
nec plus absconditur.

3. Occurrentes
ad eum languidi
Mox curantur
et epileptici,
Surdi, caeci
seu paralytici;
V. Claudi, curvi,
leprosi, marcidi
Valent hujus
virtute medici.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab habenis mortui
mortis excitantur,
Furiosi vinculis
confractis sanantur.

2. Et curatis languidi
dum congratulantur,
Suis a languoribus
statim liberantur.

3. Aqua tumbae pulvere
mixta cum potantur,
Bibentes a variis
morbis expurgantur.

Responsoria.

1. Hic in carne
vivens angelice,
Terram terit
conversans coelice,
Christi legem
servando practice
Plene quidem
et non ecliptice.
V. Unde Deus
eum mirifice
Collocavit
in orbis apice.

2. Ceddae sancti
contactu loculi
Fantur muti,
clarescunt oculi,
Quibus visis
exsultant populi.
Christi legis
tabescunt aemuli.
V. Fama transit
in fines saeculi,
Quod sic florent
divini servuli.

3. Pie pastor
et pater ovium,
Merciorum
gregis solatium,
Contra mundum,
carnem, daemonium,
Adsit nobis
per te remedium.
V. Ut finito
cursu praesentium
Capiamus
aeternum bravium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Claustri clausus carcere
Cedda monachatur,
Ut divinis libere
Vacans his utatur.

2. Cujus fama claruit,
Quod pontificatur,
Lucerna, quae latuit,
Ne plus abscondatur.

3. Pastor pavit populum
Pabulo doctrinae
Reddens receptaculum
Regulae divinae.

4. Praesulis officium
Cedda sic implevit,
Quod cujusque vitium
Generis delevit.

5. Deviantes moribus
Oves informavit,
Persistentes actibus
Sacris excitavit.

Ad Benedictus.

A. Praesul pie, sancte Cedda,
ora Deum pro miseris,
Ne peccatis aggravati
tradamur suppliciis,
Sed in coelo perfruamur
perennibus gaudiis.

Alia.

A. Pastor pie,
pro tuis ovibus
Ora Christum
devotis precibus,
Ut solvantur
a lupi morsibus
Et sint tecum
in suis aedibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Qui mores docuit
purgando vitia,
Talenta duplicans
cepit duplicia
De manu Domini
regnans in gloria,
Quo nos ascendere
det Christi gratia.

Brev. sec. usum Sarum imp. Parisiis 1494. „In festo s. Ceddae episcopi secundum usum Lichfeldensem.“ — In 1. Vesp. **R**, 3 poscunt ad te. — Ad Magn. **A**, 1 Sis pro nobis sancte Cedda statt intercessor. — In 1. Noct. **A** 3, 3 Eboraci civitas. — In 2. Noct. **R** 1, 3 Et tenendam. — In 3. Noct. **A** 3, 1 pulvere tumbae.

34. De sancto Colomanno.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fons et origo boni,
Deus, haec ad festa patroni
Ejus ad exemplum
fac nos fieri tibi templum.

2. Factor lucis sator,
hominum miserator, amator,
Martyris in festo
Colomanni mitis adesto.

3. Nos fragiles, viles,
Colomanne sacer, bone miles,
Duc, rege, terge, tuere,
fave, miseris miserere.

4. Nos mundare, lavare,
juvare, Deus, memorare
Martyris atque prece
vitiorum dilue faece.

R. O crucifer, Colomanne,
Plebi fave miserandae
Et coelitus impetratam
Fer nobis indulgentiam.
V. Ut pium apud Dominum
Sentiamus te patronum.

Ad Magnificat.

A. Magnificeris, Domine,
Salutaris spes animae,
Qui beatum Colomannum,
Humilem tuum famulum,

Exaltasti in supernis,
Clemens salva nos meritis,
Martyris tui precatu
Solvens ab omni reatu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum laudemus
istaque die jubilemus,
Qua scandit superos
Colomannus, Scoticus heros.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Colomannus,
In mundo glorificandus,
Legem meditans Domini
Reliquit omnia mundi.

2. Ergo in timore casto
Servire satagens Christo
Crucem bajulavit mentis
Indigena occidentis.

3. Unde Deus justitiae
Hunc coelestis laetitiae
Spe, fructu mirificavit,
Pro quo laetus exsulavit.

4. Scuto bonae voluntatis
Munitus vir pietatis
Venit in terram Noricam
Iturus Jerosolymam.

5. O quam est admirabile
Nomen tuum, altissime,
In quo sanctus Colomannus
Tripudiat coronandus.

6. Domino confidens justus
Impios non est veritus,
Qui eum sunt persecuti
Inique falsa locuti.

Responsoria.

1. Jesu sequens vestigia
Colomannus Scotigena
It Jerusalem terrestrem
Morte empturus coelestem,
V. Mundum reliquit noxium
Fontem sitiendo vivum.

2. Ex alto Christus oritur
Orientique providens
In regionem Noricam
Transmisit suum athletam,
V. Curam saluti hominum
Impendens auctor omnium.

3. Immitis gens Orientis
Virum deificae mentis
Inculpat flagris multatum,
Quod ierit exploratum,
V. Pacifice ambulantem
Cum his, qui oderunt pacem.

4. Post immania tormenta
Judicis ex sententia
Assis ovis ustulatur,
Hinc Colomannus laetatur,
V. Justus ut leo confidit,
Qui, dum tortores irrisit,
Assis ovis ustulatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, iste beatus
Justitiam operatus,
Dum contra iniquitatem
Professus est veritatem.

2. Virtute tua, rex Christe,
Exsultat se peperisse
Desiderium animae
Martyr certans legitime.

3. Innocens manu beatus,
Mundo corde animatus,
Patientia quam mira
Pertulit tormenta dira.

4. Exauditus martyr sanctus
Poenas sprevit, regna petit,
Laetabitur in Domino,
Triumphat dum suspendio.

5. In Sion jam nunc coelesti
Beatus, quem elegisti,
Votum reddidit hymnizans,
Quod quaesivit agonizans.

6. Integrum corpus viguit,
Dependens corta fronduit
Juxta quod David cecinit:
Justus ut palma florebit.

Responsoria.

1. Coelesti afflatus rore
Vinci a persecutore
Colomannus non poterat,
Cui mori lucrum erat.
V. Vincla, carceres expertus
Persistebat intrepidus.

2. Agonista magnificus
Isaico more sectus
Sustinuit et forcipem
Membratim se discerpentem,
V. Martyr innocens et justus
Petris candentibus ustus.

3. Septiformis spiritus
Dono dives Colomannus
Tortorum cruciamenta
Sprevit ut deliramenta,
V. Per fidem adoptionis
Ferens vas electionis.

4. Belliger athleta.
Colomanne, tua nece spreta
Corda mali sueta
munda pietate repleta,
V. Mundi spineta
resecans da tempora laeta.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hic martyr vere beatus
Pane vitae est cibatus,
Qui non abiit post aurum
Sed Christi evangelium.

Responsoria.

1. Per evangelia dicta
Colomannus derelicta
Gente patria et domo
Coelos scandit suspendio,
V. Qui dum tantum gloriari
Appetit in cruce Christi,
Coelos scandit suspendio.

2. Rumaldus viso sanguine,
Qui de pendentis corpore
Colomanni profluebat,
Hunc humari decernebat,
V. Credens videre suspensum
Post in terra viventium.

3. Rex Christe, propitiator,
Colomannus debellator
Potestatis aereae
Gaudet se pro te odisse;
V. Justus ut palma florebat,
Cujus dum corta fronduit,
Gaudet se pro te odisse.

4. O lux coelorum,
Jesu, spes alma bonorum,
Nos pius exaudi
meritis sancti Colomanni
Te nunc laudantes,
orantes, glorificantes,
V. Respice de coelo,
servos serves ut in aevo.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes plebs Christi
nun athletae sonet isti,
Ipsius a tumba
veluti Moysen fugit unda.

2. Tyro beatus
Mansit humatus
Non putrefactus,
Qui bona nactus
Reddit ovantes
Et jubilantes
Se venerantes.

3. Plebs vigil in fossa
venerantur martyris ossa,
Sed levat in luce
te, Deus alme, duce.

4. Te benedicit,
Christe, beatus,
Dum probra vicit
Martyrizatus,

Jam prece servos
Salvet is heros.

5. Laudent vi mentis
Dominum cives orientis,
Martyre qui magno
fulciti sunt Colomanno.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit Dominus,
Per quem martyr Colomannus
Gratiam dat sanitatis
Pressis vi infirmitatis,
Qui curans caecos et claudos
Pie nos sanet languidos.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Rex Sabaoth verbigena,
Colomannus Scotigena
Bonum certamen certavit,
Dum te ad mortem amavit:
Hujus ergo suffragio
Omnium nostrum memento.

Brev. ms. Mellicense 1677 saec. 13. add. saec. 14. A. — Cod. Mellicen. 1113 saec. 15. B. — Cod. Mellicen. 934 saec. 15. C. — Cod. Sitanstetten. CCXXXII saec. 15. D. — Brev. ms. Pragense VI F 16. saec. 15. E. — Brev. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 10. anni 1471. F. — Brev. Kimense imp. Venetiis 1516.

Dafs die monastische Form, nicht die kurze, die B aufweist, dem Officium ursprünglich ist, beweist neben dem mutmafslichen Melker Ursprunge desselben der Umstand, dafs es auf Musik und Metrum des Benediktus-Officiums Praeclarum late etc. gemacht ist. — In 2. Noct. A 6, 2 Dependentis A. — R 2, 2 Esayco A. — R 3, 2 Colomannus fehlt A. — Hymnen: In Vesp.: Mare fons ostium; ad Laudes: Salve felix miles Christi, Analecta IV, p. 121.

35. De sancto Columba.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Columbae
sacris solemniis
Exsultemus
devotis gaudiis,
Hunc laudantes
dignis praeconiis
Et petentes
totis praecordiis,
Ut juvemur
ejus suffragiis,
Tantis fulti
patrociniis.

2. Tanti sancti veneremur
diem festum singuli,
A peccatis ut mundemur
cordis, oris, oculi,
Cujus prece deputemur
sempiterno usui,
Cum malignis ne damnemur
post labores saeculi.

3. Coelum semper inhiabat
Hic, dum genti praedicabat.
Petens coeli gaudia,
In supernis coeli cives
Jam effectus Christi miles
Post mundi luctamina.

4. Columba, pie serve Christi,
Nos conserva in mundo tristi
Et succurre cohorti isti
In die supplicii.

5. Post labores plurimos
Ad coelos tendens oculos
Vitam reddit Domino,
Per ipsius suffragia
Nobis donet gaudia
Regnans sine termino.

Ad Magnificat.

A. O Columba,
cultor ecclesiae,
Virgo, doctor,
per donum gratiae

Jam securus
in statu patriae,
Salva tuae
gaudentes gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Columbae solemnia
Colit plebs fidelis,
Par in terra gloria
Deo sit in coelis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix terra edidit
Salutare lignum,
Columbam, qui reddidit
Fructum Deo dignum.
2. In timore Domino
Studuit servire
Praecavens in termino
Diem gravis irae.
3. Columbam, cum gemeret,
Angelus invisit,
A se quidquid peteret,
Daturum promisit.

Responsoria.

1. Felix Hibernia
Columbam genuit,
Qui de prosapia
Regali claruit
Sed morum gratia
Magis enituit.

V. A pueritia
Deo se praebuit,
Carnis munditia
Mentisque floruit.

2. Illi datum primitus
Nomen est vulpinum,
Sed mutatum coelitus
Est in columbinum,
Comprobavit exitus
Hoc esse divinum.

V. Sicut nomen Barjona
Transit in petrinum.
Jacob per luctamina
Nomen habet binum.

3. De Columba Dominus
Angelo mandavit,
Qui in viis omnibus
Eum conservavit,
Cujus fultus viribus
Draconem calcavit.

V. Axal dictus angelus
sanctum confortavit,
Ipsius obsequiis
datum se monstravit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilatatur varia
Tribulatione
Velut auri gloria
Crebra tunsione.
2. Mane domum Domini
Sanctus introivit
Et coelesti numini
Devote servivit.
3. Columbam per angelum
Deus visitavit,
Minoratum paululum
Coelo coronavit.

Responsoria.

1. Tria sancto
dantur insignia:
Virginalis
pudoris gloria,
Praedicandae
salutis gratia,
Visitandi
loca distantia.

V. Magni Pauli
sequens vestigia
Plura terrae
lustravit spatia.

2. Columba moribus
Mitis et humilis,
Pius egentibus,
Cunctis amabilis
Antiquis patribus
Est comparabilis.
V. Sacris virginibus,
Piis doctoribus,
Peregrinantibus
effectus similis.

3. Corpus edomuit
crebris laboribus,
In maris latuit
nudus litoribus
More Jacob
pro cervicalibus
Reclinavit
caput lapidibus
V. Noctes sic dedicans
devotis precibus
Et dies explicans
piis operibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vivens sine macula
Carnis sanctus iste
Intrat tabernacula
Tua tecum, Christe.

2. Cordis desiderium
Deus illi dedit,
Cujus per auxilium
Gloriam possedit.

3. Manibus innocuum,
Sorde carnis purum
Servum levat rex suum
In regnum securum.

Responsoria.

1. Magorum praestigia
Frequenter detexit,
Ab inferni janua
Mortuos evexit,
Tranquillavit maria,
Futura prospexit.
V. Multorum coenobia
Monachorum rexit,
Oppressis angustia
Dexteram porrexit.

2. Ignis combusserat
Quoddam coenaculum,
Sed nullum senserat
Postis periculum,
In quo pependerat
Letale pallium.
V. Juxta primarium
Christi miraculum
Aqua vinarium
Propinat poculum,
Quam pro sancto
Deus mutaverat.

3. Columba in patriam
Gaudens introisti,
Surdecrae ecclesiam
Vivens dilexisti,
Ducens ad memoriam
Quod hanc coluisti,
Velis ei gratiam
Impetrare Christi.
V. Cui specialiter
Pater praefuisti,
Illique celebriter
Esse meruisti.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
In quo Columba Domini
Thronum conscendit gloriae
Coelesti junctus agmine.

2. Mundi carens vitio,
Mundus vita pura,
Felici commercio
Coeli tenet jura.

3. Ramum, signum clementiae,
Columba portavit,
Dum sanctus hic Hiberniae
Genti praedicavit.

4. Ostendunt veraciter
Vita, mors et tumba,
Quod vixit sinceriter
Sanctus vir Columba.

5. Vita sine macula,
Mors quam pretiosa,
Crebra per miracula
Tumba gloriosa.

Ad Benedictus.

A. O Columba,
qui verbo gratiae
Illustrasti
partes Hiberniae,
Quibus monstras
viam justitiae,
Nos divinae
commenda gratiae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Columba, pacis speculum,
Vir simplicitatis,
Puritatis vasculum,
Forma sanctitatis,
Tuae nobis rivulum
Funde pietatis,
Poscens post hoc saeculum
Vitam cum beatis.

Brev. ms. Dublinense saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 3. 13. A. — Colgan, Trias Thaumaturga p. 454 sq. B.

A bietet einige Lücken, da die Handschrift bedauerlich angefault; B hat seinen an sich schlechten Text ebenso schlecht abgedruckt aus: Officia SS. Patricii, Columbae, Brigidae et aliorum quorundam Hiberniae sanctorum ex veteribus membranis et manuscriptis Breviariis desumpta atque ad normam officii Romani repurgata. Parisiis 1620. Dies Buch ist mir nicht möglich gewesen aufzufinden. Aus A und B läfst sich glücklicherweise der richtige Text herstellen.

In 1. Vesp. **AA** fehlen in B, das auch für die Vesper die **AA** der Laudes ansetzt. — In 1. Noct. **A** 2, 2—4 weggefault A. — **A** 3, 3 se fehlt B. — **A** 3, 4 Daturum se B. — **R** 1, 6 emicuit B. — **R** 2, 3 coelitus fehlt B. — **R** 2, 7 sqq. fehlen B. — **R** 2, 9 prae luctamina A. — **R** 3, 10 ipsum se monstravit B. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Delectatur B. — A 2, 2 sqq. weggefault A. — **R** 1, 1 sq. dantur sancto B. — **R** 1, 7 Visitando A. — **R** 3, 3 maris jacuit B. — **R** 3, 4 nudis litoribus B. — **R** 3, 5 sq. weggefault A. — In 3. Noct. **A** 1, 4 Tua fehlt B. — **A** 2, 2 Dominus dedit B. — **A** 3 lautet in B: Manibus innocuum | Corde purum | Servum levat securum | Rex in suum regnum. — **R** 1, 1 Magnorum vestigia B. — **R** 1, 3 In inferni B. — **R** 2, 1 combusserit A. — **R** 2, 6 De sale paululum A. — **R** 3 fehlt B. — In Laud. **A** 5, 2 sqq. weggefault A. — Ad Bened. **A**, 5 monstrasti A. — Ad Magn. **A**, 2 fehlt B.

36. De sancto Cuthberto.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Alme confessor Domini,
praesul regis aeterni,
Cuthberte, consors sanctorum,
concivis coelestium,
Exaudi preces tuorum,
sume vota supplicum
Et pro nobis regem regum
ipsum posce Dominum.

Ad Magnificat.

A. Oriens sol justitiae
Dignatus est illustrare
Per ministros lucis suae
Cunctos fines orbis terrae:
Ipsi laus, qui dedit Anglis
Lucernam suae salutis,
Cuthbertum, bonum doctorem
Ac pro his intercessorem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Auctor donorum spiritus,
Inspirans vera vatibus,
Per trinum fatur infantem,
Cuthbertum fore praesulem.
2. Qui Raphaelem archangelum
Tobiae dedit medicum,
Cuthberti genu languidum
Suum sanat per angelum.
3. Dum jactantur puppes salo,
Sanctus orans haeret solo,
Mox ventorum vis mutata
Naves vertit ad litora.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Edomans corpus juvenis
In undis pernoctat maris,
Ibi Deo vota laudis
Ex affectu reddit cordis.
2. Mirum dictu, hinc egresso
Et oranti genu flexo
Membra refovent rigida
Aequoris animalia.
3. Adest frater curiosus
Explorans, quid agat justus,
Quem languore et pavore
Mox correptum sanat prece.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quandam vexatam daemone
Pergit sanctus invisere,
Sed mox dirus fugit hostis
Fit mulier incolumis.
2. Multos hic sanavit aegros
Languores depellens saevos,
Multas effugavit larvas
Virtute crucis territas.
3. Sanctus antistes Cuthbertus,
Vir perfectus in omnibus,
In turbis erat monachus
Digne cunctis reverendus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christi fortis hic athleta
Ac verus anachoreta
Mundi tempsit haec infima,
Quo coeli caperet summa.
2. Qui de rupe prompsit aquam
Post in vinum vertens eam,
Hoc utrumque donum suo
Caro contulit Cuthberto.
3. In episcopatu suo
Jam exacto biennio,
Ut soli vacaret Deo
Dilecto se reddit antro.
4. Hinc tanguntur artus sacri
Corporis morbo letali,
Sciens vero se resolvi
Confortat ovile Christi.
5. Mox pater suos affatur:
Quisque vestrum temnat mundum,
Amet Christum, colat bonum,
Sic supernum sumet regnum.

Ad Benedictus.

A. Languor accrescens in dies
Artus vexabat fragiles,
Ipse sacras fundens preces
Coelicas praegustat laudes.
Dum terrenus redit, dies
Aeternus Cuthberto quies,
Salutares sumit dapes,
Sic supernas scandit sedes.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O magne praesul Cuthberte,
Cui Christus fuit vivere,
Cui mori lucrum perenne,
Dum post mortem vivis vere,
Signis divinis inclite,
Languidos sanans a labe;
Hinc rogamus pia prece,
Tu pro nobis intercede.

Cod. Londinen. Harl. 1117. saec. 11. A. — Brev. ms. Anglicum saec. 13. Cod. Parisien. 12036. B. — Brev. ms. Coldoniense saec. 13/14. Cod. Londinen. Harl. 4664. C. — Brev. ms. Wintoniense? saec. 14. Cod. Oxonien. Rawlin. Liturg. e 1. D. — Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. E.

In 1 Vesp. Super Ps. A fehlt ABD; C hat statt dessen: Ave praesul gloriose | Ave sidus jam coeleste etc., was eine fremde Anleihe ist. — ACD, die monastisch sind, bringen die AA von Noct. 1 und 2 in Noct. 1, die AA von Noct. 3 in Noct. 2. Ihnen fügen zur Kompletierung AD, drei prosaische AA de Communi hinzu, woraus hervorzugehen scheint, dafs die monastische Form nicht die ursprüngliche ist; C kompletiert durch folgende drei AA:

4. Aves sancto obaudiunt, Corvi correcti redeunt
Lignumque cellae fabricae Nec (!) lectum nautis fert mare.

5. Patris benignam gratiam Linquentes per septimanam
Maris ligat undositas, Dum petit, fit tranquillitas.

6. Ut Elisaeus mortuus Resuscitavit mortuum,
Ita Cuthbertus aegrotus Sanat dissenteriacum.

In 2. Noct. stellt B A 1 und A 2 um. — In 3. Noct. ad Cantica haben AD wieder eine prosaische, C die folgende A:

Hujus vitali funere Daemoniacus aegerque,
Paralyticus tumensque, Deformis vultu visuque,
Diversaeque miseriae Sanantur membris menteque.

A 3, 3 Virtutibus erat monachus. — In Laud. A 3, 4 reddidit BCE. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 6 Languidos fehlt E.

37. De sancto Dionysio.

In 1. Vesperis.

R. O flos doctorum,
Dionysi, gemma decoris,
Alta poli castra
qui gyras ter tria, quorum
Empyreis uni
nos, pater alme, choris.

V. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, aurum opus decoris tui.*

Ad Magnificat.

A. Magna potens humilis
per saecula magnificavit,
Quos ad regna fides
signata cruore vocavit,
Eximio quorum
nos, rex aeterne, precatu
A peccatorum
condenso solve reatu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Lux matutina
dum surgit praevia solis,
Haec hodie trina
conserit astra polis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fructum ligni salutaris
Viri sancti gustaverunt,
Voti fideique paris
Iter justum abierunt.

2. Dum in eos fremuerunt
Gentes vana meditantes,
Jugum mortis diruperunt
Legem Dei praedicantes.

3. Tribulatos dilatavit
Deus rex justitiae,
Cor eorum consignavit
Vultus sui lumine.

Responsoria.

1. Germine sublimi
Dionysius ortus Athenis,
Fragrans more thymi,
Quae in hortis crescit amoenis

V. *Et quasi flos rosarum in diebus vernis.*

2. Floribus astrorum
decus hic juvenile polivit,
Diopolim quorum
fervens in amore petivit.
V. *Suspice coelum et intuere et contemplare aethera.*
3. Quinque gerit lustra,
dum sol radiis spoliatur.
Arguit haud frustra,
quod et ipse Deus patiatur.
V. *Occidet sol meridie et tenebrescere faciam in die luminis.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Digne justi gloriantur
Nomen Christi diligentes.
In quem sperant et laetantur
Veritatem inquirentes.
2. Inimicum destruxisti
Cum gloria et honore.
Laudem tibi perfecisti,
Deus, martyrum cruore.
3. Nulli malum facientes
Veritatem sunt locuti,
Lingua dolum non agentes
Christum Deum sunt secuti.

Responsoria.

1. Mellifluis pastum
de venis astrologiae
Accitus ad fastum
thronus effert theosophiae.
V. *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*
2. Vas Domini gratum
titulos orbis speculatur,
Ignotum natum
passumque Deum cruce fatur.
V. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.*
3. Mox orbis lucis
dum lumine mirificatur.
Mente fideque crucis
Dionysius irradiatur.
V. *Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In his voluntas Domini
Est mirificata,
Quo pars et haereditas
Sanctorum est conservata.
2. Hi per innocentiam
Dei montem ascenderunt,
A quo misericordiam
Salutarem acceperunt.
3. O florens palma,
summi decoris agalma.
Gloria sanctorum
mercesque laboris eorum,
Ex rubris undis
maris hujus, Christe, profundis
Ad te translatis,
pie rex, nos junge beatis.

Responsoria.

1. Dum per Clementem
primas Gallis cathedratur.
Spargit sementem,
qua messis multa paratur.
V. *Videte regiones, quia albae sunt jam ar messem.*
2. O fulgens stella,
fidei fidissime testis,
Vena fluens mella,
confer solamina maestis.
V. *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae.*
3. Alme sanctarum
fons vivus deliciarum,
Ad coetum procerum
perduc nos coeligenarum
Et da luce tui
vultus in aethere frui.
V. *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbrimus lumen.*

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laudes, Christe, domus
tua pangat cincta decore,
Justorum bella
quae sacra mirificat.
2. Sidere jam lucis
orto Domino jubilemus,
Pascua qui sanctos
vexit ad alta suos.
3. In quadro rutili
lapides tres ordine sculpunt
Hos evangelica
luce fideque patrum.
4. Tres cernens fidei
pater unum pronus adorat,
Pro tribus illaesis
sit benedictus idem.
5. Laudemus Dominum,
quem laudat spiritus omnis,
Machina quem rerum
trina tremendo colit.

Ad Benedictus.

A. In domo David
sceptrum splendescit honoris,
Rex pacis stravit
inimicum vimque timoris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ante thronum stantes,
rerum fontem speculantes,
Palmas gestantes,
nova cantica continuantes,
Testes constantes
Domini veneremur ovantes
Et citharizantes
conclamemus jubilantes
In aeternum Alleluja.

Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1484. — Ad Matut. Inv., 2 surget praevia solis. — In 1. Noct. A 1, 3 que fehlt. — In 2. Noct. A 3, 3 Linguam.

38. In Translatione s. Dionysii.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Veni, pater Dionysi,
Veni de Graecia,
Veni de Gallia,
Veni, decus paradisi,
Ut te Germania
Laeta foveat cantans,
Pie Franciam supplantans.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Teutonia, thesaurum
Pretiosiorem jam retinens quam aurum,
Ossa sacra insignis Gallorum apostoli,
Areopagitae, Graeciae didascali
Et gentium doctoris quondam discipuli,
Pro cujus laude gaudentes exultant populi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Est huc translata
Gallorum gloria grata,
Hinc vigiles Christo
Templo jubilemus in isto.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Magnificus Imperator,
Loci praesentis ornator,
Arnolphus Caesar quaerebat
Et ad Germanos ferebat,
Ut Dionysii sacras
Traduceret reliquias.
2. Usus pia fraude
Caesar dignus laude
Perfrui voto meruit,
Quod solo presbytero aperuit,
Quem his aptum novit.

3. Clericus cernens affectum
Tantum imperatoris
Pia fallacia corporis
Sacri reliquias furatur,
Quas imperator Arnolphus
Germanis invehi collaetatur.

4. Sancti praesulis reliquias
Dionysii Arnolphus
A Gallia reductas
Tempore vitae suae devotius
Secum ferens glorificavit,
Sed nostram eis ecclesiam
Moriens pie locupletavit.

5. Felix Areopagita,
Gemma Graeciae polita,
Ratisponae modo pausat,
Hoc Arnolphus Caesar causat.

6. O felicem dolum,
Quo Germaniae solum
Tanto thesauro ditescere,
Tanto flore nitescere
Meruit munere Augusti
Fallendo non injusti.

Responsoria.

R. Primum Athenis
Dionysius docuit,
Demum Parisius, illic martyr
ibidem deponitur
Et per Arnolphum postmodum
ad nos devectus,
Sacris ossibus sacrat locum
hunc flos electus,

V. Per vas Graeciae,
Vas electionis,
Potum Gallis gratiae,
Transmisit Germaniae
Nunc cum patronis.

R. Vicit Parisius
et victor ibi tumulatur,
Inde Dionysius
pater hic translatus humatur,

V. Graecia quo prole,
quo lucet Gallia sole.

R. Coelum perlustrat tertium,
Hinc ordinat commercium,
Coelorum choros limitans,
Pauli volatum imitans.

V. Officia hierarchica
Distinxit et angelica.

R. Ecce Graeciae doctorem
Et Galliae conversorem
Urbium foves corona
Marchiarum, Ratispona,

V. Arnolphi magni per donum
Nobilem servas patronum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Doctoris Pauli discipulus,
Nobilis Dionysius,
Est Graeciae flos insignis,
Areopagi didasculus
Fit Galliae specialis apostolus.

2. Primo fit praesul Atheniensium,
Post haec Parisiensium
Gentium doctor.

3. Coelum cum Paulo
magistro penetrat
Ejusque secreta
mundo reserat.

4. O Dionysi
Tuis resurgant precibus
A peccati faecibus
His allisi.

5. Philosophorum doctissime,
Dionysi,
Qui secutus magistrum
Paradisi
Secreta perlustras
Fraudes hostis callidas,
Nunc invisi.

Responsoria.

1. Tecta latent tenebris
Loca, quae lux orbe celebris
Deserit ablata,
qua luget gens viduata.

V. Tu loca Gallorum
viduasti, gemma polorum.

2. Dum capsa deponitur,
Novus fons producitur,
Fur pius abluitur
V. Fonte, Dionysi,
scaturigo potens paradisi.

3. Jubar nobile Graecorum,
Dionysius, Gallorum
Doctor, martyr martyri
Emmeramo praesuli
Praesul junctus est simili.
V. Sanctus hic et ille
Manus misericordiae
Nostrae pandant miseriae.

4. Convertens ad fidem Gallos
Graecorum radians lucerna,
Flos Dionysius,
Pridem Parisius
Triumpho potitus
Ibidem est situs,
V. Translatus in Ratisponam tandem
Meritis sacrat eandem.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Dum devotio Caesaris
Per ossa sacrati patris
Maximum duceret jubilum,
Loca contegit nubilum,
V. Quae lux tanta deseruit,
Caligo mox operuit.

2. Corruscat apud nos carne locatus
Hierarchiae scriba beatus,
V. In terris scribens angelica
Pandat nobis nunc coelica.

3. Lumen Grajorum
praefulgens arte sophorum,
Areopagi lux,
quem tu, verae fidei dux,
Paule, Deo ferens,
primus qui rexit Athenas,
Parisius palma
fretus deponitur alma.
V. Denuo translatus
apud Imbripolimque locatus,
Hanc sacrat ecclesiam
comes, Emerame, tibi jam.

4. O praedulcis Areopagita,
Graeciae margarita,
Qui dum Gallorum patriam convertis
Martyrii palmam adeptus
Proprium caput manibus detulisti,
In Francia primo sepeliri voluisti.
V. Hinc translatus Ratisponam
Ultimo die reddendam
Apud Emmeramum martyrem
Praestolaris coronam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Constans veritas inventa,
Et signis et scripto contenta,
Nec locum reliquit jam dubiis,
Dionysii hoc ossa esse in templo.

2. Leo veri signa videns
Affirmavit rem confidens,
Omne dubium relidens.

3. Papa rem expertus
Certo scrutinio,
In hujus templi scrinio
Sanctum esse doctorem
Promulgat mundi confinio.

4. En lapides fiunt testes,
Teutoniam quod honestes,
Dionysi sanctissime,
Huc translatus novissime.

5. Per Augustum huc translate
Et per papam promulgate,
Nos defendas, hic locate.

Ad Benedictus.

A. Te Paulus dedit
Christo, duce te credit
Gallia, Machari,
qua martyr vis tumulari,
Tandem translatus
hac pausas aede locatus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Fidelis Caesar, beatis
reliquiis potiri
Gaudens, apud illas
ipse sepeliri
Praeelegit, Dionysii
Sese sperans praesidio
et tutela fulciri,
Unde et desiderium
est impletum in hoc viri.
Hic est ille Arnolphus,
Qui ad Macharii ferbuit cultum,
Quem et dilexit multum.
Hic est enim ille Arnolphus,
Qui ei, quem vivus coluit,
Tandem mortuus abesse noluit
Martyri Christo glorioso,
Quem in coelis coronatum
Novit lapide pretioso.

Brev. ms. S. Emmerani saec. 14. Clm. Monacen. 14600. A. — Brev. S. Emmerami imp. 1571. B. — In 3. Noct. Antiphona ad Cantica: Veni pater Dionysi etc. — Hymnus in Vesp. et Laud.: Electus doctor gentium, vgl. Analecta IV. p. 126, wo 5, 2 in somnibus als ein Wort zu lesen ist; ad Noct. Martyr Dei qui unicum.

39. De sancto Dompnolo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosi confessoris
Dompnoli solemnia
Coetus noster celebranda
devote suscipiat,
Quo superna mereamur
perfrui laetitia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Salvatorem mundi omnes
adoremus Dominum,
Qui ereptum terris sanctum
sacerdotem Dompnolum
Sublimavit laureatum
ad coeli palatia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste sanctus a primaevo
jussa sequens Domini
Omni morum probitate
insignis enituit.

2. In quo quanta lux coelestis
gratiae succreverat,
Ejus sacri depromebant
actus et eloquia.

3. Qui fervore inflammatus
fidei catholicae
Praepollebat in doctrina
lucis evangelicae.

Responsoria.

1. Venerabilis confessor
Christi, sanctus Dompnolus,
Generosis oriundus
praedicatur fratribus.

V. Generosior futurus
generosis actibus.

2. Ille nondum evolutis
annis puerilibus
Rudimentis mancipavit
sese liberalibus.

V. Ut superna instituta
hauriret felicius.

3. Hinc abunde exornatus
gemina scientia
In pontificali digne
sublimatur cathedra,

V. Utriusque testamenti
suffultus peritie.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Et quod praedicabat ore,
   exhibebat opere,
   Ut audire mereretur
   boni servi Eüge.
2. Cumque nimis rutilaret
   caritatis lampade,
   Jure sibi arridebant
   et virtutes ceterae.
3. Dabat enim potum siti,
   cibum fame tabidis,
   Vestem nudis, tectum vagis,
   supplementum languidis.

Responsoria.

1. Qui lucerna constitutus
   jam super candelabris
   Copiose attendebat
   gregem sibi creditum,

V. Hortans eum ad supernum
   festinare bravium.

2. Caeco visum reparavit
   ejus sparsa oculis
   Lympha stillans ex ablutis
   manibus pontificis,

V. Quem perfectum probatumque
   colliriis exstitit.

3. Alter caecus postulavit
   ab eo praesidium,
   Cui praesul restauravit
   luminis officium,

V. Pronus miser acclamabat:
   fer, pater, auxilium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rutilabat exornatus
   flore parsimoniae,
   Unde mire redolebant
   fructus abstinentiae.
2. Nam labores et aerumnas,
   sitim et inedias
   Algoresque computabat
   pro Christo delicias.
3. Talibus tantisque signis
   virtutum conspicuus
   Infulatur cleri, plebis
   ordinisque laudibus.

Responsoria.

1. Dum offertur viro Dei
   quidam paralyticus,
   Confestim expulso morbo
   sanitati redditus

V. Sacerdote pro misello
   orante devotius.

2. Virum quendam agitatum
   furore daemonico
   Dei servus sanitati
   pulso reddit zabulo

V. Oleo linitum sacro
   crucis cum signaculo.

3. O superni senatorum
   gemma capitolii
   Atque sidus jam coeleste
   victoris eximii,
   Dompnole, nobis aeterni
   iram placa judicis,

V. Qui conjunctus gloriaris
   coetibus aethereis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Ad superni regis laudem
   decus atque gloriam
   Transitus beati viri
   digeramus ordinem.
2. Dissolutionis suae
   imminente tempore
   Diem ejus atque horam
   praedixit certissime.
3. Quo audito confluebant
   ad eum quam plurimi
   Medicinam exspectantes
   animae et corporis.
4. Qui exinde redeuntes
   laetabantur maxime,
   Quod nequaquam spei suae
   frustrabantur munere.

5. Jam condigne tumulatus
sacerdos post triduum
Daemone fugato sanum
reddit energumenum.

Ad Benedictus.

A. Quicunque morbo tabidi.
Cujusvis valetudinis,
Petebant ejus tumulum
Salutis ob auxilium.
Reportabant ad propria
Incommodi remedia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Recolentes frequentemus
tanti festa praesulis,
Qui hac luce fruens multis
claruit miraculis.
Ad postremum sociatus
civibus aethereis,
In Jerusalem superna
collocari meruit,
Ubi ejus mereamur
adscribi suffragiis.

Brev. ms. Cenomannense saec. 15. Cod. Parisien. 1302. A. — Brev. ms. S. Mariae in Belloloco saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. IV° 17. B. — Brev. ms. Vadatense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 24. C. — Brev. Cenomannense imp. Rotomagi 1492. D.

Invit., 4 sacerdotem fehlt A. — In 1. Noct. A 1, 1 primaevis A. — R 1, 1 sq. confessor Domini Dompnolus A. — R 1, 5 facturus A. — R 2, 1 Ille mundum A. — R 3, 1 Hunc B, Nunc A. — In 2. Noct. A 2, 2 claritatis A. — In 3. Noct. R 2, 5 Oleum A. — Ad Bened. A, 3 Petebant suffragia ejus tumulum A.

40. De sancto Donato.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Celsa sancti praesulis
Donati solemnia
Piis laudum titulis
Recolat ecclesia,
Cujus nos a maculis
Eruant suffragia,
Quem nec vicit stimulis
Mors nec mundi gloria.

Ad Magnificat.

A. A progenie in progenies
Fecit misericordiam Dominus,
Qui eduxit Abraham
De Ur Chaldaeorum
Et de ultimis finibus
Vocavit sanctum Donatum,
Ut in hac terra nostra
Peregrinus esset et advena,
In illa vero patria coelesti
Cives sanctorum
Et domesticus Dei.
Ibi nobis datus
A Deo patronus
Jugiter intercedat
Pro hac sancta plebe
Et universis fidelibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus vero David
In psalmorum carmine,
Qui Donatum collocavit
Martyrum in agmine.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Erat Romae puer quidam
Qui ex legis arbore
Vitam castam, mentem fidam
Suo dedit tempore.
2. Apprehendit disciplinam
Cum collega Juliano.
Qui rejecit spem divinam
Pro honore mundi vano.

3. Insurgentem Julianum
In tormenta martyrum
Fugit ad Hilarianum
Et antistitem Satyrum.

Responsoria.

1. Cum utraque legis rota
Vir beatus mente tota
Ibat nec revertebatur
Sed cum rotis levabatur,

V. *Quia lex Dei in ore ipsius nec supplantabantur gressus ejus.*

2. Sancti deprecatio
Opem fert Austerio
Propulso daemonio.

V. *Laudavit nomen Dei cum cantico et magnificavit eum in laude.*

3. Euphrosynam jam sepultam
Jubet fiscum prodere
Viro suo, qui per multam
Vim artatur solvere.

V. *Laetatur super inventa pecunia sicut qui invenit spolia multa.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Merito mirificavit
Deus suum famulum,
Quia vana non amavit
Nec mendacem titulum.

2. Scuto bonae voluntatis
Dei vir innititur,
Per quod nubes caecitatis
A Syranna pellitur.

3. Hinc honore coronatur
Pastoralis gloriae
Et patrono gloriatur
Tali plebs Aretiae.

Responsoria.

1. Ex levitae manibus
Calix lapsus crepuit,
Quem vir Dei precibus
Integrum restituit.

V. *Voluntatem timentium se facit Dominus et deprecationem eorum exaudit.*

2. In tutelam Dei jecit
Spem indissolubilem,
Dum draconem interfecit
Fontem dans potabilem.

V. *Eruit a morte animas civium suorum alens eas in fame.*

3. Mortuum resuscitavit,
Qui convicit impium
Exactorem, cui monstravit
Scripti testimonium.

V. *Quia dolose egit in conspectu Domini, ut inveniretur iniquitas ejus.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confidens in Domino
Regis Theodosii
Filiam a laqueo
Eruit daemonii.

2. Hic in monte studuit
Dei requiescere,
Dum cum suis docuit
Regem Christum credere.

3. In virtute, Domine,
Tua rex laetatur,
Dum in tuo nomine
Credens baptizatur.

Responsoria.

1. Ecce novus hic Elias,
Per quem terrae siccitas
Irrigatur per pluvias
Prece sua traditas.

V. *Dominus dedit benignitatem et terra dedit fructum suum.*

2. Ut Donatus praesentetur,
Trux Quadratianus
Jubet, cum quo detinetur
Et Hilarianus.

V. *Considerat peccator justum et quaerit mortificare eum.*

3. Hodie jubar aethereum
Per ascensum purpureum
Ad Salomonis aureum
Transit reclinatorium
Bibens passionis fluvium.
V. *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput.*

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Miles Dei se virtute
Cingens fortitudinis
Spernit poenas, pugnat tute
Spe beatitudinis.

2. Ejus os lapidibus
Tundi dum jubetur,
In hymnis et laudibus
Deum confitetur.

3. In te, Deus, anima
Donati sitivit,
Per te quaeque maxima
Pati dum cupivit.

4. Benedicens Dominum
Carceris ergastulo
Solvit multos hominum
A languoris vinculo.

5. In excelsis laudans Deum
Capitis sententiam
Subit, talem per trophaeum
Vehitur ad patriam.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Deus, qui nos
Hoc patrono visitavit,
Per quem regno coelesti nos
Nati sui David
Hujus mundi post declinos
Decursus haereditavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Confractum calicem vitreum
Donati orationibus
Redintegravit Dominus,
Cujus unam partem
Abstulit diabolus
Ad suam ignominiam
Nostraeque salutis gloriam,
Quia cum desit in fundo calicis,
Nulla tamen exinde
Gutta distillat.

Brev. Hallense imp. Lipsiae 1534. A. — Brev. Misnense imp. Lipsiae 1502. B. — Brev. Magdeburgense imp. Norimbergae 1491. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** fehlt A. Ibid. 6 Exuant C. — Ad Magn. **A**, 5 finibus terrae A. — In 1. Noct. **A** 3, 2 tormentis B. — **A** 3, 3 Surgit ad B. — **R** 1, 1 Cum veraque B. — **R** 1, 3 et revertebatur B. — **R** 1, 4 fehlt B. — **R** 3, 4 Vim artatam B. — In 2. Noct. **R** 1, 4 In integrum C. — **R** 3, 4 Scripte A. — In 3. Noct. **A** 3, 1 sq. In virtute tua Domine A. — **R** 3, 4 Transiit A. — In Laud. **A** 3, 2 Sitivit Donati A.

41. De sancto Donato.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jucundare, felix Sistaricum,
Confessoris tanti solemnio,
Bene cane, frequenta canticum,
Dilatetur tua devotio,
Caput habes pignus mirificum,
Juste gaudes hoc privilegio,
Cum sis caput in episcopio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christi mirificam
Laudemus gratiam,
Qui dedit coelicam
Donato gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annos pueritiae
Transcendens Donatus
Dulcedine patriae
Non est immutatus.

2. Christum sequi nititur
Mundae puer mentis,
Mundus vilipenditur
Cum oblectamentis.

3. Qui vagus et varias
Circuiens provincias
Tandem venit per salebras
Ad montis Lurae latebras.

Responsoria.

1. Servum Dei serpens intuitus
Sibilans dat horrendos strepitus,
Non est mirum, si parum territus
Fuit vir inclitus.
V. Sancti perniciem
propinans capitis
Elevat aciem
quindecim cubitis.

2. Angulari confisus lapide
Roboratur fidei casside,
Opem sperans a summo praeside
Perstat intrepide,
V. Manus levans ad coelum poplite
Flexo gressum figit in cespite.

3. Draco statim toto conamine
Durentiae labitur flumine
Repentino praecipitamine
Sancti precamine,
V. Multitudo sequens reptilium
In eundem defluit fluvium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus admirans properat
Et, ubi draco steterat,
Aedificat tugurium,
Paupertatis indicium.

2. Basilicam montis in culmine
Sancti fecit Martini nomine
Mediante Christi juvamine.

3. Hic tempore diutino
Manente Dei famulo
Tandem placuit Domino
Notum facere populo.

Responsoria.

1. Ruricolae terrae fortuito
Casu cellam viderunt eminus,
Sed timore serpentum solito
Non sunt ausi venire cominus.
V. Sanctus ad se verbo mellifluo
Vocat eos loquentes mutuo.

2. Praedicat evangelium
Jesu Christi ruricolis,
Aeternae vitae praemium
Spondet relictis idolis,
V. Verbis ejus omnes obediunt,
Orthodoxam fidem recipiunt.

3. Egressi votum faciunt
In illa sanctum finibus,
Quotquot ad eum veniunt
Fatigati languoribus,
Sanitatem recipiunt
Ejus orationibus,
V. Aromatum cella detegitur,
Sanctitatis odor diffunditur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Taliter Noe
plantat vineolam,
Quae non fraudat
suum vinicolam.

2. Infra parvum spatium
Vinum profert, unde
Sanctus sacrificium
Faciat abunde.

3. Rusticus confunditur
Uvam portans ore,
Sed liber efficitur
Licet cum rubore.

Responsoria.

1. Ebreduni decus, flos, speculum,
Florentinus contemnens sae-
culum

Sancti pergit ad habitaculum,
Offert se servulum;
V. Donati magisterio
Brevi profecit spatio.

2. Fur olerum facto fasciculo
Tota nocte gyrat per ambitum
Nec in toto reperit hortulo
Praedo infer liberum exitum,
V. Sanctus suo coram discipulo
Repertum liberat summo diluculo.

3. Strictum parat iter et horridum
Ad Donati daemon imperium.
Restant adhuc acervi lapidum
Veri facti dantes indicium,
V. Montem replet quaerelis miseris
Ob injuncti laborem operis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Celsus, plenus nequitia,
Donati jubet latera
Tundi virgis, praestigia
Reputans ejus opera.

2. Sexaginta pedibus
Rupis rima patet,
Ubi cum discipulo
Metu Celsi latet.

3. Boves quaerit rusticus,
quem videns vir Dei:
Cras, inquit, invenies,
sic accidit ei.

4. Celsus celsitudini
timore sublato
Pro sananda filia
supplicat Donato.

5. Venit ad infantulum
Cerva certis horis
Lactis praebens poculum
Prece confessoris.

Ad Benedictus.

A. Sanctus iste plenam victoriam
Consecutus ad coeli patriam
Post praesentem transit miseriam,
Pro labore reportans gloriam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Florentinus cum sancto Mario
Sancti corpus tumulant hominis,
Quorum trium sacro consortio
Nos societ filius hominis.

Brev. Sistaricense imp. Sistarici anno 1513. — In 3. Noct. R 1, 6 profert spatio. — In Laud. A 1, 3 praestigiam. — Ad Bened. A, 4 reputans gloriam.

42. De sancta Ebba.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave sidus coelestis curiae,
Flos et decus, Ebba, Britanniae,
Tuos tuis adstantes laudibus
Coeli tecum adjunge civibus.

Ad Magnificat.

A. Christe, salvator
et amator hominum,
Qui es sponsus
et corona virginum,
Tua, quaesumus,
laetetur ecclesia
Tuae Ebbae
tibi solvens praeconia,
Ut quicunque
ejus gaudent officio,
Tuo semper
subleventur auxilio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur
Christus rex gloria,
Qui glorificat
Ebbam in aethere.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sicut florem vitis munera
Sic Ebbam in stirpe regia
Felix produxit Britannia.
2. Ethelfridi regis filia,
Oswiu soror eximia
Et Egfridi erat amita.
3. Claris exorta natalibus
Mundum fide, formam moribus,
Et sexum vicit virtutibus.
4. In urbe triumphans Coludi
Carne munda et corde simplici
Caput diri contrivit colubri.
5. Divino conducti foedere
Et viri simul et feminae
Sub ea gaudebant vivere.
6. Puellis matrem instantia
Et viris patrem constantia
Quam mira se dedit gratia.

Responsoria.

1. Ethelridam instruxit sedula,
Quae nupta et sine macula
Relicta regali copula
Ebbae facta est discipula,
V. Labori commutans otia,
Claustro regnum et duris mollia.
2. Dum quidam nolentem nubere
Raptu molitur opprimere,
Latenti maris confinium
Triduo dedit praesidium,
V. Contra tyrannum superbiens
Et montem undis praemuniens.
3. Sanctorum Ebba frequentiam
Optabat ob verbi gratiam,
Quae exemplis atque monitis
Formam dabat sibi subditis;
V. Praeclaris per orbem titulis
Ex multis effulsit meritis.
4. Cuthbertus Ebbam praecipuo
Amore complectens assiduo
Subjectos sibi instruere
Et hanc gaudebat invisere,
V. Licet ut virus consortia
Devitaret muliebria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Contemnens mundi gloriam
Per carnis continentiam
Christo se dedit hostiam.
2. Ut paradisus effloruit,
Sic ille locus enituit,
Dum vita sanctorum claruit.
3. Invidit serpens successibus
Et primis nocendi artibus
Venenum infudit mentibus.
4. Sicut Eva virum exuit,
Sic forma viros destituit
Et stellas in luctum eruit.
5. Dum ita luderet furia,
Haec hostis inter illudia
Ebbam latebat injuria.
6. O felix mater et domina,
Funde pro nobis precamina
Et nostra terge peccamina.

Responsoria.

1. Adampnanus noctu fletibus
In stratu vacans et precibus
Coelesti accepit nuntio
De loci hujus excidio,
V. Ostensa est ei visio
Crudeli nota praesagio.
2. Revelabat Ebbae postea
Peritura flammis omnia,
Sed id habebat solatii,
Ipsa vivente non fieri,
V. Tanti quippe erat meriti,
Quod possent casus tam miseri
Ipsa vivente non fieri.
3. His virgo verbis admonita
Corda pavore perterrita
Ad primos actus erigere
Salubri instabat opere,
V. Coelestem iram repellere
Et vires hostis reprimere.

4. Salvatoris Christi famula
Post hujus vitae curricula
Felix perceptura bravium
Ad regni venit palatium,
V. Relinquens terrae corpusculum
Et inferens coelo spiritum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Sicut rosa super
aquarum rivulos
Virtutum Ebba
profudit flosculos
Et sicut sponsus
sponsatam monilibus,
Sic Ebbam Dominus
ornat virtutibus.

Responsoria.

1. Post mortem matris ad pristina
Reversi sunt flagitia,
Quos truci statim incendio
Divina consumpsit ultio.
V. Olim Loth egresso Sodomam,
Sic post Ebbam plebem pessimam
Divina consumpsit ultio.

2. Quam mira, quam mirabilia
Sunt tua, Christe, magnalia,
Qui tuae Ebbae praeconia
Ditas multiformi gratia.
V. Fugantur enim daemonia
Et regis dantur subsidia.

3. O virgo prudens et inclita,
Quam tanta decorant merita,
Veniam nobis pro crimine
Apud Christum supplex obtine,
V. Ut mereamur in aethere
Cum sanctis tecum convivere.

4. De nocte saeculi
carnis e carcere
Prudens et vigilans
et pulchra facie
Accensa lampade
conscendit libere
Ad sponsi thalamum,
ad thronum gratiae;
V. Quae pro peccatis hominum
Intercedat ad Dominum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gratuletur pia
mater ecclesia
Superni regis
collaudans magnalia
In suae virginis
sacra memoria.

2. Aegrotis exhibens
salutis opera,
Quae dum viveret
in hac carne tenera,
Super afflictos
pia gessit viscera.

3. Contractos erigit,
os mutis aperit,
Caecos illuminat,
larvas exterminat,
Et laesos reparat
et clausos reserat.

4. Benedicat Ebba Dominum,
Ebbam exaltet os hominum,
Quae lucet in choro virginum
Nec lucis habebit terminum.

5. Quam laudabilia
Virginis praemia,
Cujus memoria
Dat beneficia,
Moestis est laetitia,
Salus cunctis et gloria.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Deus
Israel Dominus,
Ex altis oriens
quem nescit terminus,
Qui Ebbae vitam lucifluam
Et lucem dedit perpetuam.

Brev. ms. Coldoniense saec. 13/14. Cod. Londinen. Harl. 4664. — In 2. Noct. **A** 3, 2 nocendi actibus Hs. — **A** 4, 3 stellas inclitum. Hs. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 6 sponsatam monibus Hs.

43. De sancto Edmundo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, gemma confessorum,
Ave, dux et doctor morum,
Salve, sanctitatis rosa,
Mundi lampas luminosa.
Gaude, pater pietatis,
Summae sidus honestatis,
Vale, vernans flos, Edmunde,
Et pro nobis preces funde.

Ad Magnificat.

A. Pater pius
et primas Angliae,
Consertus est
angelis hodie.
Triumphantis
plausus ecclesiae
Psallunt ave,
coelestes curiae
Novae ducunt
festum laetitiae
Congaudentes
ipsius gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Edmundus ad gaudia
Migravit aeterna,
Militans ecclesia
Plaudat cum superna.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Summis erat praeditus
meritis Edmundus,
Sermone vel opere
nemini secundus.

2. Clerici sub habitu
clam ciliciatus,
Carnis implacabiles
domuit conatus.

3. Carnis frangens impetus
cibo parciori
Non sumebat omnium
potum sed honori.

Responsoria.

1. Candida virginitas
leges calcavit avitas
Carnis in Edmundo,
qui casto corpore, mundo
Corde Deum colere
studuit casteque timere;
V. Crimine nam saevo
non est infectus ab aevo.

2. Hic Moysis more
spreto Pharaonis amore
Pro minimo duxit,
quidquid cum tempore fluxit;
V. Annis a primis
coelestia praetulit imis.

3. Duras iste vias
tenuit, quas spernit Elias,
Exstitit huic testis
cibus artus et aspera restis,
V. Displicuit mollis
byssus et purpura vestis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir sine macula
non ivit post aurum,
Non amavit mammona
nec aeris thesaurum.

2. Seminans in lacrimis
in plausu messurus,
Carnis erat carnifex
rigidus et durus.

3. Erat ejus patula
porta viatori,
Equestri et pedito,
seni et minori.

Responsoria.

1. Vixit in hac vita
velut Jonadab Rechabita,
Cui census coenum
fuit et caro florida foenum;
V. Gaudia terrena
mundi contempsit amoena.

2. Carnis vota terens,
Danielis moribus haerens,
Usus aqua, pane,
corpus contrivit inane;
V. Pro dapibus regis
placuerunt azima legis.

3. Mite cor, ampla manus,
jugis patientia, sanus
Sermo, fides plena,
spes ardua, fama serena,
Mentis vota piae
dant hunc similare Tobiae;
V. Dives erat meritis,
quoniam botrus germina vitis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praesulatu Moyses
Aaron insignivit,
Hunc ad sacerdotium
Deus accersivit.

2. Lacte pastor providus
parvulos potavit,
Cibo verbi solido
fortiores pavit.

3. Quam speciosi pedes
pacem praedicantis
Quam grata vox exstitit
evangelizantis.

Responsoria.

1. Sal fuit optatum
terrae non infatuatum,
Pontificale decus
cui contulit arbiter aequus,
V. Ut lux sublimis
summis luceret in imis.

2. Certator fortis
superato principe mortis
Jam fruitur vita,
cui mors succumbit avita,
V. Signis testatur
quo laetus honore beatur.

3. O sol justitiae,
largiflua vena sophiae,
Praesulis Edmundi
meritis mala dele mundi,
V. Morbos convelle,
pestes preme, proelia pelle.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Coelestem Jerusalem
nulla nox confuscat,
In qua vitro purior
praesul hic corruscat.

2. Vivis ex lapidibus
urbs aedificatur,
Inter quos hic rutilus
lapis ordinatur.

3. Enoch Deus transtulit
mortem post visurum,
Hunc in coelum sustulit
nunquam moriturum.

4. Ad cujus memoriam
vitae restaurantur
Mortui, remediis
languidi donantur.

5. Est in coelo jubilans
jugis et jucundus,
Quo veris deliciis
Affluit Edmundus.

Ad Benedictus.

A. Opem nobis,
pater, accelera,
A septena
nos labe libera,
Ne plectendos
post carnis funera
Desolatos
ducat ad infera.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Flos in terra
crevit viventium,
In quo Rachel
sumpsit solatium,
Sol refulsit
post umbrae nubium,
Scandens vitae
percepit bravium.

Brev. ms. Sarisberiense? saec. 14/15. Cod. Londinen. Sl. 1909. — In 1. Noct. R 3, 4 aspera vestis Hs. — In 2. Noct. R 1, 2 Jonadab rathamita Hs. — R 1, 3 censum Hs. — In Laud. A 2, 3 rutilis Hs. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 3 Rachel plorans gegen den Vers Hs.

44. De sancto Eleario.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. A dextris sedet gloriae,
Nam a dextris justitiae
Sedit vita mortali,
Virgam virtutis explicat
Et nationes judicat
Conquassans caput mali.

2. Justorum in consilio
Dulcique contubernio
Et congregatione
Mandata dat fidelia,
Dum salutis utilia
Jubet Christi sermone.

3. Dispergens dans pauperibus
Pietatis visceribus
Commodans miseretur,
Disponens se judicio,
Cum recta generatio
Christi benedicetur.

4. Elearium nobilem
Respexit Deus humilem
In terra conversantem,
Collocans cum principibus,
Choris quoque coelestibus
In gloria laetantem.

5. Laudent gentes et populi,
Illustres magis saeculi,
Qui manet in aeternum,
Clarum sequentes comitem
Per sanctitatis tramitem
Ad bravium supernum.

Ad Magnificat.

A. Proles digna Provinciae,
Stirps generosa comitum,
Princeps summae clementiae,
Decus et honor militum,
Eleari beate,
Exora dari veniae
Nobis et vitae meritum
Tandemque fructum gloriae
Post hujus vitae transitum
In coeli claritate.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem laudantes omnium
In psalmis jubilemus,
In quo et Elearium
Voce magnificemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir consilium
Devitans impiorum,
Piorum fert vestigium
Sequens viam justorum.

2. Adversus Christum Domini
Plangit conventionem,
Qui vitam dedit homini
Per suam passionem.

3. Voce clamat ad Dominum
In morte dormiturus,
Post vultum plenum luminum
Monstrat resurrecturus.

Responsoria.

1. Puer beatus cingitur
Ad carnem chorda dura,
Adolescensque sequitur
Sermonum Christi jura
Familiaeque traditur
Pia forma secura,
V. Per quam Deus excolitur
Et proximus diligitur
Intentione pura.

2. Carnis horrens delicias
Cilicio vestitur,
Corpus sentit angustias
Amictus, dum sopitur,
Sic et per abstinentias
Jejunii nutritur;
V. Jocos spernit et nuptias
Et saeculi blanditias,
Dum Christi crux ambitur.

3. Desponsatur virginitas
In matre salvatoris,
In sancto fulget puritas,
Conjugium honoris,
Sic et perfecta castitas
Vim vendicat amoris.
V. Cor, gestus, vox, activitas
Per cuncta tenent semitas
Virginei pudoris.

Responsoria.

1. Vir lenis, mitis, humilis
Se clamat peccatorem
Dulcis, blandus, affabilis
Nec despicit minorem
Egenorumque pabulis
Se praebet servitorem;
V. Leprosos lavans osculis
Mulcet cultusque nobilis
Se monstrat contemptorem.

2. Vir rectus a justitia
Non novit declinare,
Amor, vis, munus, odia
Hunc nequeunt turbare,
Sic perfecta judicia
Perfecte scit amare;
V. Juncta misericordia
Damnatorum supplicia
Docebat deplorare.

3. Caritatis incendio
Salutem animarum
Verbis sitit et studio,
Viribus medullarum,
Hinc nullo pensat pretio,
Quod mundus habet carum.
V. Hinc pius in obsequio
Egenis fit auxilio
Plenisque viperarum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cordis signat laetitiam
Sereni vultus lumen,
Nam mundam conscientiam
Sibi dat Christi numen.

2. Verba percipit auribus
Et pauperum clamorem,
Quorum necessitatibus
Se dat intercessorem.

3. Honor, corona, gloria
Confessori beato,
Dei magnificentia
Ad coelos elevato.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In monte sine macula
Quievit castitatis,
Hinc Dei tabernacula
Habitat cum beatis.

2. Invenit tua dextera
Omnes, qui te oderunt,
Cunctis dum donat munera,
Qui mala tibi quaerunt.

3. Cordis habens munditiam
Et manum innocentem
Ascendit montis gloriam
Terrena transcendentem.

Responsoria.

1. In summa vehit spiritum
Orationis alis,
Fervescit in contuitum
Adspectus facialis,
Devotum fundens gemitum
Pro retractivis malis;
V. Sic sentit cor imbibitum,
Ut cum venit ad redditum,
Nec paret sensualis.

2. Invicta patientia
Christi armat athletam
Contemptus et opprobria
Mentem vere quietam,
Rerum quoque dispendia
Probant pace repletam.
V. Mors, lanquor, vis, fallacia
Nec tristant quaeque tristia
Animam semper laetam.

3. Dum moritur, conjugi stelleus
Apparuit
dicens: comes beatus
Contritus est per mortem laqueus
Et quilibet
nostrum est liberatus.
Tunc claruit factus aethereus
Miraculis
in Aptam post translatus
V. Infirmis fit salutis nucleus
Afflictisque protegens clipeus
Devotius
ab eis invocatus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus pudicitia
Supra carnis incendia
Ut dominus regnavit,
Decorem mentis induens,
Fortitudinem vestiens
Corpus terrae firmavit.

2. Servus Dei laetitia
Clarescit ad convitia
In exsultatione,
Divinum intrat atrium
In hymnis confitentium
Laudis confessionem.

3. Sic super stratum proprium
Memor est per cilicium
Christi Jesu plagarum,
In quem sitivit anima
Et caro sibi proxima
Luce vigiliarum.

4. Patrem, filium, spiritum
Per operum circuitum
Semper benedicamus,
Sancti et corde humilis
Cum laudibus et jubilis
Magnalia canamus.

5. Terrae reges et principes,
Et juvenes et virgines,
Coeli laudate Deum,
Sequentes Elearium,
Nam rex et princeps omnium
Ad coelum vexit eum.

Ad Benedictus.

A. Exsultet Apta civitas,
Quam exornat praeclaritas
Felicium membrorum,
Tantoque privilegio
Tu dotata religio
Ecclesiae Minorum,
In te sunt ossa condita,
Quibus aegris est reddita
Completio votorum.
Ad te, confessor optime,
Clamant languentes animae
Pro venia malorum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ex utero principium
Et generis initium
Sumens stirpe clarorum,
Die virtutis claruit,
Hinc satiari meruit
Splendoribus sanctorum.

2. In toto corde Dominum
Confitetur et luminum
Patrem laude septena
Sanctumque nomen Domini
Suo commendat agmini
Devotione plena.

3. Potens in terra timuit,
Cujus mandatis voluit
Beatus obedire,
Gloria et divitiae
Non poterant justitiae
Ipsius contraire.

4. Ex hoc nunc et in saeculum
Dei per solis circulum
Sit nomen benedictum,
Vosque laudate, pueri,
Puerum suo corpori
Tenentem fune strictum.

5. Laudate, gentes, Dominum,
Quo tempus est interminum,
Veritas manet rata,
Cujus misericordia
Est per sancti suffragia
Super nos confirmata.

Ad Magnificat.

A. O quam felix Provincia,
Sanctorum viridarium,
Proferens Elearium
Virtutum redolentia
Ut fructum Deo carum;
Felix et Apta civitas,
Sancti reliquiarium
Servans electuarium,
Quo datur aegris sanitas,
Sepulchrum signis clarum.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — In 1. Vesp. A 5, 2 magi. — In 2. Noct. R 1, 7 Leprosis. — In Laud. A 4, 4 humiles. — Das Officium ist auf das Schema des Franciscus-Officiums „Franciscus vir catholicus" etc. gebaut; die Hymnen siehe Analecta IX, p. 112 sqq.

45. De sancto Eleutherio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetetur chorus Domini
Sancto congaudens homini
Praecipuae virtutis,
Cujus debetur nomini,
Quod Tornacenses termini
Sunt in via salutis.

2. Hic est Sereni filius,
Beatus Eleutherius,
Verus Christi confessor,
Corruptionis nescius,
Praedicator eximius
Et Piati successor.

3. Hunc Medardus elegerat
Amicum, cum jam suberat
In aetate minori,
Et prophetice reserat,
Quod hunc Deus praeviderat
Praesulatus honori.

4. Adeptus nomen praesulis
Sed ferens sortem exsulis
Pressuris conquadratur,
Hinc corruscat miraculis,
Per quem a mortis vinculis
Blanda resuscitatur.

5. Affectus multo verbere,
Taetro reclusus carcere,
Visitatur de caelis,
Angelus adest propere,
Reducit eum libere,
Plebs stupet infidelis.

R. Pontifex virgineo
Venustatus flore
Sub ornatu roseo
Sanguinis decore
Bino privilegio
Pollet, Christum bivio
Secutus, nunc bravio
Fruitur promisso.

V. Bona conjugatio,
Rosa nubit lilio,
Castitas martyrio
Purpuraque bysso.

Ad Magnificat.

A. Exsultavit spiritus
Mundo morientis,
Confortatur coelitus
In agone mentis.
Deo laudes replicat
Manibus exstentis,
Sic pastor magnificat
Christum in tormentis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem auctorem omnium
Laudet chorus fidelis,
Qui sanctum Eleutherium
Coronavit in caelis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Declinans consortia
Puer impiorum,
Ut arbor egregia
Fructum fecit morum.

2. Postulavit Dominum,
Dedit ei gentes
Tornacenses, criminum
Maculis squalentes.

3. Non timebat populum
Circumdantem eum,
Spei suae baculum
Semper habens Deum.

Responsoria.

1. Post aliquantum spatium
Ab agone Piati,
Cum ebulisset nimium
Turpitudo peccati,
Quidam sunt Tornacensium
In Christo congregati;
V. De consensu fidelium
Praeponunt Eleutherium
Praesulem civitati.

2. Plus horrentes debito
Christianos mores
Infideles inito
Consensu majores
Pellunt urbe subito
Fidei cultores;
V. Sine culpae merito
Sancti censu perdito
Linquunt urbis fores.

3. Aquae multae non poterant
Fervorem impedire,
Virtutes, quae latuerant,
Inceperunt prodire,
Fideles nulla superant
Non tormenta non irae;
V. Blandinium accelerant,
De fabrica deliberant
Prompti Deo servire.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aucta tribulatio
Justum dilatavit
Et in sacrificio
Christo se litavit.

2. Introivit Domini
Templum in timore,
Quem vacantes sanguine
Caedunt cum furore.

3. Laus perfecta profluit
Per os confessoris,
Indignatum destruit
Animum ultoris.

Responsoria.

1. Sanctus enervat vitia,
Dum carnis contumacia
Subditur servituti.
Distillant ejus labia
Praecepta necessaria
Fidelium saluti,
V. Cujus victi solertia
Pelluntur urbe regia
Haeretici versuti.

2. Dum sanctus in ecclesia
Protelabat suspiria
Christum orans attente,
Intrat tribuni filia,
Carnis petit commercia
Furens vesana mente:
V. Fugit hic, linquit spolia,
Moritur temeraria,
Suscitatur repente.

3. Fontis renata flumine,
Sancto calescens flamine,
Postmodum baptizatur,
Blanda vocatur nomine,
Multo patris conamine
Puella provocatur.
V. Quae vivens sine crimine,
Tandem victo certamine
Cum sanctis coronatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christi tabernacula
Pastor est ingressus,
Cujus sine macula
Fuere progressus.

2. Quae petivit avide,
Jam accepit bona,
Pretioso lapide
Rutilat corona.

3. Innocentem opere
Sed et corde mundum
Fecit Deus scandere
Montem hunc fecundum.

Responsoria.

1. Multitudo gentilis populi,
Laesa peste, vim infert praesuli,
Caesum claudunt hora crepusculi,
Reseratur locus vestibuli.
V. Miro modo sunt conversi
Per hunc cives universi.

2. Post longum postliminium,
Quo rexerat Blandinium,
Sanctus hortatu civium
Redit ad locum patrium;
Fit in Tornaco gaudium,
Pastorem habet proprium.
V. Illuminat Mantilium,
Lepra curat Pericium,
Beatum pandit regium
Et obtentum remedium.

3. Attendentes haeretici,
Nomen eorum dejici,
Satis indigne ferunt,
In septa templi publici
Latent, ut possit effici
Flagitium, quod quaerunt.
V. Freti fraude multiplici
Plagas sancto pontifici
Letales inflixerunt.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Nimis sunt credibilia
Praeclara testimonia
Paternae sanctitatis,
Monetur Thecla tertio,
Quod reveletur visio
Praesuli civitatis.

2. Depulso mentis nubilo
Vacarunt omnes jubilo,
Cum puer resurrexit,
Sic Helisaeus visitat
Sunamitem, dum suscitat
Filium, quem dilexit.

3. Sub alarum velamine
Sancti plenus dulcedine
Feriolus exsultat,
Solvitur a discrimine,
Catena suo fragmine
Tribunum morte multat.

4. Benedicamus Dominum,
Post tempus non diutinum
Suscitatur tribunus,
Liber a lapsu criminum
Contritus vixit, geminum
Consecutus est munus.

5. Laudat fidelis concio,
Cum sanctus ab suburbio
Collocatur in urbe,
Fit coelesti prodigio
Sagittarum reflexio,
Forenses gemunt turbae.

Ad Benedictus.

A. Dum floreret in hac areola,
Mundum, carnem vicit et idola,
Quare trina fulget aureola
Coeli factus civis et incola.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Eleutheri
Confessor inclite,
Decus cleri,
Miles emerite,
Ad te rite
Suspirant miseri,
Nos in vitae
Libro fac inseri.

Brev. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XXI. A. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Tornacen. XXIII. B. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Insulen. 42. C. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Valentianen. 98. D. — Brev. Tornacense imp. 1497. E. — In 3. Noct. R 3, 4 In sceptro A. — Die Hymnen siehe Analecta IX p. 194 sq.

46. De sancto Emano.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancti festa nunc Emani
veneremur annua,
Qui factoris sequens jussa
caelebs liquit terrea,
Pro quibus est aggregatus
choreis coelestibus
Dei jussu et laureis
proclivis vernantibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Salvatoris mundi omnes
veneremur gratiam,
Qui Emanum sibi servum
adscivit mirabilem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatissimus Emanus
natalibus optimis
Cappadociae telluris
oriundus exstitit.

2. Pueritiae sub annis
adhuc ipse positus
Bonis coepit regi regum
complacere moribus.

3. Nam pro posse vestem nudis,
cibum fame morbidis,
Potum saepe sitienti,
verbum pravis contulit.

Responsoria.

1. Hic Emanus servus Christi,
ortus Cappadocia,
Sibi morum honestatem
sumpsit ab infantia,
V. Nam imprimis literarum
traditur ad studia.

2. Cum doctorum sibi sentit
copiam deficere,
Romam pergit jam decursis
annis pueritiae,
V. Illic fontem potaturus
spiritalis gratiae.

3. Hinc Carnotum cum abiret,
ipse in itinere
Claudum quendam sopitati
reddidit celerrime

V. Salvatoris mundi Dei
invocato nomine.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cumque flores jam subiret
hic adolescentiae,
Romam jussu Christi petit
causa sapientiae.
2. Quem Romanae Leo qui tunc
praeerat ecclesiae,
Susceptum insinuavit
atque fovit tenere.
3. Ille Christi in doctrina
studuit tantopere,
Ut a cunctis probaretur
strenuus in dogmate.

Responsoria.

1. Dum Carnotum moraretur
ille Dei famulus,
Verbum ejus praedicando
fideliter civibus
V. Plurimos ad Christi fidem
convertit divinitus.
2. Audiens quorundam necem
ille sanctus hominum
Cupiensque horum vitam
currit ad periculum,
V. Quos a fraude liberavit
circumvenientium.
3. Visu carens et auditu
filius praedivitis,
Dum praedicti supplex viri
praesentiam adiit,
V. Mox utroque morbo dempto
decorari meruit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ergo nocte quadam ille
jussus est ab aethere,
Ut Carnotum verba Dei
iret innotescere.
2. Cum videret claudum quendam
ipso in itinere,
Facto crucis signo illum
levavit de stercore.
3. Non longe post urbis dictae
moenia ingreditur
Et benigne verba Dei
praedicavit civibus.

Responsoria.

1. Quendam captum morte ejus
et matrem a daemone
Atque reum ejus mortis
detrusum in carcere
Uno sanctus Dei martyr
liberavit tempore;
V. Nam exstinctum vitae dedit
et reum a crimine
Atque matrem interfecti
servavit a daemone.
2. Virum quendam sanctus Dei,
Orfacium nomine,
Graviter cum adspexisset
correptum a daemone,
V. Facto signo crucis illum
liberavit strenue.
3. O invicte testis Christi,
Emane sanctissime,
Regem regum interpella
pro nobis assidue
V. Ut, quo vivis, et nos tecum
valeamus vivere.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Ave, martyr gloriose,
Emane sanctissime,
Ave consors angelorum
atque decus martyrum,
Ut pro nobis depreceris
Dominum assidue,
Te precamur venerantes,
venerando supplices.

Brev. ms. Carnotense saec. 14. Cod. Carnoten. 588. A. — Brev. ms. Carnotense saec. 14/15. Cod. Cenomannen. 184. B. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Carnoten. 571. C. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 1053. D. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Parisien. 13240. E. — Brev. ms. Carnotense saec. 15. Cod. Vatican. 4756. F.

In 1. Vesp. Ad Magn. **A**, 4 celebris liquit D. — In 1. Noct. **R** 3, 4 celerine D. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Cum floretiam subiret D. — **R** 1, 6 divinitus fehlt D. — **R** 3, 5 Ut quem vivis BDE. — In Laudibus **AA** super Ps., In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch.

47. De sancta Enimia.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Supernorum regis sponsa,
virgo Christi Enimia,
Peccatorum mole pressos
tuis leva precibus,
Ut digni efficiamur
sanctorum collegio
Et in coelis gloriemur
Cum illis in gaudio.

Ad Magnificat.

A. Gloriosa solemnitas
festivum movet gaudium,
Tibi laudes exsolvimus,
Christe, lumen fidelium,
Qui virginem Enimiam
plenam summis virtutibus,
Servasti sine macula
tuis castis amplexibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trinum et unum Dominum
Laudemus, regem virginum,
Qui transvexit Enimiam
Ad pacem et ad gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancta proles Enimia,
regione Germania
A summis mundi regibus
carnis traxit initia.

2. Crevit regalis soboles
sexum vincens et saeculum,
A mundo pedem retrahens,
manum, mentem et oculum.

3. Pudoris elegantia
seu pulchritudo virginis
Per totam currit patriam
et per fines regiminis.

4. Contemnit regum nuptias
puella sine macula,
Unam et mundam hostiam
se Christo vovens sedula.

5. Uterque parens sobolem
urget ad matrimonium,
Sed virgo Christum asserit
suum sponsum, non alium.

6. Non patet ullus virgini
evasionis aditus,
Sed virgo rogat Dominum,
ut adjuvetur coelitus.

Responsoria.

1. Laetus chorus fidelium
Honestum ducat gaudium
Et festum tantae virginis
Sonet in mundi terminis,
Quae post devictum saeculum
Mercedis gustat epulum.
V. Jam enim hiems transiit,
Jam asper imber abiit,
Nam Hierusalem filia
Coeli conscendit atria.

2. Celebremus virginis
festum cum amore,
Nec sit modus gaudii
hujus sub honore

Atque dignis vocibus
  dignam collaudemus,
Totam diem laudibus
  ejus occupemus,
Ut nos salvet, protegat
  virgo gloriosa,
Cujus ante Dominum
  mors est pretiosa.
V. Conlaudemus virginem
  summae sanctitatis,
Quae subire voluit
  magis lepram gratis,
Quam ut mundae perderet
  signa castitatis.

3. Beatum dico populum,
  beata est et patria,
Cui tanta conceditur
  protectionis gratia,
Virgo mater eximia,
Sponsa regis et filia,
V. Quae cultum sprevit regium
Propter coeleste gaudium,
Sua nos prece maxima
In parte servet optima.

4. In petra quondam Moyses
  cum Deo foedus pepigit,
Nunc petrae solitudinem
  puella mitis eligit,
Ut per mentis munditiam
Divinam captet gratiam.
V. Columba nitens advolat
  In sanctae rupis ostium,
Ubi frequenter immolat
  Contritum sacrificium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo regina denique
  gravi lepra percutitur,
Sic prorsus a contagio
  nuptiali redimitur.

2. Probatur aurum Domini,
  non laeditur incendio,
Et piam fidem vegetat,
  non fatigat attritio.

3. Monetur virgo postmodum
  divina tacta gratia,
Ut Burlefontis citius
  petat arta confinia.

4. Divinis ibi fontibus
  virgo per ter abluitur,
Et trinitatis balneum
  optata salus sequitur.

5. Remittit ergo socios
  post sanitatis gaudium,
Cujus haec vallis jugiter
  persentit beneficium.

6. Jesu, decus Enimiae,
  merces, amor et meritum,
Ancillae tuae precibus
  nostrum absolve debitum.

Responsoria.

1. Lucerna non sub modio
Virtutis lucet radio,
In montium latibulis
Fulget virgo miraculis
Ejusque prece languidi
Sani fiunt et validi.
V. Curat in Christi nomine
Obsessos aegritudine,
Nec frustratur remedio
Ejus fisus auxilio.

2. In oculis videntium
Salvavit morte filium,
Virgo leproso cuidam
Sanavit carnem languidam,
Et nos sua prece pia
Salvificet Enimia.
V. Auro caret et opibus
Virgo, dives virtutibus,
Inter deserti nemora
Sanat mentes et corpora.

3. Virgo est Sion filia
Et virgo est ecclesia,
Revera Dei gratia
Et virgo est Enimia,
Virgo, quae Deum genuit,
Quod bonum ipsa meruit.

V. Haec sunt Dei monilia,
Castitatis insignia,
Per hanc exsultant angeli,
Laetantur et archangeli.
4. Salve, mater Enimia,
Salve, proles eximia,
De tenebris exsilii
Te clamant tui filii,
Ut quibus das terrestria,
Des precibus coelestia.
V. Te dominam deposcimus,
Quam coelo dignam credimus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Te, Deus omnipotens,
Supplici voto deposcimus,
Ut interventu virginis Enimiae
Noxia a nobis cuncta depellas
Et optabilia bona concedas.

Responsoria.

1. Quam felix es, Enimia,
Quae nunc in coeli curia
Inter castrorum agmina
Corona fulges gemina,
Rosam portans et lilium,
Quod duplex signat gaudium.
V. Virginitas est lilium
Et animi munditia,
Rosa carnis supplicium
Et jugis abstinentia.
2. Famem, rupis exsilia
Pro coelo fert Enimia,
Parvo se damnat carcere
De Dei certa munere,
Nec se prodit in termino,
Quia se servat Domino.
V. Fugit cohors phantasmatum
Virginitatis sabbatum,
Ut vincat motus sensuum,
Iter conscendit arduum.
3. Cum Martha totis sensibus
Versatur circa plurima
Et cum Maria Domino
Adhaeret devotissima,
Nunc portat pondus pauperum,
Nunc orat Deum iterum.
V. Plena summis virtutibus
Sanctis insistit actibus,
Amans Deum et proximum,
Carnem domans et animum.
4. O castitatis
Merces vera,
Deus, virginis
Tuae precibus
Nobis coeleste
Tribue regnum.
V. O mater Enimia,
pro nobis ora.

Prosella.

Coelestis Dei
Sis causa nostrae spei,
O sponsa regis,
Suscipe tui laudes gregis.

Enimia,
Quae post vestigia
Jam agni curris in gloria,
Quae noxia
Contemnens gaudia
Ad coeli venisti praemia;

Roga regem hodie
Misericordiae,
Ut nos sua gratia
Salvet per omnia.

Custos ecclesiae,
Largitor veniae,

Lumen verum de lumine,
Deprehensos in crimine

Virginis precibus
A malis omnibus,
Christe, nos ablue
Et coeli tribue
Agmini.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Virgo prudens Enimia
Carnis persolvit debitum,
Laetetur nunc ecclesia
Ejus extollens meritum.

2. Jam haec est virgo sapiens
Ferens lucem et oleum,
Quae sponsi vocem audiens
Mortis evasit laqueum.

3. O beata Enimia,
Nostri mater eximia,
Tu roga natum virginis
Pro nobis reis criminis.

4. Amica regis gloriae,
Sponsa Christi eximia,
Suos conservet hodie
De summa poli curia.

5. Resultet vox fidelium
Et laudet regem gentium,
Qui sic decorat virgines
Inter electos ordines.

R. Jesu decus Enimiae
Merces amor et meritum
V. Nostrum absolve debitum.

Ad Benedictus.

A. Declinat noctis nubilum,
Lucis adspirat radius,
Catervam nostram visitat
Sol Christus, Dei filius,
Nam gustat suum praemium
Virginitatis gloria,
Nam cernit regem gentium,
Suum sponsum, Enimia.
Luce comptam et oleo
Quam vere judex comperit,
Secura stabit ideo
Tunc, cum secundo fulserit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beata, quae jam sponsum
virginem amplecteris,
Jam quocunque vadit agnus,
agnum virgo sequeris,
Fac orando, ne tradamur
ignibus tartareis,
Cum frumentum justus judex
dividet a paleis.

Alia Antiphona.

O virgo Enimia,
Laus, decus et gloria
Es in coeli patria,
Quia per te hodie
Gaudet regnum Franciae,
De quo tuus humilis
Genitor ac nobilis
Fuit rex et dominus.
Per te pusillanimes
Effecti sunt incolumes,
Sicque Deus miracula
Facit per te per saecula.

Cod. Parisien. 913. saec. 14. — In 2. Noct. R 2, 2 murte Hs.

48. De ss. Epiphanio et Isidoro.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaudent sancti de tegmine
Candidato in sanguine
Agni, pro cujus nomine
Passi fruuntur numine.

R. Nemo posset retexere
Praeparata martyribus,
Juvamen horum petere
Sufficiat mortalibus,
V. Epiphani, Isidore
Beati,
Nos solvite a corpore
Peccati.

Ad Magnificat.

A. Fulget alma confessio
Felicis Epiphanii
Isidorique passio,
Ac pro palma martyrii
Regnant in solio
Perennis gaudii.

Ad Nunc dimittis.

A. Ditati laureis
Profuso sanguine,
Subvenite reis
Vestro precamine.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regentem exercitum
Coeli adoremus
Et pro palma militum
Ejus jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Epiphanius
Digne contempsit saeculum
Agmen multo nobilius
Lucrans per mortis titulum

2. Isidorus stabilis
Fuit in agone,
Ut fieret habilis
Coelestis coronae.

3. Spiritalis victimae
Odor gratissimus
Certantes legitime
Probat altissimus.

Responsoria.

1. Absterget Deus lacrimas
Ab oculis sanctorum,
Dulcor aeternus animas
Adimplebit eorum,
V. Non esurient neque sitient,
Immo sentient, quo se satient.

2. Pro fide Christi
sanguinem isti
suum fuderunt,
Tramite Christi
in pace sisti
promeruerunt,
V. Felici sorte
certamen forte
morte vicerunt.

3. Isti sua tradiderunt
Corpora cruciatibus,
Nam firmiter crediderunt
Christi promissionibus,
V. Firma spe sunt usi
Et non sunt confusi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus fidelibus
Fert, ut sustineant,
Suis militibus
Dat, quo praevaleant.

2. Profuerunt aspera
Christi martyribus
Plus quam mundi prospera
Horum tortoribus.

3. O mira certamina
Lotorum sanguine,
Intrant coeli limina
Mortis discrimine.

Responsoria.

1. Dum pro Christo sustinuit
Epiphanius gravia,
Haereditatem meruit,
In qua nulla penuria.
V. Felix haereditas,
In qua fertilitas,
Pax et aeternitas.

2. Radix passa pro stipite
Quia morti praevaluit,
Mortem vicit in milite,
Quem pro se mori voluit;
V. Isidoro Christus, radix Jesse,
In perenni vita dedit esse.

3. O manna delectabile,
A quo lac sugitur,
Quo pulvis corruptibilis
Morte non vincitur
Sed libens moritur;
V. Christi sunt haec ubera,
Ejus sunt haec munera.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Auri probatio
   Illud gratificat,
   Martyrum passio
   Eos glorificat.
2. Surgit Christi vinea
   Decursu fluminis
   Et martyrum laurea
   Cursu certaminis.
3. Virtutum studio
   Coeli sunt incolae,
   Horum martyrio
   Dantur aureolae.

Responsoria.

1. Thronos lucis in gyro luminis
   Dedit aeternae quietudinis
   Martyribus suis
   Filius hominis
   Pretio sanguinis;

V. Cessat ludibrium,
   Manet fastigium.

2. Mors optanda, statim praeteris,
   Tu martyres tollens ab inferis
   Glorificas eos in superis.

V. Transit labor in otium,
   Luctus et mors in gaudium.

3. Epiphanii precibus,
   Isidori suffragiis
   Liberatos ab hostibus,
   Expurgatos a vitiis
   Nos Christus in coelestibus
   Collocet domiciliis;

V. Prava gravat nos actio,
   Horum juvet oratio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Epiphani, Isidore,
   Obsecramus erui
   A tenebroso tempore
   Ac aeterno perfrui.
2. Jubilate Domino,
   Pro quo sunt martyria,
   Qui dat sine termino
   Martyribus gaudia.
3. Christo cor nostrum vigilet,
   In prosperis ne tumeat,
   Martyribus se similet,
   In adversis ne timeat.
4. Christi magnificentiam
   Benedicant omnia,
   Qui convertit in gloriam
   Isidori supplicia.
5. Laudate Deum de caelis
   Propter Epiphanium,
   Qui retributor fidelis
   Luctum vertit in gaudium.

Ad Benedictus.

A. Felicia martyrum corpora
   Isidori et Epiphanii,
   A quibus transierunt tempora
   Cruciatus et exterminii,
   Recipient a Christo foenera
   Vitae, quae perennis est gaudii.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyrum quanta felicitas,
   A quorum corporibus claritas
   Aufert tenebras, subtilitas
   Fomitem, obicem agilitas,
   Omnem poenam impassibilitas;
   Hanc nobis donet Christi caritas.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 68. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. B. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 672. C. — Brev. Bisuntinum imp. s. l. et a. D. — Ad Magn. **A**, 5 in coeli solio A. — In 1. Noct. **R**. 3, 4 Christi passionibus A. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Posuerunt A. — Die Hymnen siehe Analecta XII, p. 114.

49. De sancta Eusebia.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificantes Dominum
In saecula benedictum
Laetemur festo celebri
Eusebiae virginis,
Cujus obtentu petimus
Solvi peccatis omnibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Gaudens surge, Sion,
Sponso depronere melos
Eusebiae, regis
sponsae, sub honore perennis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Francorum regis incliti
Sub tempore Dagoberti
Orta est Eusebia
Ex illustri prosapia.
2. E coelo lapso spiritu
Adspirata interius
Doctrinali puellula
Imbuitur solertia.
3. Laudabilis juvencula
In primaeva aetatula
Divinitus enituit
Operibus clarissimis.
4. Juxta sui vocabula
Nominis Eusebia
Cultrix Dei erat bona
Et pietate strenua.
5. Christi succensa amoris
Alma virgo igniculis
Digna et honorabilis
Pollebat elemosynis.
6. Vivam seipsam candido
Hostiam obtulit agno,
Virginis matris filio,
Haec vigilans cum oleo.

Responsoria.

1. Ecce solaris orbita
Confert nobis solemnia
Eusebiae virginis,
Sponsae superni judicis;
V. Melodias decantemus
Tripudiis solemnibus.
2. Bonae puella indolis
Refulgens prosapiis
Commendata est a matre
Gertrudi proaviae.
V. Vocitato Hamatico
Edocenda loculo.
3. In legis Dei doctrinis
Educata duodennis
Post excessum proaviae
Succedit locum regere,
V. Caritatis ardens flamma,
Vigiliis assidua.
4. Ad matris habitacula
Virgo Eusebia
Regreditur per transmissum
A Nantilde mandatum
V. Sumptis secum plurimorum
Reliquiis sanctorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In loculo regiminis
Duodennis Hamatici
Post excessum Geretrudis
Eligitur a caeteris.
2. Rictrudis sacris genitrix
Hortatur natam monitis,
Secum spiritualibus
Deservire militiis.
3. Geretrudis cum corpore
Prudens virgo proaviae
Ad matris habitaculum
Regreditur haud cupitum.
4. Obsequiis mancipando
Se genetricis Domino
Ministravit fideliter,
Quem dilexit feliciter.

5. Ense cujusdam militis
Latus tenellae virginis
Per verbera a capulo
Laeditur absque merito.

6. Virgo studet excolere
Persapiens assidue
Omnes in suo corpore
Virtutes et occulere.

Responsoria.

1. Officiis celebratis
Et horarum vigiliis
Se ipsam mactat superis
Eusebia cum lacrimis,
V. Dum quietem in corpore
Putaretur percipere.

2. Rictrudis, Christi famula,
Metuens pro filia,
Hortatur eam propriis
Interesse cellulis
V. Mulcendo sermone blando
Et terrendo aspero.

3. Accepto sic intentio
Cum nec cessaret modulo,
Beatae corpus virginis
Subditur fratris baculis,
V. Verberibus dirissimis
Dum se flectit in brachiis.

4. Operibus justitiae
Haec dedicata coelice
Ambulabat de virtute
In virtutem splendide,
V. Ut mereretur coeleste
Bravium accipere.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Super sponsam monilibus
Adornatam gaudet sponsus
Diademate decorus
Prae universis gentibus.

Responsoria.

1. Ex aromatibus myrrha
Et thuris pretiosissimi
Effloruit Eusebia
Genere nobilis
Quae nobilior ejus disciplinis
Agnum sequitur
Cum laude virginitatis.
V. Praecincta virtutum decore
Accensa lampade
Et coronata fide.

2. Abi post gregum Christi vestigia,
Eusebia, virgo clarissima,
Flos campi et lilium convallium,
Introduxit te in secreta coelorum.
V. Veri solis filia formosa,
Illius columba,
Surge et pro nobis orans propera.

3. Veni de Libano,
Veni coronaberis,
Virgo Eusebia,
Ascensum habes purpureum,
Reclinatorium aureum,
V. Media caritate constrata
Inter filias Sion collocata.

4. Oleum gerens in vasis
Lampadibus acceptis
Ad nuptias sponsi sponsa
Intrat Eusebia,
V. Perenniter Deo nova
Condecantans cantica.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Benedictae ac decorae
Eusebiae odore
Perfunditur mire domus,
In qua decumbebat corpus.

2. Jubilando introivit
In conspectu Domini,
Quem amavit corde claro
Eusebia virgo.

3. Sitivit virtute plena
In Deo ejus anima,
Et ideo laetitia
Perfruitur gloriosa.

4. Egregia virgo regis
Per opera superi
Benedicebat Domino
Per saecula benedicto.

5. In excelsis laudabilis,
Quem laudant cives coelici
Carminis Eusebia
Illic psallit prosa pia.

Ad Benedictus.

A. Castitatis
praefulgens speculum,
Lumbos cingens
nec solvens cingulum,
Sanctitatis induta titulum,
Juva tibi psallentem populum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Flos late fraglans, Eusebia,
O flos ferens pudoris lilia,
Summi patris flos, fructus, filia,
Nos tuere, nos prece praevia
Rege, fove, Christo concilia.

Brev. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 134. A. — Brev. ms. Marchianense saec. 13. Cod. Duacen. 138. B. — Antiph. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 117. C. — Antiph. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacen. 118. D.

In 3. Noct. **R** 1, 8 Accincta C. — A bietet die Hymnenanfänge, welche de communi sind. — Da Hucbald für die Abtei von Marchiennes mit Abfassung des Rictrudis-Officiums betraut ward, ist man geneigt, in ihm auch den Verfasser des Eusebius- und Maurontus-Officiums zu vermuten. Jedenfalls sind die **AA** ad Bened. und Ad Magnif. in 2. Vesp. jüngeren Datums; ferner ist auffallend, dafs der Name Eusebia bald fünfsilbig, bald viersilbig gebraucht ist.

50. De sancto Eutropio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Eutropii festiva
celebremus martyris
Pastorisque primo missi
A Roma Xantonicis,
Ut pro eo condonemur
infinitis gaudiis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Offeramus Christo summa
laudum sacrificia,
Quo fruens sacerdos ejus
regnat Eutropius.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vera narrans gesta laudis
de membris dominicis
Gloriosum caput Christum
praedicat in subditis.

2. Ad haec verbis commonemur
non frustra Davidicis,
Cum sit horum Jesus noster
retributor facilis.

3. Colentes ergo triumphum
magni Eutropii
Recitemus vitam ejus
mercedis non dubii.

Responsoria.

1. Ad se Christus praedicandum
primos legit nuntios,
Legerunt primi secundos
ac secundi tertios,
V. De quibus fuisse sanctus
fertur Eutropius.

2. Quem successor Petri Clemens
sacravit pontificem
Ac Xantonas veritatis
fidum misit indicem,
V. Monuit hunc fore Christi
testem invincibilem.

3. Dum ad urbem destinatam
miles sanctus properat,

Invento Simonis ense
hostes Christi enecat,
V. Vertit Deus auditores
et per ipsum intonat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Animas lucratus multas
sanctus venit Xantonas,
Errores verus propurgat,
lux tenebras effugat.
2. Serere nunquam cessabat
semen evangelicum,
Unde gaudens Deo fructum
obtulit vivificum.
3. Nam omnis fere conversa
regio Xantonica
Christo laudes referebat
per fidem et opera.

Responsoria.

1. Quod sobrius fuit, castus,
mitis et humilimus,
Testatur elector ejus
Clemens beatissimus;
V. Quadriga virtutum vectus
Satan stravit ocius.
2. Signa multa vivens fecit,
non est dubitabile,
Probant haec quae egit mira
subsequenti tempore,
V. Publicavit miraculis
se non falsa prodere.
3. Praeobtusa quidam mente
lacrimabant idolo,
Cum luceret valde vita
signis et eloquio,
V. Is securi caput caesus
migravit a saeculo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post excessum cujus instat
tanta persecutio,
Ut pauci deferrent illi,
vix qui ejus tumulo.
2. Ipsum unde confessorem
recolentes posteri
Decoratum nesciebant
corona martyrii.
3. Quod ostensum est constructa
condigne basilica
Translatoque illuc ipso
praesule Palladio.

Responsoria.

1. Cum spectarent corpus sancti
duo ex abbatibus,
Visa est cicatrix plagae
securis in capite;
V. Quibus nocte subsecuta
sic per visum loquitur;
Ictu, quem vidistis, sanctum
complevi martyrium.
2. O martyr praevenerande,
Eutropi, Xantonae,
Quam celer es miraculis,
quam benignus miseris,
V. Sentiat te rogans quisquis,
pontifex mirabilis.
3. A Clemente papa date
patriae Xantonicae,
Eutropi, praesul sancte,
nos peccatis eripe,
V. Pro corona tui cursus
laudes Christo promimus.

Prosella.

Erepti aquae, igneae
poenae, umbrosae
Valde et putridae
ac immensae,
Tua prece, petimus,
Dei vitae haeredes
Simus verae aeternaeque,
Sic pie a tormentis nos
Eripe.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Evangelizatum missus
praesul Eutropius
Non tacebat Christi laudes
diebus ac noctibus.

2. Ostendebat cara Deo
laudum sacrificia,
Orthodoxa fide facta
caritatis opera.

3. Hujus vita Deo laudes,
idolis opprobria
Diffamabat circumcirca
mira Dei gratia.

4. Laudemus Christum in sancto
cuncti Eutropio,
Qui pro vita tulit nostra
corporis dispendia.

5. Auctorem totius laudis
praedicamus Dominum,
Qui certare dat electis
et vincendi praemium.

Ad Benedictus.

A. O quam praestas, gloriose
Eutropi pontifex,
Duobus modis vincendi,
duobus martyrii;
Eo, nam semper audiris,
posce danda indigis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O totius bonitatis
nesciens fons nimii,
Qui, quod petunt, saepe praebes
alienis fidei,
Vitam nobis sanctam sanctus
oret Eutropius.

Brev. ms. Xanctonense saec. 14. Cod. Parisien. 16309. A. — Brev. ms. Xanctonense saec. 15. Cod. Parisien. 1308. B. — Brev. ms. Xanctonense saec. 15. Cod. Parisien. 1307. C. — Brev. ms. S. Trinitatis Vindocinen. saec. 13. ex. Cod. Vindocinen. 17 E. D. — Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147 add. saec. 15. E. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1847. F. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (774). G. — Brev. ms. Xanctonense? saec. 15. Cod. Parisien. 13233. H.

In 1. Vesp. super Psalmos hat H folgende A:
(O) Eutropi egregie, O pontifex praecipue,
O fulgens gemma martyrum, O et sidus eximium,
In omnibus amabilis Et in cunctis laudabilis,
Sis nobis clemens ubique, Quibus es praesens Xanctonae.

In 2. Noct. R 1 prosaisch H. — R 2 = R 1 H. — R 3 = R 2 H. — In 3. Noct. R 1 = R 3 der zweiten Nocturn H.
R 2: Intercessor egenorum, Pie potens ad Dominum,
Eutropi, profutura Quaeque nobis impetra,
V. Id te posse mundo multis Clarum fit miraculis.

R 3 prosaisch H. — In 2. Vesp. ad Magn. hat H neben der obigen noch folgende Antiphon:
Praefulgens roseis, Eutropi sancte, trophaeis,
Lux Aquitanorum, rosa propria Xanctonicorum,
Tu surdis auris, lux caecis, semita claudis,
Naufragio mersos, vinclis solvens religatos,
Solve jubente Deo nexus a pectore nostro,
Namque, quod in terris solvis, solvetur in astris.

Die Erweiterungen des monastischen D haben angesichts der übereinstimmenden Sainter Texte kein Interesse. Zu bemerken ist, dafs der Name Eutropius stets fünfsilbig gemessen wird.

51. De sancto Finiano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Salve, lux Midiae,
pater et speculum monachorum,
Cultor justitiae,
jubar et flos philosophorum,
Tu defende pie
nos a fornace dolorum.

Ad Magnificat.

A. O pater alme, tuum,
nomen sit sanctificatum,
Vincens daemonium
nostrum tu vince reatum
Ac duc hunc populum
super aethera magnificatum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Finniano
Jubilemus diluculo,
Cujus dogma fuit favus
Praedulcis in populo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum, mortis pharmacum,
servit Deo gratus,
Dum doctoris cathedram
ascendit beatus.

2. Prece sancti Saxones
montes obtexerunt,
Ea re in Britones
quare fremuerunt?

3. Qui de tuo nomine
me vellunt ingrati,
Ut quid, inquit, Domine
sunt multiplicati?

Responsoria.

1. Dum fervet ad aetherea
Loca petens siderea
Summi regis honore,
In agonis hac area
Carnem terit terrea
Castitatis amore.
V. Sic se cinxit interea
Zona praedira ferrea
Scaturiens foetore.

2. Trino fulsit miraculo
Sanctorum tabernaculo
Hospitio susceptus,
Vivum funus oraculo,
Vinum lympham in vasculo
De coelo est adeptus.
V. Vacca gaudet de vitulo
Redivivo diluculo,
Quo vir fuit refectus.

3. Regressus in Clonardiam
Ad cathedram lecturae
Appronit diligentiam
Ad studium scripturae,
Adquirit sapientiam
Non tamen vi naturae;
V. Deus in dando gratiam
Fudit intelligentiam
Et visionis purae.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In doctrinae poculis
Vix inveni parem,
Omnium in oculis
Te cum invocarem.

2. Ut brutis nasturtia
Placent vel haec herba,
Cunctis erant dulcia
Finniani verba.

3. Qui dedisti in honore
Te pro homine,
Providisti de doctore
Nobis, Domine.

Responsoria.

1. De Roma dum regreditur,
In terra Britorali
Inter senes lis oritur
De cura pastorali,
Sanctus judex eligitur
Consensu ex aequali;
V. Linguam ignotam loquitur,
David praesul efficitur
Concordia vocali.

2. Dum pater hunc persequitur
Comes Lageniensis,
Haeres saeviens sequitur
Militibus appensis,
Collisus natus moritur
Jam sociis eversis;

V. Vati comes obsequitur,
Parenti proles redditur
Militibus conversis.

3. Infelix turba Saxonum
Furibunda insania
In Britones surrexit
Desolans pacem pectorum,
Sancti velut inania
Eloquia despexit.

V. Orante victore daemonum,
Quos horruit Britannia,
Sub montibus contexit.

V. Prior cum improperio
Sublato monasterio
De terris evolavit.

3. Hiob ut alter patitur,
Abel ut fidus graditur,
Ut Henoch exorabat,
Ut arca Noe regitur,
Ut Salomon sic loquitur,
Ut Paulus praedicabat

V. Ut Tobias compatitur,
Ut Helias sic rapitur,
Ut Moyses minabat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omne rerum labile
quisquis superabit,
Iste tabernaculum
pure habitabit.

2. Exile per pabulum
Vincens se virtute
Mundum vicit ac zabulum
Domini virtute.

3. A pestis letiferae
Liberemur guerra,
Nobis super sidera,
Domine, sit terra.

Responsoria.

1. Ex ubertatis hortulo
Gnarus antistes satiat
Christi plebem catholicam,
Ut spiritu proficiat
Scalam pandit ad gloriam
Ut suos salvos faciat.

V. Cunctis datus in speculum
Multis poenis se cruciat
Sed adspexit in populo
Ut ad se nos alliciat.

2. Degens in monasterio
Vir prioris imperio
Irrisus subjugavit
Boves furentes devio,
Completo ministerio
Deo dante donavit,

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Finianus haereticos
Per sermones propheticos
Constanter informavit,
Hic simul sacrificio
Coelorum et hospitio
Quod Dominus regnavit.

2. Senes cum junioribus,
Sacris ditati moribus,
Deum Abrahae laudate,
Oris apertis faucibus
In Finiani laudibus
Excelso jubilate.

3. Opes sparsit pauperibus
Jesum sequens pro viribus
Ut alter Zebedaeus,
Sic ex gratis operibus
Erexit in sideribus
Ejus cornu Deus.

4. In hac vita carceris
Dans exemplum posteris
Antistes, dum vixit,
Lingua mane, vesperis,
In adversis, prosperis
Deum benedixit.

5. Doctus indoctos docuit
Fidem, mores, ut potuit,
Constanter praedicare,
Jesum, quem corde coluit,
Voce ferventi monuit
Per orbem collaudare.

Ad Benedictus.

A. O doctor Hiberniae,
Victor infidelium,
Thesaurus Clonardiae
Nec non privilegium
Cathedrae Midensis
Dono tuae gratiae
Fer nobis auxilium
Ut de donis gloriae
. . . .
Ditemur immensis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave lux Clonardiae,
Pater Finiane,
Viator Turoniae,
Ferens iter grave,
Lima nos vecordiae
Vi virtutis a vae
Cor daque concordiae
Gaudium suave.

Brev. ms. Hibernicum saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 215. A. — Colgan, Acta SS. Hiberniae p. 400 sqq. B.

In 1. Vesp. Super Ps. A. fehlt B; dies setzt hier die fünf Antiphonen der Laudes ein; Ave dux Midiae A, was verbessert ist nach Analogie der Antiph. ad Magnif. in 2. Vesp., wo A ebenfalls dux statt lux liest. — Invit., 3 favo A. — In 1. Noct. A 3, 1 Quae de tuo A. — A 3, 2 Me volunt A. — R 1, 4 In agones hac A, In agonis area B. — R 1, 5 Carnem texerat terra B. — R 1, 8 praedita AB. — R 2, sq. Vinum e lympha in vasculo, das andere fehlt B. — R 2, 6 De coelis B. — R 2, 9 fuit privatus B. — In 2. Noct. A 2, 1 narstutia A. — R 2, 1 patrem A. — R 2, 3 Haeres se crucem sequitur A. — R 2, 7 Bī comes A. — R 3, 3 Desolvens A; pacem peccatorum AB; lies Pictonum, was der Reim fordern würde? — R 3, 7 Orante victoriae A. — In 3. Noct. A 3, 4 Deo sit A. — R 1, 2 antistes sociat A, satiare B. — R 2 fehlt B. — R 3, 1 Job ut alter AB. — In Laud. A 1, 4 in sacrificio AB. — A 2, 1 cum minoribus B. — A 2, 5 Non ignavis laudibus B. — A 3, 4 Sic fehlt B. — A 3, 6 Ejus cornu Dominus B. — A 4, 4 Meridie, mane, vesperi B. — A 4, 5 adversis et prosperis B. — A 5, 2 Fidem et mores B. — Ad Bened. A, 2 Lictor infidelium B; 8 donis gratiae B; 9 fehlt AB. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 1 dux Clonardiae A; 5 sqq. Juva nos vecordes in virtutis ave, das übrige feht B.

52. De sancto Firmino.

In 1. Vesperis.

R. Pro nobis miseris,
pie pastor, ne pigriteris
Exorare bonum,
qui fecit cuncta, patronum,
V. Ut nos hinc ad se
trahat, o Firmine beate.

Ad Magnificat.

A. Concinat ordo chori
patris omnipotentis honori,
Qui te firmavit,
Firmine, sibi ditavit,
Ecclesiae postis
firmissime victor et hostis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem Firmini,
qui nescit cedere fini,
Semper adoremus,
laeti sibi jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Moribus et vita
serieque reluxit avita,
Sed meritis morum
titulos transcendit avorum.

2. Ortus Narbonae,
zabuli pressa ditione
Deseruit gentem
gentilia sacra colentem.

3. Et petit Uzeciam
veram quaerendo sophiam,
Servos, ancillas
postponens praedia, villas.

Responsoria.

1. Fratres, laetemur
sacramque diem veneremur,
Qua coepit vere
vitam Firminus habere,
V. Sit lux haec celebris,
sit pulsis clara tenebris.

2. Digne Dei fili,
bone, provide pastor ovili,
Rite gregem tractans
pietatis et ubere lactans;
V. Res probat ipsa datum
digne tibi pontificatum.

3. Vir casti cordis
totius et inscie sordis,
Mirari posset,
tua qui jejunia nosset,
V. Pervigil in psalmis
insistens cantibus almis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praesule defuncto
Firminus ab ordine cuncto
Poscitur, legitur,
rapitur, dignus reperitur.

2. In medio gyro
murorum schemate miro
Ecclesiam struxit,
laus cujus ubique reluxit.

3. Altera vero foris,
non parvi structura decoris,
Verax est testis
patris actibus hujus honestis.

Responsoria.

1. Hic vir cum turbis
dum portas introit urbis,
Oscula leproso
dat terribili scabioso
V. Restituitque cutem
simul amissamque salutem.

2. Cumque thorum premeret
noctu languensque jaceret,
Angelus accedens
has voces adstitit edens:
V. Quo deliquisti,
delevit gratia Christi.

3. Subdidit absque mora,
quam sit prope funeris hora,
Cras, ait, in caelis
concivis eris Michaelis,
V. Ac florens palma,
quam concio percipit alma.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impliciti morbis
in partibus illius orbis
Patris virtutem
sensere merendo salutem.

2. Quadam vero die
surgit sanctaeque Mariae
Valvas intravit
missamque illic celebravit.

3. Dum vero vadit,
sicut sacra lectio tradit,
Dulce melos audit,
quod coelica concio plaudit.

Responsoria.

1. Hunc decet extolli
vocis moderamine molli,
Cui Deus hymnorum
dedit auditum superorum,
V. Hunc admiremur
cantuque sacro veneremur.

2. Cumque boves funus
traherent, bos occidit unus,
In bovis occursus
properans quem sorbuit ursus,

V. Ejusdemque pari
didicit fera blanda jugari.

3. Non hunc pauca virum
reddunt miracula mirum,
Vita, lege necis
reparantem lumina caecis,
V. Erectis claudis
resonant praeconia laudis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laudibus est dignus
pastor bonus atque benignus,
Quem Deus insignit,
quem sanctus spiritus ignit.

2. Donis florescens
virtutis adhuc adolescens
In Christo crevit
semper mundanaque sprevit.

3. De Domino meditans
et in omni tempore vitans
Criminibus subigi
mundo voluit crucifigi.

4. In Domino crevit
Dominique in monte quievit
Ad laudem cujus
vox cleri personet hujus.

5. Laus igitur Domino
resonet clarissimo trino,
Hic pro quo mundus
superatur sic furibundus.

Ad Benedictus.

A. Nautae turba minis
ad mortem ducta marinis,
Illico tranquillum
habet aequor ut invocat illum,
Firminus dictus,
Firminus sit benedictus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christum laudemus
laudandoque magnificemus,
Qui sancto palmam
Firmino contulit almam
Et confessorum
numerum fructumque bonorum.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. — In 1. Noct. A 1, 2 serveque reluxit ad vita. — A 1, 4 titulos transcendit amoris. — R 1, 3 vere fehlt. — In 2. Noct. R 3, 4 conscius eris. — In 3. Noct. A 2, 4 illic ergänzt. — R 1, 4 audituri superorum. — R 3, 3 lege nescis. — Ad Ben. 1 Nauti; 4 jubet aequor ut; 5 Firminus et vinctus.

53. De sancto Firmino.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Coelorum Dominum
glorificemus
Firmini celebris
festa colentes,
Cujus concelebrat
voce perenni
Festum tripudians
ordo supernus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Confessorum praemium,
Qui coronat gloriosum
Super aethera Firminum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stemmate praeclarus,
vir nomine Faustinianus,
Doctrinae speculum,
fidei jubar Ambianensis,
Ecclesiae genuit,
quem Firminum vocitavit.

2. Cujus principio
vita beata

Maturis teneros
sensibus annos
Oppressit veterum
facta sequendo.

3. Ne fervor juvenilis eum
vacuum superaret,
Otia diffugiit
mentem perimentia, sacris
Saepius insistens
precibus librisque legendis.

Responsoria.

1. His studiis puer iste
refertus amore superno,
Delicias spernens
mundanae luxuriei,
Optabat patriae
coelestis adire senatum,
V. Moribus egregiis
praepónens alma caducis.

2. Aetatis lubricae
quae poscunt tempora, vitans
Et magnis modicos
ornans virtutibus artus,
In robur meruit
mundus transire virile,
V. Quod nullus potuit,
nisi sacro flamine fultus.

3. Carnis ab illecebris
Emerso flore juventae
Jam vir exstans hic beatus
Bella parat vitiis
Fidei circumsitus armis,
Ut corona perfruatur
V. Multiplices vigil exsuperat
cuneos vitiorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vestitum nudis,
dans esurientibus escam
Munere largifluo,
parce sibi quaeque ministrans,
Supposuit pedibus
crimen avaritiae.

2. Actibus et verbis
conservans corpus honestis,
Arcem conscendens
optandae virginitatis,
Tutus despexit
spicula luxuriae.

3. Congaudens laetis
et moestis compatiendo,
Exoptans aliis,
quaecunque sibi cupiebat,
Vires pestiferae
subruit invidiae.

Responsoria.

1. Cumque jam salutis auctor,
electorum gaudium,
Talis vitae declarandum
comprobaret meritum,
Mira coepit operari
per hunc suum famulum,
V. Ne lateret indigentes
luce lumen splendidum.

2. Hac Johannes, Lugdunensis
pontifex egregius,
Fama viri gaudens factus
claris pro magnalibus,
Grates rerum patri solvens
intimis ex sensibus,
Convocatis Gallicanis
in unum praesulibus,
Ambianicis Firminum
consecravit plebibus.
V. Ut benignis verbum Dei
ipsius sermonibus
Pullularet profanorum
occultatum vepribus.

3. Gloriosus hic antistes
Ambianis remeans
Tam benigne quam prudenter
plebem sibi traditam
Invitavit ad coelestem
introducens patriam,
V. Verbis atque factis docens
eos vitae semitam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec inter Romam
pergendi magna voluntas
Accidit illi,
Ut loca, quae cineres
Petri Paulique tegebant,
Viseret orans.

2. Excepit gaudens
fama volitante patronum
Advenientem
Papa Vigilius hunc,
vigilis quem nomine dignum
Vita docebat.

3. Expleto voto
triduoque moratus ibidem
Cum patre summo,
Ne comissa sibi
plebs desolata magistro
Vim pateretur
Hostis perdocti,
reditum, tueatur ut ipsam,
Poscit ab illo.

Responsoria.

1. Summus ad haec praesul
Firmino dicta beato
Sacra paravit:
Ad patriam regredi
concedimus atque jubemus,
Sancte sacerdos,
Jus et apostolicum
Romani laude senatus,
Ecclesiaeque
Gentibus occiduis
nostra vice praeficientes
Praesulibusque,

V. Agricolam, messis
Domini quoque multiplicetur,
Eligimus te.

2. Apostolicis praeceptis
Exhortatus vir insignis
Urbem redit Ambianis,
Ubi plenus sanctitatis
Post haec vixit multis annis;
Sicque clarus claris signis
Carnis viribus abjectis
Coeli jungitur catervis.

V. Reddidit caecatis visum,
Claudis gressum,
Liberavit, quos vexabat
Vis iniqua daemonum.

3. Adest dies gloriosa
Annuatim recolenda,
Qua confessor venerandus
Carnem reliquit Firminus,
Ut post carnis vitae lapsum
Deo vivat in aeternum.

V. *In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus Firminus
coelestibus adsociatus
Signis mirificis,
quantus erat, docuit.

2. Ad cujus sanctum
languentia membra sepulchrum
Vires antiquas
coelitus recipiunt.

3. Creditur aetherea
pastor Firminus in aula
Subveniens miseris
talibus indiciis.

4. Sit, benedicte Deus,
tibi gloria, quem benedicit,
Quisquis sanctorum
festa pie recolit.

5. Laudemus Dominum
moderantem sceptra polorum,
Per quem Firminus
confessor glorificatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, pastor gloriose,
Ave, confessor inclite,
Firmine vir sanctissime.

Ave, regi regum tuae
Preces, pater, sunt acceptae,
Qui te sanctum sanctissima
Sua probavit dextera,
Cum missarum solemnia
Celebrares supplens cuncta
Tua manu consecranda.
Tuis quapropter precibus
Emunda, quae commisimus.

Brev. ms. Ambianense saec. 13/14. Cod. Ambianen. 112. A. — Brev. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianen. 113. B. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1520. C.

In 1. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Haec iter C. — **R** 2, 9 risum A. — In Laud. **A** 4, 2 benedixit C. — Ad Bened. **A** prosaisch. — Das Officium zeichnet sich aus durch eine bunte Mischung verschiedener Versarten innerhalb derselben Strophe. — Es giebt zwei Heilige des Namens Firmin, beide Bischöfe von Amiens, die beide am 25. September verehrt werden, von denen der eine (vgl. das folgende Officium) Märtyrer, der andere Bekenner ist.

54. In Inventione s. Firmini.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martyris insignis
Firmini inventio, signis
Multis famosa
multumque Deo pretiosa,
Omnibus obsequiis
est recolenda piis.

2. Sed ditata bono
Domino miserante patrono
Munere pro tali
merito plausu speciali
Urbs Ambianis
exhilarata canis.

3. Unde tibi, Christe,
laudes referens chorus iste
Plaudat et exsultet,
variis et in orbe resultet
Laudibus ecclesia
sedulitate pia.

Responsoria.

1. Cum glacie tellus hodie
brumaque rigeret,
Et mediis diffusa viis
nix alta jaceret,
Indiciis sensit variis
grex religiosus,
Quantus erat vel quid poterat
pastor pretiosus.
V. Obsequium sibi namque pium
coelo tribuente
Fulsit ei virtute Dei
lux missa repente.

2. Lux radio terrae gremio,
qua per te nitebat,
Reliquias pridem plurimas
latuisse docebat,
Namque sciens cor prospiciens
votum fore dignum
Hoc quaerulis tribuit famulis
ex grammate signum,
V. Ut foderent et perciperent,
quod tam cupiebant,
Et paribus quidem precibus
votisque petebant.

3. Ut patuit, locus enituit
mox dignus honore,
Mirifico satis immodico
perfusus odore,
Sol etiam torrendo viam
copiae glacialis

Incaluit nec post riguit
gravitas hiemalis,
V. Sed tenerum ver florigerum
caput extulit hora,
Qua micuit, qua gemma fuit
producta decora.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Moxque dies, quam temperies
ea sic decoravit,
Delicias urbes alias
sensisse probavit.

2. Belovacum nec Cameracum
nec Teroanenses,
Quando fuit, res non latuit
nec Noviomenses.

3. Sed propria mox quisque via,
qua sensit odorem,
Vertit iter Domino pariter
moderante laborem.

Responsoria.

1. Tunc nimia cum laetitia
stupuere videntes.
Sic faciem renovasse diem
camposque virentes.
Litigium foret ergo pium
tibi cernere pulchrum,
V. Cum properant, ut vota ferant
tangantque sepulchrum.

2. Tam miri qua parte viri
sacra membra ferentes
Substiterant, quando poterant
penetrare sequentes,
Ceu variis ibi deliciis
impressa tenebant
Ora viae, qua reliquiae
sanctae veniebant.
V. His pridem dant scripta fidem,
sic namque priores
Delicias mittunt patrias
ad superiores.

3. Egregii pariterque pii
miracula tanta
Qui recolis, cum recticolis
nova cantica canta,
Nec dubites, ea si retices,
mirabiliora
Posse Deum, sed semper eum
devotus adora;
V. Qui potuit, quidquid voluit,
quod saepe probavit,
Magnificans et glorificans,
quos ipse vocavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quanto naturalibus
Operibus
Magis sunt contraria
Prodigia,
Tanto sanctis omnibus
Major inde gloria.

2. Nihil mirabilius
Quam nocturnus radius,
Ut nocte contrarius
Fiat noctis socius.

3. Tam sacrum ministerium
Celebrante Salvio
In Ambianensium
Suburbio,
Vicinarum concio
Supervenit urbium
Odore solo nuntio.

Responsoria.

1. Stupet horror hiemalis
Et miratur, quae vel qualis
Est ista mutatio,
Quis est iste tam jucundus,
Pro quo vernat ita mundus
Hiemis in medio,
V. Dans naturae fracto jure
Rosam juncto lilio.

2. Adjacentes populi,
Quis hujus miraculi
Detulit rumores,

Ut ita veneritis
Gressibus tam subitis,
Ac si habueritis
Proprios doctores,
De locis vestris singuli?
V. Odor fuit nuntius,
Quo perfusi dulcius
Occurristis seduli.

3. Odor sancti
non solum cohibet
Morbos leviores,
Sanat lepram
et sanat quoslibet
Pessimos humores.
Potens talis medicus,
Cujus vires operis
Sensit elephanticus
Secus ripam Ligeris.
V. In hujus memoria
Tenet in homagium
Ab ecclesia
Vallem gentium
Haeres sui generis.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Praesul Honoratus nomine
Et merito ac nobilitate
Tantae dignitatis munere
Meruit honorari,
Ut sanctorum Fusciani
Victorini et Gentiani
Corpora inveniret.

2. Inveniendum
Beatissimi
Firmini martyris
Corpus beato
Praesuli Salvio
Digne pro meritis
Honorando
Misericorditer
Reservavit.

3. Odore mellifluo
Perfusi continuo
Convalent aegroti;
Nec soli, qui veniunt,
Sed vim ejus sentiunt
Etiam remoti.

4. Elementis immutatis
Tempus factus est aestatis
In horrore nivium,
Et se totum dedit gratis
Mundus ad obsequium.

5. Virent prata, florent horti,
Sed et fructus sunt exorti
Formae jam plenariae,
Nec est ante
Visus tantae
Calor epidimiae.

Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Parisien. 17295. Erste Vesper und Invitat. fehlen. — In 1. Noct. R 3, 6 capie glacialis Hs. — In 2. Noct. A 2, 2 Teroanensis Hs. — A 2, 4 Noviomensis Hs. — In 3. Noct. R 1, 5 Pro quo servat Hs., eine Verwechslung, die sich vielleicht aus dem Hauptwort verna erklärt. — R 3, 12 Tenet in hominum Hs. — In Laud. A 5, 6 ist dem Sinne nach rätselhaft. Ad Bened. A prosaisch.

55. De sancto Folquino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultemus Deo omnes
Hunc in sanctis collaudantes;
O Folquine sacer, ave,
Preces audi, culpas dele,
Nos his festis fac adesse
Et aeternis non deesse.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deum magnum Dominum
Adoremus humiliter,
Qui Folquinum sanctum suum
Coronavit perenniter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Folquini mente sacra
Semper fuit lex divina,
Unde fructum sanctitatis
In tempore suo dedit.
2. Hic studebat in timore
Regi Christo deservire,
Disciplinam apprehendens,
Viam justam non relinquens.
3. Invocantem exaudivit
Sanctum suum, quem dilexit,
Hinc jam nobis, rex, placare
Eo tibi supplicante.
4. Verba sua ac clamorem
Dei flectens ad amorem
Domum ejus introivit,
Adstans ibi regem cernit.
5. Nomen tuum, o Domine,
Quam est cunctis mirabile,
Qui, quem vita decorasti,
Coelo dignum sublimasti.
6. Aequitatem vultus Dei
Quia novit contemplari,
Hunc in monte sancto palma
Laetum ditat sempiterna.

Responsoria.

1. Ortus clara puer sanctus
Folquinus prosapia
Imbuendus liberalis
doctrinae scientia
Datur scholis, post nonnullis
profuturus populis,
V. Derelictis a superna
Jesu Christi gratia.
2. Indolis eximiae
sacra dogmata philosophiae
Ut primum cepit,
nil mundi gaudia duxit,
V. Tota virtute satagens
tibi, Christe, placere.
3. Ad regimen sancto
pietatis amore vocato
Cunctorum votis
datur infula pontificalis.
V. Virtutum clarus
titulis athleta beatus
Ordine Melchisedech
rite locatur ad haec.
4. Constitutus in sublimi
speculator Domini
Clamat verbis et exemplis
et salvantur plurimi,
V. Ecclesiaeque decus
simul omnibus omnia factus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad hunc montem suspirare
Fac nos, praesul sanctissime,
Ut exutos carne gravi
Excipiat aula coeli.
2. Vitam ei dulcedinis
Tribuisti in supernis,
Longitudinem dierum
Donans omne per saeculum.
3. Hic animam adhuc vivens
Non in vano accipiens
Nunc a Deo salutari
Suo gaudet coronari.
4. Omnis terra Deo cantet
Et cum sanctis annunciet
In populis ejus mira,
Inter gentes magnalia.
5. Regnat Deus in aeternum,
Cujus est cum sanctis regnum,
Unde tibi, o Folquine,
Lux orta est laetitiae.
6. In conspectu summi regis
Jubilando sanctus plaudit,
Hinc cantate exsultantes,
In cithara psalmum dantes.

Responsoria.

1. Vir beatus sancti glebam
Audomari inclitam
Dolet captam sequens eam,
sed superna pietas
Corpus sistens hostes fugit,
hinc praesul tripudiat.

V. Amborum meritis
operatur vis deitatis,
Dum sacer ille suae
redditus est patriae.

2. Dum vult sanctum supplantare
praesumptor adveniens,
Ob reatum hunc percussit
ira Dei saeviens,
V. Cum sibi conjunctis
poenam luit improbitatis.

3. In Sithiu tumulari
Voto fuit sacerdoti,
Moxque Deus cunctae plebi
Sacrum corpus comitanti
Per aquarum vastum amnem
Viam parat glacialem.
V. Cujus in obsequium
ruit obviam concio fratrum
Bertinique latus
est ad dextrum tumulatus.

4. Ad sepulchrum viri Dei
Quidam pedum sospitati
Monachorum est donatus,
Unde illi plus devotus
Haec in laude scribit ejus.
V. Folquini veneranda patris
hic membra locantur,
Qui praesul Morinis
exstiterat celebris.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

Vir beate, te poscentum
Offer vota regi regum,
Qui cibaris pane vitae,
Christo tibi cohaerede.

Responsoria.

1. In occursum sui regis
Dei servus vigilavit,
Ut, dum veniens pulsaret,
Ei statim aperiret.
V. Ad nutum Domini
servivit mente fideli.

2. Diem festum solvit sancti
Insistens quidam operi,
Quo percusso vi divina
Contrahuntur ejus crura
V. Ac repens manibns
longos traxit cruciatus,
Cui, Folquine, suum
reparas sanctissime gressum.

3. Praesul Christi gloriose,
Servis tuis condescende,
Tui pignus sit amoris
Praesentia corporalis,
V. Post vitae cursum
trahe nos ad gaudia sursum.

4. Rex coelorum, pie Deus,
Ad te spectat laus illius,
Tu per eum nobis parce
Ac redemptis miserere.
V. Plasma, Christe, tuum
defende benignus ab hoste.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In decore tuo, Deus,
Tecum regnat vir beatus,
Sanctitudo domus tuae
Decet eum sine fine.

2. Cuncti Deo jubilate,
Nomen ejus est suave,
Cujus portas, o Folquine,
Meruisti introire.

3. Ad te, Deus, vigilantem,
In te semper sitientem,
Suscepisti exsultantem
Tuum sanctum sacerdotem.

4. Sancti Dei et humiles
Ac Domini sacerdotes
Cum Folquino regem Christum
Benedicant in saeculum.

5. Laudet coelum, laudet terra
Creatoris magnalia,
Nosque dignos tua laude
Fac cum sanctis, rex gloriae.

Ad Benedictus.

A. O Folquine, tuis
pius pastor coelitus adsis,
Te memorem nostri
faciat clementia Christi,
Ac per eum, Christe,
nobis petimus miserere.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gloria sanctorum,
Deus, accipe vota tuorum
Nosque tuas laudes
in Folquino venerantes
Respice placatus
nostros solvendo reatus.

2. Hic athleta tuus,
celebris pietate patronus,
Post invictorum
certamina plena laborum
Migrat ad aethereas
hodie gaudendo choreas.

3. Quam laetis donas,
quem sic, Deus alme, coronas,
Coelica largiris
aeternaque pro perituris.

Ad Magnificat.

A. Rex immense, sanctis palmam
Praestans nobis da veniam
Et clementi bonitate
Cum Folquino nos respice,
Ut, qui praesens est corpore,
Nunquam desit pietate.

Antiph. ms. Bertinianum saec. 15. Cod. Audomaren. 204. — Ad Matut. Inv. 4. Coronat Hs. — In 1. Noct. R 1, 1 Ortus inclita Hs. — R 1, 7 Derelictus Hs. — Verfasser des Officiums ist zweifellos Folquinus Abbas Laubiensis (968—990), der auch die Vita Folquini geschrieben. Vgl. Monum. Germ. SS. XV 1, S. 423 ff. Was uns nämlich hier das 4. Responsorium der zweiten Nocturn berichtet, dasselbe erzählt uns die Vita (l. c. S. 429, Nr. 12) von einem Mönche Namens Folquinus, der offenbar mit dem Schreiber der Vita identisch ist und der, quoniam grammatice erat instructus, auch eine Grabschrift in drei Distichen verfafste. Die Verskunst des vorliegenden Officiums trägt auch alle charakteristischen Zeichen des 10. Jahrhunderts an sich, wie ein Vergleich mit Officien und Hymnen derselben Zeit, ich erinnere an Hucbald, beweist.

56. De sancto Fusciano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Bis quondam seni
Roma venere patroni,
Gallorum populis
depromere jussa tonantis.

2. Praeconiis plures
Christum sanxere vacantes,
Optatum infirmis
robur reddendo catervis.

3. Quos Victoricus
caelebs inter fuit unus
Aut Tuscianus
socia deitate refertus.

4. Cumque Dei cuperent
Quintino numina fari,
Vinclis praefecti
vexantur Rictiovari.

5. Addicti poenis
oculorum luce privantur,
Verticibus sectis
palmam meruere triumphi.

Ad Magnificat.

A. Speciosus splendens Christus
in omnipotentia,
Qui sanctorum exstas decus
et fomes sensificus,

Tusciniani nobis atque
Victorici martyrum,
Gentiani quique donas
celebrare praemia,
Petimus, ipsorum ut nos
muniant suffragia,
Quorum tibi gloriosa
complacuit passio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum suppliciter
regem regum veneremur,
Qui donat sanctis
praemia digna suis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sceptra caduca soli
cum Maximianus haberet,
Praesidis ad solium
provexit Rictiovarum.

2. Tempore quo plures
Roma venere fideles,
Gallorum plebi
coelorum pandere regnum.

3. Quos inter coeli
Fuscianus, mystica lampas,
Et Victoricus
simili fulgore refulsit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. His inerat fidei
lumen Christique triumphos
Dicere, deinc curae
Quintinum quaerere sanctum.

2. Regia martyrii
redimitum munere coeli
Sed jam Quintinum
sumpserat emeritum.

3. Nobilitate cluens
quibus obvius ecce viator
Gentianus adest
inclitus atque Senes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Alloquio cujus
sancti dum forte fruuntur,
Ejus agnoscunt
corda sitire Deum.

2. Ante his jam triduo
perhibet se corde subactum,
Ut mentem votis
cogat amare Deum.

3. Cum vicissim pastu sancti
solarentur mutuo,
Praeses plectens mox advenit
Gentianum capite,
Reliquos ad capiendum
deducens martyrium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praeses ait sanctis
astutus: dicite, cujus
Estis cultores
numinis atque Dei?

2. Nos, ajunt, patrem,
verbo qui cuncta creavit,
Formavit sancto
flamine quique suo
Credimus et veneramur.

3. Sanctos tunc oculis
frustrata est praesidis ira,
Clavis ignitis
antra rimans capitum.

4. Gaudebant sancti
sese pro nomine Christi
Affligi poenis
suppliciisque mori.

5. Corripiens tunc tela manu
Mavortia praeses
Transfodit sanctos
atque necavit eos
Verticibus sectis.

Ad Benedictus.

A. Membra beata florent
cum vitae munere quassa,
Sanctis paratur
gloria continua.
Lux emissa polo
loca [sacra] forte venustans
Dignos fuisse indicat,
Quod coeli penetrent
eorum spiritus aulam
Christi favente gratia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Tibi, Christe, semper exstat
laus et jubilatio,
Fusciani, Victorici,
Gentiani pariter
Hodie qui nos laetari
concedis martyrio.

Brev. ms. Catalaunense saec. 13. Cod. Calmontan. 31. A. — Brev. ms. Meldense saec. 14. Cod. Parisien. 1258. B. — Brev. ms. Meldense saec. 14. Cod. Parisien. 1266. C. — Brev. ms. Catalaunense saec. 14. Cod. Parisien. 1269. D. — Brev. ms. Corbejense saec. 14/15. Cod. Ambianen. 116. E. — Brev. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. Parisien. 1268. F. — Brev. ms. Morinense saec. 15. Cod. Parisien. 17 997. G. — Brev. ms. Meldense saec. 15. Cod. Parisien. 1054. H. — Brev. Silvanectense imp. s. l. 1486. I. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1530. K.

Die Responsorien aller 3 Noct. sind prosaisch. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 Romani genere patroni H. — **A** 5, 3 Verticibus septis H. — **A** 5, 4 palmam monere H. — In 3. Noct. **A** 2 und 3 umgestellt H. — **A** 3, 1 Dum vicissim B. — In Laud. **A** 2, 3 Firmavit B. — **A** 3, 4 rigans H. — **A** 5, 5 Verticibus scitis H. — Ad Bened. **A**, 2 cassa CH; 4 contigua H; 8 quo coeli B, quos coeli penetrarunt CH. — Die Zusätze von E, das monastische Form hat, lasse ich als unerheblich fort. Hymnus in Laud: Speciosus splendens Christe.

57. De sancto Georgio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Capadocum,
nobilis regio,
Sacro Georgii
vernans martyrio,
Cujus ecclesia
firmata transitu
Deum magnificat
exsultans spiritu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo regi summa laude
Jubilando, vir, applaude,
Cui servivit spe coronae
Christi miles in agone.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Clara Georgius
ortus prosapia,
Fide conspicuus
et Christi gratia,
Nil mundum reputans
vel mundi meritum,
Miles efficitur,
tribunus militum.

2. Dum regum feritas
sanctos persequitur,
Et danda gladiis
gens sancta quaeritur,
Mortis Christicolae
metu perterriti
Passim per latebras
latent absconditi.

3. In tormentis
sanctus robustior,
In responsis
apparet acrior
Et jam tortus
ipsum carnificem
Per sermonem
torquet multiplicem.

Responsoria.

1. Christianae testis legis
Et athleta summi regis
Nil formidans caedem mortis
In conflictu stabat fortis,
V. Pro nihilo blanditias
Ducit vel minas regias.

2. Caesar face
furoris impii
Concitatus
verbis Georgii
Christi testem
dat carnificibus
Cruciandum
duris verberibus;
V. Caesar preces
et vota porrigit,
Deos laudans,
qui suos diligit.

3. Praesentatur
vir sanctus Caesari,
Quem contemplans
vultu non hilari
Minis monet
atque blanditiis,
Ut ab ejus
cesset injuriis;
V. Jam securus
martyr de bravio
Spreto gaudet
regis imperio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnatoris,
qui juste judicat,
Miles fortis
virtutem praedicat,
Qua praecinctus
dignas ex intimo
Laudes ore
solvit et animo.

2. Plebs assistens
huic spectaculo
Jaculatur
viso miraculo
Et contempto
solis simulacro
Sacro [fontis]
se mergit lavacro.

3. Quos suscepit
divina dextera
Confitentes
culpas et scelera,
Jam corpore
sopito criminum
Puras levant
manus ad Dominum.

4. Sanctus martyr
conversos instruit
Et instructos
baptizans abluit
Baptizatos
commendant numini
Benedicens
opera Domini.

5. Princeps terrae
motus invidia
Promulgata
mortis sententia
Virum Dei
necari praecipit,
Spiculator
necandum suscipit.

Ad Benedictus.

A. Deputatum
sanctum martyrio
Comitatur
fidelis concio,
Sed securus
sanctus de praemio
Vitae cursum
finivit gladio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Georgi, pater et domine,
Gemma fulgens in coeli culmine,
Exorando Dei clementiam
Servis tuis implora veniam.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). — In 1. Noct. R 1, 1 legis testis Hs. — R 1, 6 Ducis vel Hs. — R 2, 11 Deum laudans Hs.

58. De sancto Gisleno.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater aeterna,
Gislene, corruscus in aula,
Sit tibi quantus honos,
nunc coelicus inspicis heros;
Nos quatimur saevis
mundo fluctuante procellis,
Respice per Christum
lacrimas et vota gementum,
Luminis ut tecum
sit fas contingere portum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Progenies lucis,
Gisleni plaudite festis,
Est quia coelicolis
sociatus in aethere civis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inluxit nostris
coeli miseratio Gallis,
Attica Gislenum
tellus ubi protulit almum.

2. Splenduit in puero
praecelsae stirpis origo,
Sed virtus potior,
tum morum gratia major.

3. Culmen prosapiae
divino sprevit amore,
Ob coeli gazas
terrae placet omnis egestas.

4. Scholis prudentum
studio datus inde parentum
Addidicit propere,
quae sunt rationes in arte.

5. Junctus Athenis
post haec veneranter alumnis,
Quaeque philosophicae
penetrat fastigia sectae.

6. Inscia sed veri
quam sit sapientia mundi,
Mox ubi comperuit,
animum coelestibus indit.

Responsoria.

1. Ortu Gisleni
Graecorum sanguine clari
Fit status ecclesiae
divina clarior in re,
Utpote quam meritis
puer inclitus auxit opimis;
V. Floruit exili
sub pectore mente virili.

2. Laude sacerdotii
venerandus in ordine cleri
Sanctus, item norma
praeclarus Basiliana,
Lustrat honorata
Francorum saecula Roma,
V. Lustrat artibus his
sancti verbo fruiturus.

3. Gislenum dictis
ubi mulcet praesul amicus,
Castrilocum migrat,
operi vigilantior instat,
Hinc peragenda ratus,
monuit quae coelica virtus.
V. Lantbertum sane
sociat sibi Belliriumque.

4. O pietas Domini,
o virtus maxima Christi,
Desinit ira canum,
petiit ubi bellua sanctum,
Hic omni latebra
stat vestis tutior umbra;
V. Ipsi cum ducibus
miratus rex Dagobertus
Cedendum statuit,
ubi tanta negotia discit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Doctus apostolicis
mundum superare magistris
Sese heremi castris
sociat vir spiritualis.

2. His junctis certat,
animam virtutibus ornat,
Nil, quod praetulerit
majorum norma, relinquit.

3. Ordinibus sacris
quare veneranter adeptis
Dignior aeternae
tractat mysteria vitae.

4. Nec satis est eremi
contentum legibus uti,
Exsul uti Christum
quaerat, decernit agendum.

5. Ergo Dionysii
volvens exempla beati
Coenobium linquit
et Romam visere pergit.

6. Visitet ut Francos,
mandatur coelitus heros,
Est locus Ursdungus,
hic vitae transigat usus.

Responsoria.

1. Quo properet, sanctus
aquila jam praeduce doctus,
Cum catulis ursam
Ursdungi in valle repertam
Effugat et capsam
repetit cum veste sacratam,
V. Ut Christi cultum
statuat genus omne ferarum.

2. Cella fit interea
divinis cultibus apta,
Omnibus evulsis
sancti sudore nocivis
Surgit apostolicis
Petri Paulique triumphis;
V. Gloria sit trino,
qui glorificatur in uno.

3. Praesul ut Autbertus
Gisleni comperit actus,
Evocat, inquirit;
sum Graecus Christicola, inquit,
Quod videor gerere,
jussere oracula Romae,
V. Nunc faveas coeptis,
cum nos prior ipse vocaris.

4. Antistes sanctus
divino numine tactus
Nil fore Gislenum
cernit mortale secutum,
Ut dignum fuerat,
simul amplexatur, honorat;
V. Instet uti coeptis,
verbis hortatur honestis,
Ad benedicendum
se spondet opusque futurum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Praesago sanctus
pariter spiramine plenus
Proclamat gravidam
partus angore levatam.

Responsoria.

1. Auditis precibus
Gisleni rex Dagobertus
Annuit et fundo
cellam dilatat opimo,
Ne vivant inopes
athletae spirituales.
V. Tum pater: haec vere
tua sunt beneficia, Christe.

2. Ergo oratorio
Gislenus rite peracto
Autbertum geminas
Et Amandum invitat olivas,
Ut praestetur ab his
benedictio pontificalis;
V. Dant oleum pacis
et effundunt chrisma salutis.

3. Prolis sidereae
fervens Gislenus amore
Waltrudem celebres
Aldegundemque sorores
Lucratur Christo
verborum dogmate vivo,
V. Vestrum, Montenses,
insigne, et Malbodienses.

4. Sanctus militia
felici laude peracta
Fulgidus et cunctis
meritorum praerogativis
Transit in aethercam
superis mediantibus aedem,
V. Lucis ut angelico
gratuletur in arce triumpho
Et ferat aeternas
vitae per regna coronas.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Quam fuerit celebris
Gislenus in arce tonantis,
Claruit ex urna
signorum luce stupenda.

2. Unde sacri cineris
furtum struit invidus hostis,
Ut jubar exstinguat,
quod prodigiis rutilabat.

3. Dumque cavere putat
fraudi, se Malbodium aptat,
Sed sanctum prae se
digno venerantur honore.

4. Prodidit ergo reos
per visum mox sacer heros
Et, ni reddatur,
mortem pro fraude minatur.

5. Vi tandem Stephani,
qui praesul erat Cameraci,
Gemma Dei rapitur,
cellam cum laude refertur.

Ad Benedictus.

A. Christe, tibi laudes
quas possumus aut dare grates,
Privatos proprii
grata quos sorte patroni
Clementer relevas,
tua sit benedicta potestas.

Offic. ms. S. Gisleni saec. 11/12. Cod Monten. 27 (221). — In 1. Vesp. stehen noch fünf AA super Psalmos, die aber in Prosa abgefafst sind und spätere Zuthat zu sein scheinen.

59. De sancto Goare.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sancte Goar, Domini
confessor et alme sacerdos,
Propitius nobis
tu peccatoribus adsis.

Super Magnificat.

A. Adsunt haec nobis
venerandi festa Goaris,
Qui spernens patriam
coelorum possidet aulam,
Ejus apud Dominum
precibus relevemur in aevum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Eja, Christicolae,
Domino jubilando venite,
Qui confessorem
vexit super astra Goarem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nobilis hic Domini,
confessor in ordine cleri,
Moribus egregiis
decus auxit nobilitatis.
2. Omnia devotus
Domini praecepta secutus
Presbyter efficitur,
quia cunctis dignus habetur.
3. Contemptor patriae
mercedis amore supernae
Iste Dei famulus
petit exsilium venerandus.

Responsoria.

1. Laude Deo digna
celebremus mente benigna
Haec confessoris
solemnia sacra Goaris,
Ut mereamur eum
semper habere patronum,
V. Hunc prece subnixa
deposcit concio nostra.
2. Hic Domini servus
generoso sanguine natus
Terrenas auras
et divitias perituras
Deserit, ut regnum
mereatur adire supernum,
V. Blanditias vitae
fugiens et noxia quaeque.
3. Vir Domini sanctus,
divino munere plenus,
Culturas veterum
coepit damnare deorum,
Hanc firmando fidem,
quod sit Deus unus et idem.
V. Omnia, quae docuit,
dictis factisque probavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir Domini cellam
Rheni construxit ad undam,
In qua devotum
solvit Christo famulatum.
2. Pervigil orando,
jejunia castus amando
Creditur angelicam
vir sanctus ducere vitam.
3. Inter virtutes,
quas exercere solebat,
Laetus amore Dei
peregrinos suscipiebat.

Responsoria.

1. Veri Christicolae
virtutes non latuere,
Namque suo Dominus
est in sermone locutus,
Moenia praecelsi
montis non posse recondi,
V. Sic evangelica
protestantur documenta.
2. Christus de tenebris
lumen perduxit honoris,
Dum sancti meritum
signis fecit manifestum,
Claudos curando,
caecis visum reparando;
V. Hic etenim cunctis
est clara lucerna decoris.
3. Serpens antiquus
tentator et hostis iniquus,
Invidia ductus,
fraudis zelo stimulatus,
Non patitur sanctum
Domini transire quietum.
V. Infestando pium
per inania verba malorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Veram justitiam
sectando noluit illam
Laudibus humanis
extolli, ne sit inanis.

2. Hic quia mundanas
laudes spernit quasi vanas,
Lumine coelesti
fruitur cum laude perenni.

3. Dignus laude fuit
tali, qui sponte reliquit
Nomine pro Domini
praesentis gaudia saecli.

Responsoria.

1. Sanctum perversus,
justum blasphemat iniquus,
Mansuetum tumidus,
odit mitem furibundus,
Nam fit pravorum
contritio vita bonorum,
V. Despiciunt humilem
versuti simplicitatem.

2. Vir Domini rite
dispensans semina vitae
Dogmate de caelis,
prudens servusque fidelis
Verba malignantum
spernebat et insidiantum
V. Distribuendo Dei
verbum sermone fideli.

3. Simplicitatis opus
contestans coelica virtus
Falsiloquos testes
devicit et insidiantes;
Dum quasi provectus
infans loquitur triduanus,
V. Justus honoratur,
confunditur insidiator.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus est digna
justorum lux hodierna,
Qua sanctum Domini
suscepit regia coeli.

2. Hic sibi commissum
studuit cumulare talentum
Hoc referens Domino
coeli cum foenore bino.

3. Rebus in exiguis
quoniam fuit iste fidelis,
Ingreditur Domini
praecepto gaudia caeli.

4. Omnis factura
Dominum per saecula cuncta
Laudet, glorificet,
benedicat, semper adoret.

5. Cum sanctis Domini
nos psallimus omnipotenti
Festa sacerdotis
sancti venerando Goaris.

Ad Benedictus.

A. Pastor summe, Deus,
nos respice propitiatus
Pro confessoris
sancti virtute Goaris
Et nos custodi,
nos pace tuere perenni.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet omnis spiritus
In laude Christi coelitus,
Qui superbos dum prostravit
Et mansuetos exaltavit,
Recordatus est gratiae
Reformando nos gloriae.

Brev. ms. S. Castoris in Confluentia saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 165. A. — Brev. ms. Spirense saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 514. B. — Brev. Spirense imp. Venetiis 1509. C. — Den Hymnus zum Officium vgl. Analecta XI, p. 126.

60. De santo Godeberta.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Alma virgo, sponsa Christi,
cohaeres coelestium,
Insignis consors sanctarum
Godeberta virginum,
Audi voces famulorum
pariter canentium
Atque pia nobis tuum
impetra consortium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virgineum decus, aeternum
regem veneremur,
Virginis egregiae
Godbertae festa canentes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Spiritus alme, tuum
nostris nunc suggere lumen,
Cordibus ut hujus
celebremus virginis actus.
2. Ambianense pago
Noviomi ad opus veneranda
Haec Godberta sacro
fuit edita utroque parente.
3. Utque columba piis
nitido de fonte renata
Actibus intendit
retinens serpentis acumen.

Responsoria.

1. Dulces lingua nostra Christo
reddat alte jubilos,
Qui multis locis beata
plura credens pignora,
Nos ab hoste munit armis
Godebertae virginis.
V. Reddi, Jesu bone, grates
ore, corde condecet,
Nam reminiscendo sui
jugiter auxilii.
2. Ex imbuta lege Christi
parentela nascitur,
Quam fide catechizandam
Godebertam vocitant,
Rore fontis sic deluta
illustratur spiritu.
V. Exorcismis sacris fulta
domus Dei nitida
Universali fide[que]
subarrhata [Domino].
3. A puero Godeberta sacris
jam moribus haerens
Ad Christum toto
concepit tendere voto,
Cui sese castam
vovit servarier aulam.
V. Prudentum numero
sociatur virgo beata,
Lampade succensa
sponso sic pervigil adstat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Casta volans hujus
jam pulchrae fama puellae
Aures nobilium
pulsat ac dicere tentat.
2. Praevenit hos praesul
virtutum germine fultus,
Eligius Christo
Godbertam sponsat et almo.
3. Rex divina videns
Lotharius nomine Christi
Mox dat huic dotem
donum cupiendo supernum.

Responsoria.

1. Sanctissima sponsa Christi
Godeberta beati
Antistitis Eligii
roborata doctrinis
Assumens lampadem cum
laetitiae oleo
Introivit ad nuptias
veniente Domino.

V. Memor dominici
praecepti jugiter
Commonentis:
vigilate, quia
Nescitis, quando
Dominus veniet.

2. Inclita virgo jugi
studio Godeberta subegit
Corporis illecebras,
animae quaerendo vitellas,
Deligitque cruces
sese sufferre tenaces,
V. Post Jesum tollendo crucem
mactatur in ara.

3. Gestorum titulis
spatium Godeberta per orbis
Quae celebris meritis,
virtutum lumen in actis,
Te, paradise, tuas
penetrat comitata choreas.
V. Virginis almae
Anima linquens
Carnea claustra
Migrat ad astra.

Responsoria.

1. Magnis laudibus te decet
Frequentari, o sancta
Godeberta virgo, cui
Dominus abundantiam
Gratiae suae dignatus
Est conferre, quam plurimis
Ad te confugientibus
Infirmis tuo obtentu
Crebris subveniens medelis.
V. *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.*

2. Sacro mausoleum
Godbertae corpore comptum
Gestatur, functis
quaedam nam femina nervis
Felici proprium
repedat mox alite tectum;
V. Venerat Audemia
cuncta compage soluta
Virgineis meritis
ac sospes denique facta.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec inopum miserans,
lapsis solamina praebens
Dat visum caecis,
aegros a clade reduxit.

2. Talibus insignis
dimissa corporis aula
Spiritus alta petit,
niveus quem suscipit agnus.

3. Jam, Godeberta, polo
sociata perenniter agno,
Oramus nostras
deposce resolvere culpas.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O veneranda,
O speciosa,
Compta superni
Munere regis,
Te, sacra virgo,
Corde subacto
Voceque pura
Quaesumus omnes,
Sedula vitae
Gaudia nobis
Posce perennis.

Breviarium Noviomense imp. Parisiis 1515. — In 1. Noct. **R** 2, 9 sq. lückenhaft. — In 2. Noct. **A** 1, 4 lies: ducere tentant? — **A** 3, 2 in nomine. — **R** 2, 5 Delegatque. — **R** 3, 10 Micat ad. — In 3. Noct. **R** 2, 10 lies: est sospes? — Die hier fehlenden Teile des Officiums sind prosaisch.

61. De sancto Guillermo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

1. O decus Britanniae,
   Praesul Briocensis,
Guillerme, qui gloriae
   Praemiis immensis
Gaudes, nobis gratiae
   Precibus impensis
Fer opem et veniae
   Pro nostris offensis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum hodie
   Adorent omnes populi,
Qui coronam gloriae
   Dedit Guillermo praesuli.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir, qui sequi noluit
   Consilium impiorum
Nec impulsus moveri potuit
   A semita mandatorum.
2. Super montem Domini
   Sion rex effectus,
Deo est et homini
   Placens et dilectus.
3. In agone salvatorem
   Deum invocavit,
Sic se, mundum et furorem
   Hostis superavit.

Responsoria.

1. Guillermus humilis
   Confessor Domini,
Praesul amabilis
   Deo et homini,
Lucro laudabilis
   Talenti gemini,
Prece sit utilis
   Suorum agmini.
V. Huic sint vicini
   super astra sui peregrini.
2. In die fervens opere
   Vir plenus pietatis
   Proventus dignitatis
Egenis distribuere
Studebat et hoc agere
   Cum manibus beatis.
V. Gloria praelatis
   dabitur, qui dant ita gratis.
3. O quam fervens et sincerus
   In oratione,
Quam benignus et severus
   In correctione,
Quam fidelis et quam verus
   In promissione,
Quam discretus et sincerus
   Erat in sermone.
V. Tali personae
   sit laus meriti ratione.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quid vana diligitis,
   O filii hominum,
Non sic, quem vos colitis,
   Exquisivit Dominum.
2. Vir dolosus et malignus
   Non stat ante Deum,
Sed Guillermus vir benignus
   Contemplatur eum.
3. Gloriatur hic in caelis
   Et honore colitur,
Nam in pauca vir fidelis
   Supra multa ponitur.

Responsoria.

1. Hic vi tyrannorum
   Pulsus exsulavit
Et ad Pictavorum
   Urbem declinavit,
Ubi commissorum
   Saluti vacavit,
V. Utque triumphavit,
   ad oves pastor remeavit.

2. Hic virginale praemium
Sui victor obtinuit,
Sepulta per biennium
Ejus caro non putruit,
In quo pudoris lilium
Violari non potuit.
V. Quam Deus huic tribuit,
gratia magna fuit.

3. O quam sanctum protestantur
Sanctitatis opera,
Per quam morbi tot curantur,
Languores et vulnera,
Caeci vident, muti fantur
Per Guillermi munera,
V. Quae sunt innumera,
nobis tamen omnia vera.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Guillermus sine macula
Operatur justitiam,
Intravit tabernacula
Dei patris et gloriam.

2. Deus, qui vitam gloriae
Guillermo tribuisti,
Da nobis sequi gratiae
Viam, quam praecepisti.

3. Guillermus nocens nemini,
Per gradus caritatis
Scandens in montem Domini
Quiescit cum beatis.

Responsoria.

1. Per hunc mater in domo filium
Jam combusta sanum recuperat,
Naufragantum factus refugium
Mare sedat, procellis imperat,
Naves salvat ad se clamantium
Et personas captivas liberat;
V. In quo qui sperat,
ejus suffragia quaerat.

2. In mamilla misere
Quaedam aegrotavit,
Quam corosam ulcere
Dolens amputavit,
Corde, verbis, opere
Sanctum visitavit,
Sano gaudens ubere
Domum remeavit.
V. Hoc sibi donavit,
quem puro corde rogavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum justi non obruit
Ventorum importunitas,
Nec aquis multis potuit
Ejus exstingui caritas.

2. Guillermus in laetitia
Coram Deo servivit,
Cujus portas et atria
Confessor introivit.

3. Deus, ad te vigilabat
Sitiens orando,
Cujus linguae concordabat
Manus operando.

4. Benedicant creatorem,
Qui creavit omnia,
Qui per suum confessorem
Tot facit magnalia.

5. Coeli, terrae, maria,
Sonus, vox et sermo
Dei beneficia
Laudent in Guillermo.

Ad Benedictus.

A. O Guillerme, pastor egregie,
Tutor gregis, lucerna, speculum,
Briocensis decus ecclesiae,
Morum lampas, exemplar praesulum,
Ora patrem misericordiae,
Ut nos salvet, clerum et populum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O magna clementia
Nostri salvatoris,
Qui tot per suffragia
Sui confessoris

Facit mirabilia,
Omnis vim languoris
Pellens et daemonia,
Cujus nobis gratia
Cunctis adsit horis.

Brev. ms. Nametense saec. 15. (Privatbesitz) A. — Brev. Briocense imp. Redonibus 1548. B. — In 1. Noct. R 1, 2 Confessor Christi B. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Analecta XI, p. 264 sq.

62. De sancto Hermelando.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, pater eximie,
Summae vas sanctimoniae,
Morum fragrans odoribus,
Tuae nunc adsistentibus,
Hermelande, memoriae
Pro lapsis dona veniae
Tuis impende precibus.

2. Castrum exsulta Lochium
Hermelandi praeconium
Summis attollens vocibus,
Ut dato fine cladibus
Per ejus patrocinium
A turbinosis hostium
Muniaris incursibus.

3. Salve, pater, pastor bone,
Noster aegis et patrone,
Labis expers facinoris,
Quem tui sacri corporis
Decorasti praesentia,
Gregis esto dux in via
Tui, pater, commemoris.

4. O sacerdotum speculum,
Mundo relinquens titulum
Sanctitatis eximiae
Tuae, pater egregie,
Lampas, lampetra, labulum,
Vino redundans vasculum
Signa sunt sanctimoniae.

5. O lucerna confessorum,
Quem praeclara meritorum
Attollit excellentia,
Tuorum, pater, expia
Piacula famulorum,
Ut perenni beatorum
Per te fruamur gloria.

R. Nobis venerandi
suffragentur preces Hermelandi,
Quem digne, dum perorat,
lux coelica fusa decorat.
Regi vitae vivam
se dat sanctus hostiam laudis
V. Tu, grex coeli sanctus,
de cive coelico plaudis.

Ad Magnificat.

A. O sacer, o felix
confessor, vota tuorum,
Hermelande pater
clemens, audi famulorum,
Ut te donante
mundi fugiamus amorem,
Atque, domus Domini
studeamus amare decorem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Confessoris ovans
Hermelandi chorus iste
Depromat laudes,
Per quas placeat tibi, Christe.

In 3. Nocturno.

Prosula.

Coelo dignus
Vir benignus
Mansionem gloriae

Est sortitus,
Redimitus
Corona justitiae.

Venerandus
Hermelandus,
Spiritalis gratiae
Vas electum,
Sequens rectum
Iter innocentiae,

Sub divina
Disciplina
Zona continentiae
Se praecinxit
Et exstinxit
Fomenta lasciviae;

Lucis templum,
Dans exemplum
Pacis et munditiae,
Ab hac luce
Christo duce
Migrans laetus hodie.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Ad aeternae vitae regnum
et coelestem patriam
Duc, confessor Hermelande,
praesentem familiam,
Ut laetetur tecum tuam
possedendo gloriam,
Quae nunc tuae sanctitatis
recolit memoriam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pie confessor,
vitae qui munere gaudes,
Hermelande, preces
et nostras suscipe laudes,
Ut, qui devotis
animis celebrant tua festa,
Vitae praesentis
valeant vitare molesta.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. — Alle übrigen Teile des Officiums sind prosaisch; die Hymnen hiezu s. Analecta XI, p. 152 sq.

63. De ss. Hermelando et Baldo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christo plebs dedita,
Sanctorum glebis praedita,
Gratuleris hodie,
Tota sis jucunda,
Erumpens in laudibus
Sursum erectis cordibus
Lauda regem gloriae
Labe mente munda;
Spem fide corrobora,
Ecce sanctorum corpora
Hermelandi Baldique
Tibi commendantur,
Votis ergo sedulis,
Dignis concentus modulis
A nobis nunc utrique
Laudes referantur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Praeoccupemus faciem Domini
In confessione sanctorum.

Ad Nocturnum.

Super Psalmos.

A. Laus litetur in sanctorum
Festo grata numini,
Nam in lege Domini
Fuit voluntas eorum.

Responsoria.

1. Mundum ad agni nuptias
Invitans rex coelorum
Servos praemisit varias
Promittens post laborum
Cursum vitae delicias
Mercedem meritorum.

V. Horum sancti, nunc proprias
Quorum colis exuvias,
Typum tenent servorum.

2. Cultu laudum impendia
Sacrae devotionis
Prome, praesens ecclesia,
Paradisi colonis,
Quorum fulges praesentia
Congaudesque patronis.
V. Laudes ipsorum amplia
Vitae compescens vitia
Filiae Babylonis.

3. Te, Christe, laudant supera,
Terra, pontus et cetera,
Quaecunque condidisti,
Qui tot in vitae vespera
Nobis sanctorum pignora
Praeclara contulisti.

V. Nobis remitte scelera
Tibique nos confoedera,
Christe, quos redimisti.

Ad Laudes.

Super Psalmos.

A. Exuti carnis carie
Deum laudant in caelis,
In laude quorum hodie
Resultat nostra chelys.

Ad Benedictus.

A. Te laudamus, Jesu bone,
Qui certantes in agone
Confortas ex munere,
Dum nos ditas beatorum
Glebis, fac nos ad eorum
Gaudia pertingere.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. — Hiezu der Hymnus Analecta XI, p. 153.

64. De sancta Hermelinde.

In 1. Vesperis.

R. Virgo, puellarum
decus, observantia clarum
Sidus, sexennis
bis calcans saecla, perennis
Per carnis domitae
regnum petit ardua vitae,
V. Virgo carens fraude,
celebri dignissima laude.

Ad Magnificat.

A. Virgo magnifica,
simplex, praecauta, pudica,
Pallens et macra,
devota, theorica, sacra,
Mentis tunc jubilo
jugi, nunc pacis asylo
Perpetuae fruitur,
in quo gaudens stabilitur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, castarum
decus et tutamen earum,
Semper adoremus
et mente pia jubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praedita virgo bonis,
praesens per singula donis,
Moribus augmentat
eam perfectamque parentat.

2. Mens in sublimi
sua floris tempore primi
Virtutum plenas
pure moderatur habenas.

3. Lubrica pro vili
   reputat cursu juvenili,
   Exemplar clarum,
   dux praevia, stella bonarum.

Responsoria.

1. Laetificando locum
   resonet chorus organa vocum,
   Decantet gaudens
   et coeli curia plaudens
   Adsit, ut in plenis
   laudetur virgo camoenis,
V. Concinat ac oret
   vir, femina, quisque laboret.

2. Crimina cuncta, pater
   vult hoc et sedula mater,
   Vi fugiens tota
   Christo spondet sua vota,
V. Carnis devexum
   maris omnis provida nexum.

3. A patre villa datur,
   quo pergens virgo moratur,
   Competit esse status
   ad opus proprii famulatus,
   Seque domumque regens
   ibi vivit humillima degens,
V. Laudibus usque vacans,
   Christum per omnia placans.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Contigit, ut quidam
   duo vellent fallere fidam
   Ancillam Christi,
   cui tutor, Christe, fuisti.

2. Angelus accedit,
   monet et virguncula credit,
   Sic splendorque micat,
   castam sibi castus amicat.

3. Advenit haec eremum
   fido duce credula demum,
   Hic locus aptatur
   sibi gratus eoque moratur.

Responsoria.

1. Haec eremi cultrix,
   quasi facta vulneris ultrix,
   In Christi latere
   Constanter coepit latere,
V. Herba sibi victus
   et cilicium fit amictus.

2. Christum mente ferens,
   scripturae semper inhaerens
   Fit proba vas doxae,
   totius libera noxae,
V. In studet aeternis
   nemorum latitando cavernis.

3. Cedit ab hac vita
   post multum sic eremita,
   Hominis obsequitur
   plebs coelica, qua sepelitur,
   Fit quoque voce, lyra
   cum lampade latria mira,
V. Sede libens anima
   superum transfertur ad ima.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gesta patent justo
   cuidam ceteraque venusto,
   Contigit, ut sciret,
   dum dictum per nemus iret.

2. Coeli nocte chorum
   videt et jubar audit eorum,
   Dulce melos sane,
   loca signat ,abit quoque mane.

3. Nocte sequente quidam
   vir pernoctabat ibidem,
   Dignus idem dignum
   vidit memorabile signum.

Responsoria.

1. Vir toto nisu
   divulgat cognita visu,
   Parte domum fundat,
   tumba, res mira, redundat,
V. Grande rei nomen
   diffunditur hujus et omen.

2. Plebs ruit ad nota
 miracula dans pia vota,
Vera salus morbis
 datur hic et luminis orbis
V. Et claudis quisque,
 surdis, mutis rabidisque.

3. Mox duce Pippino
 veniente genuque reclino
Oscula dante locis
 fiunt pia famina votis,
Capsa quo teste
 pia membra locantur honeste,
Qui templum grande
 struit in laudem venerandae,
V. Remque piam jusque
 statuens sexus utriusque
Coetum, pro cura
 victus dat praedia multa.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Laudemus Christum,
 propter quem respuit istum
Mundum virgo bona
 fulgens radiante corona.

2. Christum laudemus
 et laudes amplificemus,
A quo donata
 sic proximat ista beata.

3. Curet in aeternum
 regem laudare supernum
Plebs, hanc qui clare
 curavit mirificare.

4. Christus laudetur
 et in aevum glorificetur,
Qui tam mirifice
 vitam decoravit amicae.

5. Laudibus altisonis
 laudetur vi rationis
Rex, cui mente mera
 servivit virgo serena.

Ad Benedictus.

A. O benedicte pater,
 o Christe, piissime frater,
O sanctum pneuma,
 cantus, psalmodia, neuma
Jure tibi dantur,
 tibi psallunt, te venerantur,
Hermlindi meritae
 qui das pia praemia vitae.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Inclita virgo decens,
 ad Christum vota profunde,
Ut vetus atque recens
 scelus abluat, urimur unde.

2. Virgo dicata Deo,
 pro nobis jugiter ora,
Ne sontes ab eo
 damnemur mortis in hora.

3. O virgo clemens,
 da Christo juge precamen,
Ut nobis clemens
 sit noxae detque piamen.

4. Id pete subjectis,
 ne nos patris ira molestet,
Virgo, sed abjectis
 vitiis bene vivere praestet.

5. Post, modo virgo roga
 Christi pia numen et ora,
Ut cum luce toga
 potiamur mortis in hora.

R. Haec morum lima
 se stravit ab indole prima,
Ad summam vitae
 varia probitate polita,
Celsa virago, satrix
 virtutum, juris amatrix
Intima, subjecta,
 patiens, pia, lege referta.
V. Mirus odor gummi
 coeli replet [atria] summi,
Quod fuit e messe
 quam sacro severat esse.

Ad Magnificat.

A. O vir verbigena,
fons manans ubere vena,
Virginis Hermlindis
precibus nos exue mendis,
Ut sua per merita
potiamur coelibe vita.
Tuque suo zelo
flagrans nos ingere coelo.

Alia Antiphona.

Filia Hierusalem,
tibi se dedit hic specialem,
Qui mundi naevum
tollens nos solvat in aevum

Alia Antiphona.

O virtutum omnium
Te polit virgo schema,
O quam expers sordium,
Quam dignum fandi thema,
Prece tui
Fac nos frui
Omni bono,
Ditans dono
Salutis et gratiae,
Exhinc Dei facie.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884. — In 1 Noct. **A** 2, 4 puere Hs. — **R** 1, 7 Concinet Hs. — In 2. Noct. **R** 1, 4 coepit habere Hs. — In 3. Noct. **A** 1, 2 cetereque Hs. — In 2. Vesp. **A** 4, 2 Ne quos hatris Hs.

65. De sancto Honorato.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Lux celebris micat in tenebris
radiusque serenus,
Est hodie datus ecclesiae
vir pneumate plenus,
Quid meruit, quid deseruit,
si respiciatur,
Flere pium, gaudere pium
satis esse probatur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Patris Honorati
gaudentes de patre nati
Festa colant hodie
summae jubilando sophiae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praesul Honoratus
hodie super astra levatus
Gaudia post luctum
metit et post semina fructum

2. Moribus et gestis
puer informatur honestis,
Cui comes et testis
cibus est levis, aspera vestis.

3. Transgrediens metas,
fragilis quas vendicat aetas,
In puero factus
jam vir senis explicat actus.

Responsoria.

1. Ecce dies celebris
celebri dignissima laude,
Qua micat in tenebris
tua lux, Somnobria, gaude.
V. Nescia finiri
tibi fax nova coepit oriri.

2. Hic vir magnificus,
humilis, pius atque pudicus,
Quo duce Martha Liae,
Rachel est sociata Mariae,
Martha laborando
fuit atque Maria vacando,
V. Ne premat ecclesiam
regnum, ne Martha Mariam.

3. Jam superis junctus,
jam prae consortibus unctus
Transit Honoratus
de culmine pontificatus
Ad superos cives
factus de paupere dives,
V. De gremio matris
translatus ad atria patris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quod caro, quod mundus,
quod et hostis vult furibundus,
Dum fugit et subdit
sibi se, tria proelia vicit.

2. Mole licet pressus
carnis super ardua gressus
Rexit et erexit,
nec eum via prona reflexit.

3. Exemplum veri
pastoris in ordine cleri
Se fieri potius
statuit quam velle videri.

Responsoria.

1. Aetheris ardorem
nimium solisque calorem
Temperat et rorem
dat civibus uberiorem,
V. Mundus ei cedit,
mare, sidera, ventus obedit.

2. Subveniens multis
pater in moerore sepultis
Compedibus fractis
et carceribus patefactis
Civibus ingratis
dissolvit vincla ligatis,
V. Ut pateat, quanti
sit ubique potentia sancti.

3. Mellifluo flori,
qui balsama vincit odore,
Alternando chori
succensi cordis amore
Concentum memori
digno modulentur honore,
V. Gratia dat rorem
flori, Somonobria florem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ambianense solum,
dum coelum sidere ditat,
Ornans terra polum
tenebras splendore maritat.

2. Subvenit aegrotis
majoraque munera votis
Dat sibi devotis
positis prope sive remotis.

3. Mente vigens munda,
moriens a morte secunda
Fugit et ad vitam
venit fugiendo sopitam.

Responsoria.

1. Luciferi splendens
radius super aethera tendens,
Quem colit iste chorus,
voto, prece, laude sonorus,
Spes et amor cleri,
tu nos dignare tueri,
V. Gloria pontificum,
pastor bone, sidus amicum.

2. Splendida stella poli,
pater inclite, spernere noli
Nos tibi devotos,
sed ab omni crimine lotos
Tecum sorte pari
fac nos super astra locari,
V. Maxime pastorum,
spes, portus et aura tuorum.

3. O decus ecclesiae,
matri, pater, auxiliare,
Quo gaudent hodie
sidera, terra, mare;
Nata patrem, natum
mater, sua sponsa maritum
Gaudet Honoratum
jam super astra situm.

V. Quo sibi flore dato
rediviva virens prius arens
Prece viro, nato,
filia, sponsa, parens.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus immensis
resonans, plebs Ambianensis,
Patris in hoc festo
solito festivior esto.

2. Hic caecis, surdis, mutis
omnique solutis
Morborum genere
tribuit velut ante vigere.

3. Corpora sanctorum,
quae clausa diu latuerunt
In latebris nemorum,
sancti meritis patuerunt.

4. Exusti pueri
per aquam cutis arida facta
Sana per hunc fieri
meruit post vota peracta.

5. Femina, quae voluit
contendere votaque fregit,
Optatis caruit,
donec prius acta peregit.

Ad Benedictus.

A. O navitatis opus,
defuncti corpus honorans
Crux caput inclinat,
sanctum reverenter adorans;
Res manifesta patet
nec sancti fama laborat,
Non opus est verbis,
ubi res sine voce perorat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Glorietur in hac die
Mater Somonobria,
Sonent vocum melodiae
Cordis ex laetitia;
Alleluja
Consonet ecclesia.
Ambianis jucundetur,
Psallat chorus, plebs laetetur;
Alleluja
Consonet ecclesia.
Pater pie, peccatorum
Miserere et tuorum
Esto memor memorum;
Alleluja
Consonet ecclesia.

Brev. Ambianense imp. Parisiis 1554.

66. De sancto Ivone.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virga virens virtutibus,
Almus ramus Britanniae,
In sanctorum splendoribus
Ivo locatur hodie.

2. Plebis plaudat devotio
Sublimato Ivone
In sanctorum concilio
Et congregatione.

3. Exortum est in tenebris
Ivo, lumen praefulgidum,
Qui fugatis illecebris
Splendorem dedit humidum.

4. Humilis pauperibus
Ivo sociatus
Gaudet cum principibus
Coeli coronatus.

5. Omnes Christi populi,
Deum honorate
Et Ivonis, servuli,
Merita laudate.

Ad Magnificat.

A. Gaude, mater ecclesia,
Plaude, tota Britannia,
Et Trecorensis civitas
Ivone decorata,

Per quem tot mirabilia,
Miracula eximia
Creatoris activitas
Est in te operata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus pariter
Christo jubilantes
Ivonis alacriter
Laudes resonantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In via non abiit
Lata peccatorum
Vir Ivo, sed tenuit
Viam perfectorum.

2. Mundi hic inania
Non est meditatus
Ivo ad coelestia
Totus inflammatus.

3. Susceptor est Dominus
Incliti Ivonis,
Caput ejus terminus
Exaltans coronis.

Responsoria.

1. Sacrae scripturae foedere
Coepit Ivo contemnere
Mundanum florem marcidum
Et sursum corde cernere
Non segniter sed propere
Ad fructum coeli sapidum;
V. Cor ejus valde fervide
In cursu nescit sistere
Sed semper vult proficere.

2. Prae arduo jejunio
Pro castitatis lilio
Ivo corpus arctavit
Circumtectum cilicio
Et sic in carnis proelio
Perfecte triumphavit,
V. Nam fames et rebellio
Devincitur et ratio
In eo superavit.

3. Septem diebus rapitur
Divino juramento
Et tunc nullo reficitur
Humano nutrimento,
Nam intus plene pascitur
Coelesti alimento.
V. Ivo tunc alme alitur
Et ad corpus deflectitur
Virtus ex ligamento

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocaret Dominum
Ivo, vir devotus,
In divinum silentium
Reconditur totus.

2. Verba Dei auribus
Populi pandebat.
Ivo, quem operibus
Ad Deum trahebat.

3. Ex ore infantium
Ivo collaudatur
De morte surgentium,
Quo id impetratur.

Responsoria.

1. Moysi assimilatur,
Eliae et Elisaeo
Ivo, per quem separatur
Aqua magna dante Deo
Signo crucis, quo miratur
Famulus vadens cum eo.
V. Via pontis reseratur,
Hinc et inde desiccatur
Expresso Christi trophaeo.

2. Igne fervens spiritali,
Vera Dei caritate,
Signo crucis triumphali
Ignem fugat pietate
Ivo, non vi corporali
Sed divina potestate;
V. Dono supernaturali
Egit in materiali
Ignis dura qualitate.

3. Viri clausi exitum
Ivo reseravit,
Futuri absconditum
Clare prophetavit
Et ejus demeritum
Ante propalavit;
V. Lumen est insolitum,
Quo futurum volitum
Hominis monstravit.

3. Ligna curta protenduntur
Et praecisa renascuntur
Supra vim naturae,
Subito dum promittuntur,
Cum Ivoni conferuntur
Ad opus structurae,
V. Florent, sursum eriguntur
Et ad statum reducuntur
Primaevae naturae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In coeli tabernaculo
Ivo habitavit,
Cum de carnis vinculo
Spiritus volavit.

2. In virtute tua, Christe,
Aeterne laetatur
Magnus Ivo, sanctus iste,
Et congloriatur.

3. Innocens Ivo manibus,
Mundissimus mente,
Gaudet cum sanctis omnibus
In gloriae monte.

Responsoria.

1. Hic pietatis opera
Ivo cuncta implevit,
Cum egenorum viscera
Cibo, potu replevit
Et nuda horum corpora
Indumentis complevit,
V. Sepulchris tradens funera
Et vivis domus foedera
Cetera adimplevit.

2. Dum suis Ivo manibus
Panem praebet pauperibus,
Panis multiplicatur,
Et arca plena frugibus
Collatis indigentibus
Iterum cumulatur,
V. Dispergens dans egentibus
De suis cunctis opibus
In coelo lucrabatur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Indutus est sanctus Ivo
Divinum decorem
Et gustat de coeli rivo
Aeternum dulcorem.

2. Ivonem presbyterum
Cuncti exaltate
Et pro dono operum
Deo jubilate.

3. Ad tuam, Ivo, gloriam
Sitivit Deus meus
Sicut ad victoriam
Fortis Maccabaeus.

4. Ivo laude carminum
In vita beata
Benedicit Dominum
Per cuncta creata.

5. In sanctorum ecclesia
Laus sonet Ivonis,
Qui sedet in gloria
In sanctorum thronis.

Ad Benedictus.

A. Coeli gaudet rosarium
Adventu novae rosae,
Ivonis, cujus folium
Senarium
Vitae laboriosae
Transit ad septenarium
Stipendium
Coronae gloriosae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ivo praebens sacramenta
Et salutis documenta
Sibi dato populo
Corde valde sedulo
Populum purificat
Et conducens per crementa
Et virtutum ornamenta
Dominum magnificat.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb 303. A. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisien. BBl. VIII° 24[2] B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisien. 1273. C. — Brev. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. D. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. E.

In 1. Vesp. A 3, 4 dedit nimium D. — A 4, 1 Humillimus D. — A 4, 3 Sedet cum D. — Ad Magnif. A, 6 miracula fehlt C; A, 7 et civitas C. — In 1. Noct. A 2, 1 Mundit C. — Noct. 2 und 3 fehlen C. — In 2. Noct. R 2, 2 Verba Dei D. — R 2, 3 Furtum absconditum D. — In 3. Noct. R 3, 7 tradens viscera D. — Die zugehörigen Hymnen siehe Analecta XI, p. 163 sq.

67. De sancto Ivone.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Qui potens est, exaltans humiles
Magnam facit Ivonis gloriam,
Per virtutes innumerabiles
Monstrans ejus magnificentiam;
Aegros sanat, solidat debiles,
Elinguibus praebet facundiam,
Vinctos solvit, facit damnabiles
Promereri de culpis veniam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno vero et vivo
Deo regenti saecula
Jubilemus, in quo Ivo
Operatur miracula.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ivo bona dedit ex arbore
Fructum bonum congruo tempore.

2. Ivo fuit sanctae ecclesiae
Architectus bene aedificans,
Pascens plebem cibo scientiae,
Dominica praecepta praedicans.

3. Ivo, cujus est Christus gloria,
In quo facit tot mirabilia,
Mala turbant nos multiplicia,
Accelera nobis remedia.

Responsoria.

1. Ivo, laudis tuae materia
Tui vera sunt testimonia,
Complectitur tot laudabilia,
Qui inopes nos facit copia,
V. Tot occurrunt menti magnalia,
Ori quoque tot narrabilia.

2. Ivo, quis tibi similis,
Victu, gestu et opere?
Simplex eras et humilis,
Mundus ab omni scelere,
Vestitu despicabilis,
Quamvis clarus ex genere,
Pius, cunctis amabilis.
V. Deum amans sumopere,
Studens sapores fugere
Ac de abjectis vivere
Et indigentes alere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ivo, pro quo tu advocas,
   Promptum sentit auxilium,
Nam invenis, dum invocas,
   Deum tibi propitium.

2. Ivo, scuto benevolentiae
Tegit Deus clientulos tuos,
Lapsos trahit ad vitam veniae
Et ab orcu suscitat mortuos.

3. Ivo, quam admirabile
   Nomen tuum dignoscitur,
Nam contra quodvis flebile
   Malum, quod homo patitur,
Per te confestim utile
   Remedium tribuitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ivo, qui es ad gloriam
   Ingressus sine macula,
Impetra nobis veniam
   Et gratiam accumula.

2. Ivo, dum tuas psallimus
   Virtutes et miracula,
Per te nostrarum poscimus
   Culparum solvi vincula.

3. Ivo, in montem Domini
   Meruisti ascendere,
Praesenti praestes agmini
   Innocenter te colere.

Responsoria.

Doctor cleri, doctor veri,
   Ivo, bonis nos adstrue,
Laus sanctorum, lux rectorum,
   Nos illustra, nos instrue
Et nos a malis erue
   Suffragio precis tuae
V. Et a vitiis exue
   Ac virtutibus indue.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Mirabilis in altis Dominus,
Qui Ivonem fecit mirabilem,
Omne nobis dimittas facinus
Sese praebens nobis placabilem.

2. Omnis terra resultet gaudiis
In Ivonis sacris solemniis.

3. Deus, Deus summae potentiae,
Servos tuos Ivonis laudibus
Insistentes audi propitie
Servans eos a malis omnibus.

4. In Ivone te benedicimus,
Pie Jesu, dum ipsum colimus.

5. Tympano et psalterio
Laudemus Dei gloriam
Sperantes indulgentiam
Ivonis patrocinio.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus omnium,
Ivo, tibi dat hanc potentiam,
Quod protector in te sperantium
Inimici saevi protervian,
Domas, fluctus, demis incendium,
Rixas tollis, foves concordiam;
Audi voces ad te clamantium
Et in pacis dirige nos viam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In Ivonis solemniis
Exsultet noster spiritus
Poscendo precibus piis,
Ut nos adjuvet coelitus
Impetratis remediis
Et nos liberet penitus
A malignis molestiis,
Quibus mundus est subditus.

Brev. ms. Bituricense saec. 14. Cod. Parisien. 745. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisien. 1300. B. — Brev. Leonense imp. Parisiis 1516. C. — Die Ant. in 1. Vesp. nur in C. — Ad Noct. **A** 1, 1 advocas soviel als advocatum agis, patrocinaris. — Ad Ben. **A**, 4 saevientis; 8 Et dirige nos in viam pacis. A. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Analecta XI, 165 sq.

68. De sancto Ivone.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, terra Franciae,
Praesertim Britanniae,
Nobili progenie
Quae dedit Ivonem,
Ut bonus fons rivulis
Fundit aquas singulis
In salutem populis
Et vitae praeconem.

2. Adhaerendo studiis
Consortes ingeniis
Praecedens scientiis
Perfectus reluxit,
Pauperum, pupillorum
Causas et orphanorum
Gratis et miserorum
Advocatus duxit.

3. Post haec factus presbyter
Curatus viriliter
Parochianis iter
Docuit salutis,
Procurationibus
Et confessionibus,
Missis, se dans omnibus,
Spernens poenam cutis.

4. Ibat ipse pedester,
Quamvis posset equester,
Edocens librum Esther
Cum aliis bonis,
Per partes sic sunt gentes,
Senes, adolescentes
Crudes facti coelibes
Exemplis Ivonis.

5. Post haec officialis
Fuit bonis et malis,
Ita gratusque talis
Nunquam fuit visus,
Exhibens justitiam
Cuilibet propriam,
Sedando discordiam
Rixas rixus tollit.

R. Vas, consolator pauperum,
Blando vacuum iterum
Plenum reperisti,
Ducentos per tempus carum
Pauperes stans et amarum
Tuque replevisti
Septem panibus solidatis,
Cum non essent centum satis.
Per virtutem Christi.
Ivo, nos qui tuae laudi
Adsistimus, nunc exaudi
Tales non liquisti,

V. Ut Deus nos tua prece
Liberos aeterna nece
Coeli sedi sine faece
Jubeat adsisti.

Ad Magnificat.

A. Ultra quam dici potest, felicius
Beatus confessor, Ivo
Haelorius,
Coelo gaudet superius,
Qui carnem maceravit
Asperius,
Pauperes confortavit
Benignius,
Ideo cum Christo regnat
Laureatus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus et laudemus
Christum, regem Dominum,
Qui doctorem et praeconem
Ivonem dat hominum.

Aliud:

Aeterno, vero et vivo
Deo regenti saecula
Jubilemus, per quem Ivo
Operatur miracula.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste sanctus non abiit
   Impiorum concilio,
   Sed die, nocte subiit
   Sacrae legis eloquio.
2. Hic a Deo constitutus
   Sion in monte Domini
   Praedicavit et docuit
   Christi subdi nomini.
3. Istum Christus rex suscepit
   Exsultans in gloria
   Et suum caput erexit
   Sibi praebens gaudia.

Responsoria.

1. Adest dies celebris,
   Qua Christus de tenebris
   Vocavit Ivonem
   Pro victis illecebris
   Loco justi foederis
   Coeli portionem,

V. Felici commercio
   Pro cursu in stadio
   Pugnans brevi spatio
   Percepit in praemio
   Dei visionem.

2. Pro cordis munditia
   Et passa moestitia
   Aspicit in gloria
   Regem coronatum,

V. Fames et penuria
   Cedunt, at contraria
   Succedunt in patria
   Post hunc incolatum.

3. Dispensans fideliter
   Commissum talentum
   In Dei servitio
   Non se fecit lentum,
   Pauperibus prebuit
   Saepe instrumentum
   Et per hoc promeruit
   Sedem praesidentum,

V. Dum Christo in paupere
   Praebet vestimentum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nunc ergo sciant homines,
   Quod ipsum mirificat
   Et ipsum inter angelos
   Dominus aedificat.
2. Hunc devote exorantem
   Non despexit Dominus,
   Nolentem iniquitatem,
   Sed amantem aequitatem
   Exaudivit protinus.
3. Hujus memor altissimus
   Devote visitavit
   Et non minus ab angelis
   Cito coronavit.

Responsoria.

1. Hunc exaltavit Dominus
   In plebe abjectum,
   Per suum adjutorium
   Mandatis subjectum,
   Prae ceteris praetulit
   Curatis electum,

V. Quem in solitudine
   Curae jam perfectum,
   Spiritali lumine
   Ejus intellectum
   Illustrans, adspiramine
   Inflammans affectum.

2. Ad Dei praeconia
   Opera virtutum
   Fecit et scientia
   Populum imbutum
   Et suis virtutibus
   Mundum fecit tutum.

V. Mundanas divitias
   Contempsit et sprevit,
   Ejus amicitias
   De corde delevit
   Et Christi consilia
   Firmiter implevit.

3. Hunc servum prae ceteris
   Dominus amavit
   Atque ipsum gloriae
   stola decoravit,

Et in horto patriae
clare coronavit.
V. Induit eum Dominus
veste nuptiali,
Quae sunt fides, spes, caritas,
nam ornatu tali
Intratur ad nuptias
cum sponso regali.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic merito habitabit
Dei tabernaculo,
Quia crimen evitavit,
Dum vixit in saeculo.
2. Isti Deus tribuit
Cordis desiderium
Et internam dulcedinem
Coeli praebens praemium.
3. Innocens fuit manibus
Et pius sanctis precibus,
Sic scandit ad Dominum,
Patrem et fontem luminum.

Responsoria.

1. Hic mandata Domini
nunquam est transgressus,
In ipsius requiem
juste est ingressus
Fruiturus gloria
messor indefessus.
V. Fidelis servitio,
Humilis obsequio,
Utilis consilio,
Christi ministerio
Firmos tenens gressus.
2. Lumbos continentiae
cingulo praecinxit,
Luce sapientiae
populis illuxit,
Sic ardens interius
Et lucens exterius
Perfectus refulsit,
V. Hinc secure potuit
Sponsum exspectare,
Cum Christo, dum adfuit,
Nuptias intrare.
3. Confessor dulcissime,
O Ivo Haelori,
Adjutor cognomine,
Tu nostro corpori
Nunc fervorem imprime,
Nostros hostes opprime,
Succurre labori.
V. Filiis auxilium
Fer, dum in agone
Sunt, frustra remedium
Datur vel consilium
Jam facto themone.

Prosula.

1. Apparet in arduis
Vivis atque mortuis
Tua intercessio,
Curta lingna pro ponte
Ipsa longita sponte
Edocet mysterio.
2. Non minus pro cathedrali
In templo sancti Tudguali
Sonant curta ligna,
Bipedum curtitudine
Quatuor longitudine
Longans laude digna.
3. Possessus a daemonio
Hunc terrente colloquio
Laude plaudit sanus,
Multi defuncti nobiles
Gaudent atque ignobiles
Nunc vivi et manus
4. Nautorum et submersorum,
Hominum et jumentorum,
Corda restaurata,
Liberati naufragiis
Et exstincti incendiis
Per multa climata
5. Narrant hoc Deum laudantes,
Ivo, cui affectantes
Subsequi vestigia.
Ergo laudes Deo vivo
Concinat et tibi, Ivo,
Haec plebs cum laetitia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Conregnat nunc cum Domino
Victurus sine termino
Ejus indutus decorem,
Cujus fuit pro modulo
Semper imitatus morem.

2. Hic serviens laetitia
Deo jubilavit,
Ei viventem hostiam
Pure ministravit.

3. Sitivit ejus anima
Ad te Deum vivum,
Quem tamquam pater refovens
Ad proprium sinum.

4. Benedixit te Dominum
More puerorum,
Qui evaserunt camimum,
Flammam Chaldaeorum.

5. Hic tuis gratus gratiis
Te Deum laudavit,
Quem tua clemens gratia
Coelis collocavit.

Ad Benedictus.

A. Qui domos ab incendiis
Equos submersos fluviis
Salvasti tuis pluviis,
Trans ignem, fluxus noxios
Hujus saecli et impios,
Ivo, nos per actus pios
Transfer coelo innoxios.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificant coeli cives
Deum, per quem Ivo dives
Candidior quam sunt nives
Est vestitus caelo,
Post labores
Et honores
Saecli et huic dant honores
Magno cordis zelo.

Officia ms. Trecorensia saec. 15. Cod. Parisien. 1148. A. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisien. 1032. B. — Brev. ms. S. Martini de Estoviaco saec. 14. Cod. Parisien. 786. C. — Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisien. 1024. D. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. E. — Brev. ms. Aurelianense imp. s. l. et a. F.

In 1. Vesp. beginnen mit **R** DEF; fünf prosaische **AA** super Ps. hat C. — **R**, 4 Duritas per B; dies **R** lautet in DEF: Confessor dulcissime etc. In denselben Hs. lautet die **A** ad Magn.:

Ivo gestans pectore
Christum crucifixum,
Macerato corpore
Caritate fixum,
Locavit in aethere
Spiritum enixum.

In 1. Noct. **A** 1, 3 alloquio E. — **A** 2, 1 a Domino E. — **A** 2, 3 et edocuit E. — **A** 3, 1 Justum Christus E. — **R** 2, 1 Prae cordis B; statt dieses **R**: Hic mandata Domini etc. DF. — **R** 3: Completo curriculo etc. DF; diese Quellen haben (der österlichen Zeit wegen) nur eine Nokturn. — In 2. Noct. **A** 3, 4 Scito coronavit B. — **R** 3, 5 a patriae porta B; dies Responsorium lautet in C:

R. Completo curriculo temporalis status
Est Ivo de carcere carnis liberatus,
Ad coelestis gloriae regnum est translatus.
V. Pro fidei meritis vocitatur jure beatus.

Die Prosula nur in B. — Ad Laudes **A** 1, 5 Semper imitans D. — **A** 3, 3 tamquam fehlt D. — Ad Bened. **A** lautet in C:

Ivo sancte, cultor justitiae,
Novum jubar fulgens ecclesiae,
Lux et decus gentis Britanniae,
Hic nos esse fac vitae coelicae.

Dieselbe lautet in D:

Non talentum tumulavit
  Ivonis solertia
Sed lucrando reportavit
  Domino duplicia.

In 2. Vesp. lautet die Antiphon ad Magnificat in CD:

O Ivo, incola Britanniae,
Christi confessor beatissime,
Qui tuis meritis in coelis
Obtinuisti residere,
Ideo te deprecamur,
Ut pro tuis supplicibus
Apud Christum Dominum
  Intercedas.

Die zugehörigen Hymnen finden sich Analecta XI, p. 165 sq.

69. De sancto Ivone.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Cunctos presbyteros
  illustrat iste sacerdos,
Literis inclitus
  moribus atque fuit

2. Cum Christo mens, sensus idem
  eademque voluntas,
Hic potuit merito
  facere, quod voluit.

3. Qui steriles mentes
  virtutibus aptat opimis,
Principibus populi
  collocari meruit.

4. Digna Deo vota,
  conspectu populi facta,
Atriis hic Christi
  Jerusalem imposuit.

5. Doctrinae et morum
  hic plurima semina sparsit,
Exsultans metit,
  quae lacrimans seruit.

R. Ivo, ut exsueret
  taetra caligine mundum,
Doctrinae accendit
  lumen cum regula morum,
Lacte rigat parvos,
  pane cibat validos.

V. Omnes curat, alit,
  justificat, vegetat.

Prosula.

1. Decantemus hodie
Laudes, quae continue
  Depromuntur in coelis,
Ivonis memoriae
Continentes animae
  Conformemur angelis.

2. Thema laudis congruum
Vivorum et mortuorum
  Data dominatio,
Rerum quoque omnium,
Coelestium, terrestrium
  Concessa subjectio.

3. Explicant illa ligna
Pro ponte, ecclesia
  Nimis curta producta,
Compulsa daemonia,
Christi domicilia
  Linquentia et devicta.

4. Omne genus hominum
Sed et subjugalium
  Et quam plura climata
Requirunt suffragium
Et ejus praesidium,
  Quo sint subministrata.

5. Ivo, tui magnalia
Laeta chori praeconia
  Extollunt ad superos,
Alumnosque nos cogita,
Infirmos tu nos visita
  Considera devotos.

Ad Magnificat.

A. Collaetetur turba fidelium,
Dum sol Christus Ivonem radium
Luminis dat in mundi gaudium,
Britanniae in patrocinium,
Trecoriae juge praesidium,
Cujus vita, virtus, suffragium
Est salutis cunctis remedium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

En Ivonis solemnia
Corruscant per orbem,
Stemus in laetitia,
Demus Deo laudem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impiorum sprevit consilia,
Peccatorum cavit itinera,
Pestilentum despexit studia,
Beatorum fulget in gloria.

2. Ivo, Britonum gloria,
Floruit universis,
Bonis profuit gratia,
Fuit virga perversis.

3. Quem hic Christi gratia
Suscepit in bonis,
Exsultat in gloria
Coelestibus donis.

Responsoria.

1. Dulcis justitiae
bonis hic bona semina sparsit,
Hilaris fructus
patrum novalibus hausit,
V. In agro lacrimae,
sed horreo gaudia metit.

2. Hic sanctum corpus,
animam sanctam quoque
nactus,
Non carni vixit,
octennis pugna probavit,
V. Virgineum sertum
Ivonem constat adeptum.

3. Doctrinam moresque parat,
aevo juvenili
Construit ecclesias,
ornans aetate virili,
V. Laurea doctorum
claret merito decoratus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Optata tribuit
sanctus hic omnia, cum vult,
Ivo, qui studuit
corde rogare Deum.

2. Hic de promissis
nihil ambigit, omne dabit rex
Optatum et meritis
gratia major erit.

3. Mirabilis Christus
sancti mirabile nomen
Fecit, nam evidens
cunctis populis fuit omen.

Responsoria.

1. Dedit se Christo,
mundi quoque fastus abegit,
Aerumnas populi
scelerumque crimina flevit,
V. Carnis delicias
lascivas ipse fugavit.

2. Officialatus
praefectus in auctoritate
Servat justitiam
cum mansueta veritate,
V. Jus tribuit cunctis,
pius aegris, asper iniquis.

3. Actibus Ivonis,
Christe, fons luminis omnis,
Illuces populis
tenebrasque detrahis orbis,
V. Quos docet hic de te
verbis, meritis trahit ad te.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. A mundo mundus
   et justitias meditatus
   Monte Dei sancto
   scandere promeruit.
2. Divinam vitam
   semper es degere visus,
   Deinceps divinum
   consequeris praemium.
3. Ivonis sancti
   precibus, qui cuncta creasti,
   Regno coelesti
   nos fac in fine beari.

Responsoria.

1. Presbyter hic sanctus
   habitus est, sic quoque dictus,
   Binas ecclesias
   successive bene rexit,

V. Has verbo, exemplo
   subsidioque pavit.

2. Hospes terrenus
   coelestes consulis aulas,
   Civis aethereus
   tu pacis nuntia portas,

V. Tudgualum affatus
   paradisi pignora gustas.

3. Vixisti sancte,
   felix obis fruerisque
   Aeternis praemiis,
   fulgens praeclarus utrisque,

V. Semitis his rectis
   nos ducis et protrahis ad te.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gratia divina
   sanctum praedestinat istum,
   Quoque bonae indolis
   mirabilisque fuit.
2. Mater per spiritum
   praedixit hunc fore sanctum,
   Claraque futura
   produnt exordia pura.
3. Literis imbutus
   divis jurisque peritus,
   Artibus adeptus
   adiit omniscius.
4. Cuncta ecclesia tuque,
   Britannia, Francia tota,
   Ivonis festo
   laetae benedicite Deo
5. Ivo, pro meritis
   celsus te spiritus omnis
   Laudat, tuque tuum
   glorifica Dominum.

Ad Benedictus.

A. O spem miram, quam dedisti
   Mortis hora te flentibus,
   Dum valedicens dixisti,
   Te profuturum gentibus;
   Imple, pater, promisisti,
   Nos tuis juva precibus
   Et post te fac ope Christi
   Frui cum coeli civibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix Ivo,
   quem sapientia
   Dei patris
   optavit filium,
   Cujus sanctitatis
   praemittit gaudia,
   Matris ori
   dans vaticinium,
   Cujus infantiae
   ipsa exordia
   Virtutum jam
   sonat praeludium,
   Doctrinae et operum
   merita varia
   Praebent cunctis
   splendidum radium,
   Votorum precumque
   ipsa suffragia
   Cunctis cedunt
   in patrocinium

Et post vitae
praesentis studia
Nos conducant
ad coeli bravium.

Legenda ms. Trecorensis saec. 15. Cod. Parisien. 1148. — In 1. Vesp. **A** 2, 1 Christus Hs. — Prosula 1, 3 Eudonis memoriae Hs. — 2, 1 Theuma Hs.; vielleicht θαῦμα? — In 1. Noct. **A** 1, 1 Ivo impiorum Hs. — **R** 2, 6 Ivo nomen constat Hs. — **R** 3, 1 moresque pravas Hs. — **R** 3, 6 decoratum Hs.; dies scheint in der That der Reim zu fordern, der Sinn indes zu verbieten. — In Laud. **A** 4, 4 laeti benedic Domino Hs. — Die zugehörigen Hymnen sehe man Analecta XI, p. 166 sq.

70. De sancto Ketillo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Vir Domini prudens,
meritorum luce refulgens,
Praeclarus genere
morumque micans probitate,
Tempore praeclari
fertur regis Nicolai
In lucem sanctus
mundi prodiisse Ketillus.

2. Sic pius ac mundus,
ut ei quis in orbe secundus
Vix foret aut similis
in commissoque fidelis,
Mnam meruit Domino
multiplicare suo.

3. Vir pius ac justus
verbique lucerna, Ketillus
Munere multiplici
meruit Domino famulari.

4. Clarus honestate,
rutilans mira bonitate,
Mitis, mansuetus,
humilis, pius atque modestus
Induit algentes
satiavit et esurientes.

5. O felix Christi
confessor, qui meruisti
Sic de terrenis
largiri rebus egenis,
In permansura
quo mutares peritura
Et felix fruereris
eis per saecla futura.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum
vocis et carmine laudum
Plebs laetabunda,
clerus quoque voce jucunda,
Athletae Domini,
recolens sacra festa Ketilli.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In sanctis Dominum
trinum laudemus et unum,
Qui meritis rutilum
transvexit ad astra Ketillum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Edita nobilium
proles de stirpe parentum
Ut radiis sidus
micuit virtute Ketillus.

2. Simplex, innocuus,
patiens et corpore castus,
Igne calens superum
sprevit cum germine mundum

3. In donis crescens
   coelestibus hinc adolescens
   Cognitus est vere
   Domino populoque placere.

Responsoria.

1. Beatus vir Domini Ketillus,
   Ex illustri prosapia ortus,
   Cum adhuc esset in aetate tenera
   Coepit devotus Deo existere
   Utraque innocentia
   Et simplicitate
   Domino hominibusque placc.

V. *Dilexit enim Christi mandatum super aurum et topazion.*

2. Contemptis igitur parentum opibus
   Divitiis intendebat coelestibus,
   Ut relinquens peritura
   Possideret permansura
   Cum sanctis in gloria,

V. *Ubi nec aerugo nec tinea demoliuntur, et fures non effodiunt nec furantur.*

3. Sub jugo religionis
   Renitens virtutum donis
   Sacerdos est consecratus
   Et in grege sublimatus.

V. *Accipiens benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Forma gregi factus
   per mores atque per actus,
   Quos informavit,
   hos verbi semine pavit.

2. Christum suscipiens,
   Christum per membraque pascens
   A Christo pasci
   meruit dape spirituali.

3. Vir sanctus tribuit,
   Dominusque magis superaddit,
   Succrescunt dona,
   succrescit et aucta corona.

Responsoria.

1. Erat hic Dei dilectus,
   Humilitate praeditus,
   Castitate praeclarus,
   Largitate conspicuus,
   Blandus alloquio,
   Firmus consilio,
   Misericordia insignis
   Et caritate inaestimabilis.

V. *Dilexit enim ex tota virtute Deum et proximum sicut seipsum.*

2. Cum orasset vir beatus,
   per crucis signaculum
   Muniendo civitatem
   repressit incendium.

V. *Mirificavit Dominus sanctum suum et exaudivit clamantem ad eum.*

3. Tu vitae speculum,
   mundi praeclara lucerna,
   Nos exempla sequi
   tua fac per dona superna.

V. *Ut illuminemur per illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui populo Christi
   vivendi forma fuisti,
   Moribus ornari
   nos et te fac imitari.

2. Ad te clamantes
   famulos veniamque precantes,
   Alme pater, Domino
   Ketille reconciliato.

3. Qui dono Christi
   virtutibus emicuisti,
   Hanc defende tuam,
   pastor venerande, catervam.

Responsoria.

1. Servus Dei nudulum
   Obviam habens leprosum

Refovet et induit,
Sed indutus ab ipsius
Conspectu evanuit.

V. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

2. Viro sancto nocte quadam
Recitante homiliam
Per lumen interius,
Quod exstinctum prius erat,
Accendi in manu ejus
Visum est a fratribus.

V. *Mirabilis Deus in sanctis suis et gloriosus in operibus suis.*

3. Gemma clara confessorum,
Norma gregis, forma morum,
Pro salute devotorum
Funde preces famulorum.

V. *Non recedet memoria tua, et nomen tuum requiretur a generatione in generationem.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad laudem Domini
cantus promantur et hymni,
Qui tribuit sancto
virtutum dona Ketillo.

2. Qui variis renitens
donis signisque refulgens
Restituit visum
caecis, claudis quoque
gressum.

3. Surdos ac mutos,
a lepra commaculatos
Sanos reddebat
et opem multis tribuebat.

4. Ergo Deum caeli
benedicite corde fideli
Atque pium servum
facientem signa per illum.

5. Cujus erat vita
morum radio redimita,
Ejus nunc opera
lucent virtute referta.

Ad Benedictus.

A. Exsultans celebra
melodum laude canora
Sacra patris nostri
votivaque festa Ketilli,
Hinc quem sublatum
felicius et sociatum
Coetibus angelicis
veneratur turma fidelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magni magnifice
regis bone fideque serve,
Introgredi Christi
qui gaudia promeruisti,
Pro nobis ora,
quo perveniamus ad illa.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. B. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. C. — In 1. Vesp. **A** 2, 5 Nam meruit BC. — **A** 3, 1 ac prudens B.

C hat noch folgendes **R**:

Splendida gemma patrum, virtute nitens meritorum,
Suscipe servorum pia vota precesque tuorum
V. Et prece fer nobis veniam peccamine lapsis.

In 1. Noct. **R** 1, 1 Ortus ex illustri prosapia C. — In 3. Noct. **A** 1, 4 fac sociari C; fac fehlt A. — **R** 3, 1 clara sacerdotum B. — Ad Laud. **A** 1, 1 Ad laudes B. — Hymnen: Ad Vesp.: Alternatim sonent voces; ad Noct.: Festiva dies colitur; ad Laud: Refulget dies annua.

71. De sancto Ludovico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ludovicus, decus regnantium,
Transit felix ad coeli solium,
Cujus prece coetus fidelium
Summi regis intret in gaudium.

2. Gaude, regnum Franciae,
Cui dedit rex gloriae
Tam excellens donum,
Quod tu regem proprium
Habes in subsidium
In coelo patronum.

3. Te, dum ipse viveret
Ac coronam regeret,
Tamquam rex defendit;
Nunc particeps gloriae
Factus tuae veniae
Diligens intendit.

4. Plebs ergo Francigena
Non tamquam gens advena
Christo refer laudes,
In cujus palatio
Tui patrocinio
Quondam regis gaudes.

5. In terris regimine
Ac sub ejus nomine
Protecta fuisti,
Modo tibi gratiam
Impetret ac veniam
In conspectu Christi.

Ad Magnificat.

A. Magnifica gesta clarissima
Sancti Ludovici,
Divino cultui
Devotum hodie
Praesens collegium.
Cujus sancta conscendit anima
Sub fine felici
Regni perpetui
Cum sanctis patriae
Sublime solium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ludovici laeta solemnia
Laeta colat mater ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus qui solium,
Iter et consilium
Malorum vitavit,
Sanctus ab infantia
Ludovicus haec tria
Semper declinavit.

2. Regni sedem consecutus
Humilem se praebuit
Et in Sion constitutus
Cultu Dei claruit.

3. Susceptus ad meritum
Gloria dotatur,
Caput Deo subditum
Coelo coronatur.

Responsoria.

1. Rex regum regi filio
Regales parans nuptias
Post certamen in stadio
Coeli praebet delicias,
Glorioso comercio
V. Pro regno temporalium
Regnum habet coelestium
Ludovicus in praemium.

2. Felix terra, cujus rex sapiens,
Justus, clemens, modestus, patiens,
Cujus vultus est malos feriens,
Bonos alliciens.
V. Ludovicus sic terris praefuit,
Quod regnando coelos promeruit.

3. Hunc natura genuit
Regno fructuosum,
Voluntas exercuit
Mundo gratiosum,

Deus ipsum praebuit
Coelo gloriosum;
V. Normam vitae posuit
Hunc Deus et tribuit
Signis virtuosum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Deus regem humilem
Et praeclaris insignivit
Signis suum pugilem.
2. Deductus in justitia
Clemens subjectis praefuit,
Leges, poenas et praemia
Sapienter instituit.
3. Coronatur gloria
Sanctus et honore,
Quia mundi gaudia
Duxit in timore.

Responsoria.

1. Gloriosus apparuit
Non cultu praesidentis,
Sed cum incultus praefuit
More David ludentis,
Nec ex hoc sibi defuit
Auctoritas regentis;
V. Virgam virtutis habuit,
In qua malos compescuit
Sed sub norma clementis.
2. Coram rege conspicitur
Liber in praeda perditus,
Miraculose solvitur
Rex Sarracenis traditus
Et hostibus expositus;
V. Jonas undis eripitur,
Joseph detentus solvitur
Et David antro positus.
3. Cum esset in accubitu
Rex internae dulcedinis,
Arcens potenti spiritu
Pestes carnis et sanguinis,
Bonorum septus ambitu
Sceptro fulsit regiminis.
V. David regni sedit in solio
Salomonis utens judicio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Habitabat confidenter
Rex in monte Domini,
Quia vixit innocenter
Omni gratus homini.
2. Rex virtutis in virtute
Divina laetatur,
Quia sibi de salute
Spes firma donatur.
3. Innocens manus praebuit
Cordis quoque munditia
Ludovicus, qui meruit
Regni coelestis praemia.

Responsoria.

1. Fulget signis rex insignis,
Jam aegrotis ejus votis
Praestantur remedia,
V. Dati neci liberantur,
Claudi, caeci reparantur,
Fugantur daemonia.
2. Pro se suisque subjectis
Orans Deum et cum rectis
Rectum iter faciens
Domum Dei rex intravit
Et ad templum adoravit,
Ut praedixit moriens.
V. Felix cursus sic viventis,
Felix finis sic currentis
Deo semper uniens.
3. Regnum mundi supergressus
Et ejus ornatum,
Regnum coeli jam ingressus
Post hunc incolatum,
V. Peregre Jacob egressus
Patris ad mandatum
Deum vidit sic professus
Vitae coelibatum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ludovicus hodie
Decorem indutus
Est coelestis patriae
Regnum consecutus.

2. Omnis terra jubilet
Deo laeta serviens,
Laudibus invigilet
Novum festum faciens.

3. Ad te, Deus meus,
Semper vigilavit
Sicque nunquam reus
Coelos penetravit.

4. Benedixit creatorem
In suis operibus
Ludovicus gerens morem
Datum coeli civibus.

5. Ludovicus Dominum
De coelis laudavit,
Quando vitae terminum
Coelo dedicavit.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui nobis erexit
Cornu, quod paulominus
A David dilexit,
Hic virtute geminus
Rex in pace rexit,
Quem regendi terminus
Ad coelum direxit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat miraculis
Ludovicum divinitas,
In quo cunctorum oculis
David fulsit humilitas,
Salomonis serenitas
Et Ezechiae veritas,
Quem gratiarum titulis
Solemnem fecit populis
Josiae par benignitas.

Per Octavam.

Antiphonae.

1. Ludovice, rex Franscorum,
In felice beatorum
Regno gaudens gloria,
De hac valle miserorum
Recto calle nos justorum
Duc ad coeli gaudia.

2. Magnificat Dominum
Et exsultet spiritus
Pauperum et divitum
In Deo salutari,
Qui generi hominum
Hunc regem divinitus
Ludovicum inclitum
Dedit pro exemplari.

3. Jam sanctus post laborem
Recepturus praemium
Regnaturum majorem
Exhortatur filium
Ad matris honorem,
De fide et moribus
Testamentum condidit
Et bonis operibus
Complementum addidit
Divinum amorem.

4. O martyr desiderio,
Quam pie mentis studio
Crucifixo compateris,
Cujus crucem in humeris
Tuis adfixisti;
Passio tibi deficit,
Sed martyrem te efficit
Fervor et zelus Christi.

5. Tu caecorum oculus,
Debilium baculus,
Oppressorum clipeus,
Perversorum malleus,
Nutritor minorum;
Miserere populi
Te laudare seduli,
Nobilis rex Franciae,
Ludovice, gloriae
Consors beatorum.

6. O decus ecclesiae,
Pie rex Francorum,
Exemplar justitiae,
Lex et norma morum,
Post finem angustiae
Mortis et laborum
Praesta dono gratiae
Regnum beatorum.

7. Magnum magnatum speculum,
Ludovice rex Franciae,
Cunctis relinquens titulum
Sanctitatis eximiae,
Prece juvans in saeculum
Commenda regi gloriae
Devotum tibi populum.

8. O patriarcha procerum,
Piorum sator munerum,
Curam gerendo pauperum
Ludovice, rex beate,
Efficaces sint oblatae
Tibi preces, impetratae
Pacis nobis indilate
Fructum repetentes a te.

9. Ora, pater Ludovice,
Hac pro gente peccatrice
Sui reatus conscia,
Ut pax Dei genitrice
Tecum nobis adjutrice
Detur et indulgentia
A divina clementia,
Quae relicta cicatrice
Carnis palma cum victrice
Coronavit te gloria.

Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisien. 1052. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 746. B. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 746 a. C. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 1026. D. — Brev. ms. Bituricense saec. 14. Cod. Parisien. 745. E. — Brev. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisien. 1028 add. saec. 14. F. — Brev. ms. Philippi Boni, Flandriae Comitis saec. 15. Cod. Bruxellen. 9026. G. — Brev. ms. Romanum saec. 14. Cod. Vatican. Urbin. 603. H. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 208. I. — Brev. Fontebraldense imp. Parisiis 1514. K. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. L. — Brev. Liciense imp. Venetiis 1526. M. — Brev. Aversanum imp. s. l. 1499 N. —
In 1. Noct. **A** 1, 2 Iter fehlt E. — **A** 2, 4 Cultus E. — In 3. Noct. **A** 3, 3 qui invenit E. — **A** 3, 4 Regni fehlt E. — **R** 2, 9 semper vivens E. — In Laud. **A** 3, 3 Sic quia nunquam E. — Die Antiphonen per Octavam nur ADE. — **A** 2, 6 Hunc fehlt E. — **A** 3, 1 sanctis E. — **A** 4, 4 Cujus fehlt. — **A** 8, 6 Tibi fehlt E. — **A** 8, 8 repetes a te E. — **A** 9, 1 fehlt D. — Nur eine Nocturn hat N; die Zusätze von K, das monastische Form hat, sind belanglos, da das Officium für die Pariser Kirche verfafst ist. Die zugehörigen Hymnen Analecta XI, p. 177. sq.

72. De sancto Ludovico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Lauda, coelestis regio,
Regem saeculorum,
Tuo dignus collegio
Adest rex Francorum.

2. Collaudent ecclesiae
Humilem, pudicum,
Pium regem Franciae,
Sanctum Ludovicum.

3. Hostem pestis haereticae
Progenitorem habuit,
Qui fidei catholicae
Fortis athleta claruit.

4. Mater illustris genere
Mira pollens peritia
Docuit eum colere
Deum a pueritia.

Ad Magnificat.

A. Magnifica gesta clarissima
Sancti Ludovici,
Divino cultui
Devotum hodie
Praesens collegium,

Cujus sancta conscendit anima
Sub fine felici
Regni perpetui
Cum sanctis patriae
Sublime solium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt cum gloria
Christianae legis
Sacra solemnia
Ludovici regis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex strenuo milite
Patre procreatus
Sensu matris inclitae
Crevit educatus.
2. Oritur in gaudium
Sacrae puer indolis,
Felix puerperium,
Felix ortus sobolis.
3. Ab amore saeculi
Juvenis abstractus
Ea, quae sunt parvuli,
Vacuat vir factus.
4. Veritas et misericordia
Ceperunt habitaculum
Cordis, pax et justitia
Convenerunt ad osculum.
5. Evitans mundi strepitum,
Sedens domatis angulo
Reficiebat spiritum
Sacrae doctrinae pabulo.
6. Creatoris injuriam
Graviter ferebat,
Blasphemorum perfidiam
Dure puniebat.

Responsoria.

1. Ludovicus, rex inclitus,
Regum Francorum gloria,
A primaevo sollicitus
Christi sequi vestigia,
Promeruit divinitus
Aeterni regni praemia.
V. Rex sedens in solio
Decernens justitiam,
Contuito praemio
Dissipans malitiam.
2. Gratam vitae juventutem
Sapienter incipiens
Christi jugo supposuit,
De virtute in virtutem
Quotidie proficiens
Vitae coronam meruit.
V. Si legis attentus,
In Josia figuratur,
Cujus sic juventus
Regi regum famulatur.
3. In fundandis ecclesiis,
In relevatione pauperum,
Quam devotus exstiterit,
Certis patens indiciis
Praesens nobis adspectus operum
Indubitanter aperit,
V. Cum manus justitia
Devoto mentis studio
Secum ab infantia
Crevit miseratio.
4. Verborum moderamine
Mire circumspectus,
Grata trahens dulcedine
Hominum affectus,
Veritatis examine
Noscitur perfectus.
V. Concepto sermone sobrius
Juramentum cavit,
Est, est, non, non dicens, amplius
Malum judicavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Transit mare rex insignis
Firma fide fultus,
Multos graves ab indignis
Patiens insultus.

2. Occulto judicio
Sub crucis signaculo
Captus infortunio
Solvitur miraculo.

3. Hinc reversus ad patriam
Ecclesiam dilexit,
Veram exhibens latriam
Semper bonos evexit.

4. Deductus in justitia
Clemens subjectis praefuit,
Leges, poenas et praemia
Sapienter instituit.

5. Coronatus gloria
Sanctus et honore,
Quia mundi gaudia
Duxit in timore.

6. In omni discrimine
Reputabat gloriam
Hic pro Christi nomine
Pati contumeliam.

Responsoria.

1. Pro catholicae fidei
Promotione sedula
Mare transiturus
Subit ad honorem Dei
Terrae, maris pericula
De Deo securus.
V. Ut angelus Domini
Cum David immobilis,
Non cedit discrimini
Vir in fide stabilis.

2. Prorsus jactans in Dominum
Cogitatus sui curam,
Mundanorum discriminum
Nullam metuit pressuram,
Sperans a patre luminum
Opem semper adfuturam.
V. Confidens ut leo,
Justus, imperterritus,
Constanter a Deo
Praestolatur coelitus.

3. Coram rege conspicitur
Liber in praeda perditus,
Miraculose solvitur
Rex Saracensis traditus
Et hostibus expositus;
V. Jonas undis eripitur,
Joseph detentus solvitur
Et David antro positus.

4. Cum esset in accubitu
Rex internae dulcedinis,
Arcens potenti spiritu
Pestes carnis et sanguinis,
Bonorum septus ambitu
Sceptro fulsit regiminis.
V. David regis sedet in solio
Salomonis utens judicio.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Beatus est iste dives
Inventus sine macula,
De quo paradisi cives
Deum laudant in saecula.

Responsoria.

1. Corpus ejus confectum macie,
Subjugatum suo spiritui,
Monstravere crebra jejunia,
Disciplinae, fletus, vigiliae,
Pallor, livor vultus emortui,
Cilicium, lecti duritia,
V. Statum poenalem et asperum
Rex pius elegit,
Se velut Manassem alterum
Penitus subegit.

2. De quinque catenis ferreis
Occulte suscepta verbera
Mann confessoris
Benigne ferebat in eis
Devote recolens vulnera
Nostri redemptoris.
V. Exutus a poenis
Carcere solvitur,
Liber a catenis
Regnum ingreditur.

3. Imminente mortis articulo
Diem vitae clausurus ultimum,
Morbo pressus decumbens lectulo
Testamentum condidit optimum,
Memoriae dignum spectaculo;
V. More Jacob liberis
Thesaurum doctrinae
Profuturum posteris
Legavit in fine.

4. Regnum mundi supergressus
Et ejus ornatum,
Regnum coeli jam ingressus
Sibi praeparatum,
Nostros ad se regit gressus
Post hunc incolatum;
V. Peregre Jacob egressus
Patris ad mandatum,
Deum vidit, sic professus
Vitae coelibatum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Quo transiit ex mundo
Flos dignitatis regiae
Cum fructu jucundo.

2. Angelorum choris
Defertur in jubilo
De valle moeroris
Sol egressus nubilo.

3. Luce vigil ad Dominum
Prudens et fidelis
Servus cum patre luminum
Jungitur in caelis.

4. Benedicant opera
Cuncta creatorem,
Qui dat super sidera
Regnum post laborem.

5. Laudes Deo concinit
Egressus exsilium,
Pressurae non meminit
Translatus in gaudium.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui nobis erexit
Cornu, quod paulominus
A David dilexit;
Hic virtute geminus
Rex in pace rexit,
Quem regendi terminus
Ad coelos direxit.

Brev. ms. S. Germani a Pratis saec. 14. Cod. Parisien. 13239. A. — Brev. ms. Sandionysianum saec. 14/15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 192. B. — Brev. Sandionysianum imp. Parisiis 1550. C. — Antiph. ms. Hilariense V. anni 1632. D.

In 1. Vesp. nur 1 Antiph. super Ps. BC; mit Ant. ad Magnif. beginnt D. Letztere ist dieselbe wie im vorhergehenden Officium, wie denn mehrere Teile desselben in dieses übergegangen. — In 1. Noct. **A** 5, 2 dogmatis A. — In jeder Nokturn nur eine Antiphon für alle Psalmen BC; ebenso in den Laudes. — In Laud. **A** 5, 1 Laudum A. — In 2. Vesp. hat D fünf Antiphonen, von denen die drei ersten der ersten Nokturn, die fünfte den Laudes entlehnt sind; die vierte kommt nur in D vor:

Audiens utiliter Summum praeceptorem
Servavit humiliter Parentum honorem.

A hat nur eine Ant. super Ps. Magnum magnatum speculum, vgl. das vorige Officium. Ad Magn. Ant.: Magnificat miraculis, siehe ebenda, ABC, Magnum magnatum speculum D. — Die zugehörigen Hymnen Analecta XI, p. 178, sq.

73. De sancto Ludovico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Francorum rex magnificus,
Ludovicus, vir coelicus,
Sumopere studuit,
Soli Deo placere,
A quo tantam meruit
Gratiam obtinere.

2. Crucis Christi signaculum
Contra gentilem populum
Suscepit primum junior
Et postmodum provectior
Ad meritorum cumulum.

3. Hic regnum, matrem, liberos,
Infantes adhuc teneros
Reliquit ac sororem,
Sed post assumptis filiis
Haerens Christi consiliis
Dimisit et uxorem.

4. Sanctus hic sprevit omnia,
Quaecunque transitoria,
Propter regnum coelorum,
Tam carnales delicias,
Quam fallaces divitias
Cum fastu superborum.

5. Hic miraculis rutilat,
Qui in coelis jam jubilat
Exsultans cum beatis;
O Ludovice, rex pie,
Memento nostri hodie,
Qui sumus in peccatis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Et exsultat spiritus
Pauperum et divitum
In Deo salutari,
Qui generi hominum
Hunc regem divinitus,
Ludovicum inclitum,
Dedit pro exemplari.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudamus Christum Dominum,
Qui regem Ludovicum
Praestat saluti hominum
Solamen salvificum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Puer hic defuncto patre
Nutritus est decenter
A religiosa matre,
Cui paruit libenter.

2. Languoris vehementia
A Deo visitatus
Est in convalescentia
Cruce Christi signatus.

3. Tres fratres suos comites
Secum cruce signavit
Et regni sui divites
Ad idem animavit.

Responsoria.

1. Francorum jam exercitu
Sub rege Ludovico
Praeparato pro transitu
In conductu nautico,
Legato ab ecclesia
Dato cum indulgentia,
V. In passagio signato
Deo primum invocato
Transivit princeps maria.

2. In Dei fervens opere,
Statim ut transfretavit,
Infideles lacessere
Gravi bello temptavit
Et Damiatam propere
Vi captam occupavit;
V. Quam deserente turpiter
Populo degenere
Ipse potenter intravit.

3. Dum pater clementissimus
Suum verberat populum,
Vir iste devotissimus
Ad Deum levat oculum,
Ut erat ferventissimus
Obsequium dans sedulum;
V. Hic Tobias notissimus,
Qui mortuos humillimus
Portavit ad tumulum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lassato jam exercitu
Diuturno languore
Infideles cum fremitu
Accurrunt et furore.
2. Populi princeps furiae
Non cedit effrenati
Monstrans, se voluntarie
Pro Christo poenas pati.
3. Ductus ad locum carceris
Mire fert ad tentorium
Sollicito pro vesperis
Paganus breviarium.

Responsorium.

1. Laus tibi per saecula
Patri, nato, paraclito,
Quod rex sine macula
Per te liberatur,
Dum in Soldani subito
Illa gens incredula
Tuo beneplacito
Morte effrenatur.
V. En Dei virtus sedula,
Pro suis quae tam cito
Pellendo pericula
Mira operatur.
2. Bissenis cum baronibus
Firmus rex in fide vera
De pactis juraturus
Saracenis furentibus
Respondet voce libera:
Nunquam sum id facturus.
V. Si non stas his sermonibus,
Ait illi gens effera,
Christum es negaturus.
3. Regressus rex ad propria
Non destitit insistere
Operi virtuoso,
Se mactat pro hostia,
Egenos levat munere,
Ministrat leproso,
V. Visitat monasteria,
Domos Dei ex opere
Construxit sumptuoso.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cor verbis sacrae scripturae
Sollicitus apponit
Omnique regali jure
Verbum Dei proponit.
2. Bonis semper operibus
Sanctus rex intendebat,
Simile facientibus
Devotus adhaerebat.
3. Ut regis sancti merita
Remunerantur natis,
His pia tradit monita,
Semitas aequitatis.

Responsoria.

1. Toto corde cum rege Josia
Quaesivit Deum ab infantia,
David alter misericordia
Et Salomon est sapientia,
V. Joseph est providentia
Et Gedeon constantia.
2. De largitatis horreo
Rex misericors tribuit
Plena manu pauperibus,
Quos visitando circuit,
Cibos ori intromittit
Et pedes supplex abluit.
V. O quantus et qualis fuit,
Qui tam pium cor habuit,
Quod egenis compatiens
Servitium hoc praebuit.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Magnus rex gentis Francorum,
Divinae legis zelator
Et promotor bonorum,
Religionis amator,
Persecutor vitiorum
Fuit et exstirpator.

2. Justus in judiciis,
Prudens in consiliis
Bonis semper favit,
Stetit pro ecclesia,
Cui ne injuria
Inferretur, cavit.

3. In vestitu humillimo
Atque victu parcissimo
Fit cunctis in stuporem,
Virtutes factis praedicat
Et operibus indicat
Se perfectum doctorem.

4. Patris natum unicum
Benedicant Dominum
Omnes creaturae,
Qui tot per Ludovicum
Signis auget hominum
Vitae spem futurae.

5. Laudet jam felix Francia,
Tota laudet ecclesia
Opera salvatoris,
Et pro tot beneficiis,
Quot potest, surgat gratiis
Ad laudem largitoris.

Ad Benedictus.

A. Jam sanctus post laborem
Recepturus praemium
Regnaturum majorem
Exhortatur filium
Ad matris honorem,
De fide et moribus
Testamentum condidit
Et bonis operibus
Complementum addidit
Divinum amorem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyr desiderio,
Quam piae mentis studio
Crucifixo compateris,
Cujus crucem in humeris
Tuis bis affixisti,
Passio tibi deficit,
Sed martyrem te efficit
Fervor et zelus Christi.

Brev. ms. Mariae de Valentia, comitissae de Pembroke saec. 14. Cod. Cantabrigen. Dd. V 5. A. — Brev. ms. Cardinalis Borbonii saec. 16. Cod. Parisien. 1288. B. — Brev. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicen. 12. C. — Brev. ms. Franciscan.? saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Turonen. 143. E. — Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univers. Patav. 734. F. — Von diesen Quellen ist leider E arg zerschnitten und völlig verkehrt eingebunden.

In 1. Vesp. **A** 3, 1 liberos fehlt B. — In 1. Noct. **R** 2, 8 und 9 scheinen nicht in Ordnung, obschon ABCDEF übereinstimmend lesen wie vor. — Ad Laudes **A** 1, 3 Ac promotor C. — **A** 1, 5 sq. Fuit et exstirpator vitiorum B; Vitiorum fuit exstirpator A; Vitiorum fuit et exstirpator E. — Die zugehörigen Hymnen siehe Analecta XI, p. 179 sq.

74. De sancto Ludovico.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Nunc laudare Dominum
Debet plebs fidelis,
Exstirpator criminum
Regnat rex in caelis.

Ad Magnificat.

A. Rex, per quam ecclesia
Fuit sublimata,
Per quem tota Francia
Nunc est honorata,

Cui semper justitia
Fuit comitata,
Nobis Christi gratia
Da regna beata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ludovici nova solemnia
Laeta colat mater ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus voluntatem
In lege Dei fixit,
Qui cordis puritatem
Servavit, cum vixit.

2. A Deo constitutus
Rex custos innocentiae
Cum eo consecutus
Est solium gloriae.

3. Tu sanctum, Domine,
Regem suscepisti,
Qui sine crimine
Cultor fuit Christi.

Responsoria.

1. Rex regum regis filio
Regales parans nuptias
Post certamen in stadio
Coeli praebet delicias
Glorioso commercio;
V. Pro regno temporalium
Habet regnum coelestium
Ludovicus in praemium.

2. Gloriosus apparuit
In cultu praesidentis,
Sed cum in Christo praefuit
More David ludentis,
Nec ex hoc sibi defuit
Auctoritas regentis.
V. Virgam virtutis habuit,
In qua malos compescuit
Sed sub norma clementis.

3. Felix regnum, cujus rex providus,
Pacificus, pius et pudicus,
In adversis semper intrepidus,
Talis fuit sanctus Ludovicus.
V. Rex erexit terram et patriam,
Qui diligit sequi justitiam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirificavit Dominus
Sanctum regem Francorum,
Cujus nunc est terminus
In regno beatorum.

2. In misericordiae
Multitudine
Deum adorabat,
Quia conscientiae
Rectitudine
Coelis inhiabat.

3. Gloria et honore
Regnat rex coronatus,
Qui semper in amore
Dei fuit firmatus.

Responsoria.

1. Paupertatis larga subsidia,
Veritatis aequa judicia,
Honestatis certa indicia,
Sanctitatis sunt testimonia
Pii regis.
V. O quieta gregis protectio,
O discreta recogitatio
Summae legis.

2. Fulget signis rex insignis,
Nam aegrotis ejus votis
Praestantur remedia,
V. Dati neci liberantur,
Claudi, caeci reparantur,
Fugantur daemonia.

3. Regnum mundi supergressus
Et ejus ornatum,
Regnum coeli jam ingressus
Sibi praeparatum,
Nostros regat ad se gressus
Post hunc incolatum.

V. Peregre Jacob egressus
Patris ad mandatum,
Deum vidit sic professus
Vitae coelibatum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Habitabit in tabernaculo
Domini gloriose,
Quia vixit in isto saeculo
Rex noster virtuose.

2. In virtute Domini
Rex sanctus laetatur,
Nunc sanctorum agmini
Junctus gloriatur.

3. Rex innocens manibus
Atque corde mundo
Regnat cum coelestibus
In regno jucundo.

Responsoria.

1. Cum esset in accubitu
Rex internae dulcedinis,
Arcens potenti spiritu
Pestes carnis et sanguinis,
Bonorum septus ambitu
Sceptro fulsit regiminis.
V. David regis sedit in solio,
Salomonis utens judicio.

2. Pro se suisque subjectis
Orans Deum et cum rectis
Rectum iter faciens,
Domum Dei rex intravit
Et ad templum adoravit,
Ut praedixit moriens.
V. Felix cursus sic viventis,
Felix finis sic currentis
Deo semper uniens.

3. O sparsor divitiarum
Erogando pauperibus,
O spretor deliciarum
Insistendo laboribus,
Defensor ecclesiarum
Tuis tuendo viribus,
Duc nos ad regnum praeclarum
Piis fovendo precibus.

V. Qui tot aegris praestitisti
Curationum gratiam,
Nobis confer dono Christi
Transgressionum veniam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ludovicus hodie
Decorem indutus
Est coelestis patriae
Regnum consecutus.

2. Omnis terra jubilet
Deo laeta serviens
Laudibusque vigilet
Novum festum faciens.

3. Ad te, Deus meus,
Semper vigilavit
Sicque nunquam reus
Coelos penetravit.

4. Benedixit creatorem
In suis operibus
Ludovicus gerens morem
Datum coeli civibus.

5. Ludovicus Dominum
De coelis laudavit,
Quando vitae terminum
Coelo dedicavit.

Ad Benedictus.

A. Ludovicus, decus regnantium,
Transit felix ad coeli solium,
Cujus prece coetus fidelium
Summi regis intret in gaudium.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O decus ecclesiae,
Pie rex Francorum,
Exemplar justitiae,
Lex et norma morum.
Ludovice requie
Fruens beatorum
Tuae dono gratiae
Da regna coelorum.

Ad Magnificat.

A. Ludovice, rex Francorum,
In felici beatorum
Regno gaudens gloria,
De hac valle miserorum
Recto calle nos justorum
Duc ad coeli gaudia.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Mazarin. 374 (247). A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Londinen. Add. 3072. B. — In 1. Noct. R 3, 4 Rex exigit A. — In 3. Noct. R 3, 8 Piis vivendo A. — Die zugehörigen Hymnen vergleiche Analecta XI, Nr. 317—319.

75. In Translatione s. Ludovici.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exsultemus omnes et singuli
Diem festum agentes gratiose,
Ludovicus, cujus nos servuli,
Translatus est hodie gloriose.

2. Gloriose praefuit
Regno saeculari,
Virtuose studuit
Christo famulari,
Pauperibus profuit
Zelo singulari.

3. Singulari pollebat
Gratia pietatis
Nec unquam deserebat
Limam aequitatis
Sicque regnum regebat
Virga veritatis.

4. Veritatis doctores
Ferventer dilexit
Et ad bonos mores
Se totum erexit,
Suos successores
Ad Deum direxit.

5. Direxit reges Franciae
Sanctus Ludovicus,
Nitore conscientiae
Factus Dei amicus,
Ob hoc regnum gloriae
Nunc est sibi vicus.

Ad Magnificat.

A. Dei cultor et amice,
Judex et ultor malorum,
Rex Francorum,
Ludovice,
Fontem ora pietatis,
Ut peccatis
Nostris det veniam
Nobisque gratiam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, per quem reges regnant,
Venite adoremus.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Cujus corpore
Dionysius
Abunde ditatur,
Ejus capite
Nunc Parisius
Jucunde dotatur.

2. Dotatur in coelestibus
Stola jucunditatis
Ludovicus, qui regibus
Est norma sanctitatis.

3. Sanctitatis culmine
Divinitus erectus
Angelorum agmine
Jam ad coelos est vectus.

Responsoria.

1. Felix regnum, cujus rex providus,
Pacificus, pius et pudicus,
In adversis semper intrepidus;
Talis fuit sanctus Ludovicus.
V. Rex erexit terram et patriam,
Qui dilexit sequi justitiam.

2. Paupertatis larga subsidia,
Veritatis aequa judicia,
Honestatis certa indicia,
Sanctitatis sunt testimonia.
V. O quieta gregis protectio,
O discreta recogitatio.

3. O sparsor divitiarum
Erogando pauperibus,
O spretor deliciarum
Insudando laboribus,
O tutor ecclesiarum
Eas juvando viribus,
Duc nos ad regnum praeclarum
Tuis devotis precibus.
V. Qui tot aegris praestitisti
Curationum gratiam,
Nobis confer dono Christi
Transgressionum veniam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus regnavit
Ludovicus in mundo,
Qui peccatum cavit
Et vixit corde mundo.

2. Jubilate creatori,
Tota gens Christiana,
Sed voce jucundiori
Psalle, plebs Gallicana.

3. Deus, Deus salutis
Nostro sancto regi
Viam dedit virtutis
Obedire legi.

4. Benedicite, populi,
Dominum angelorum,
Collaudate seduli
Sanctum regem Francorum.

5. Laudate Dominum
Et patrem luminum
In translatione,
Cujus scimus vitam
Ductam et finitam
Cum devotione.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus virtutum
Digne debet modo benedici
Pro meritis sancti Ludovici,
Quem novimus coelos assecutum;
Cujus translatio
Facta cum gaudio
Reddat ab hostibus
Et malis omnibus
Regnum tutum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O decus ecclesiae,
Pie rex Francorum,
Exemplar justitiae,
Lex et norma morum,
Post finem angustiae,
Mortis et laborum
Praesta dono gratiae
Regnum beatorum.

Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisien. 1024. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisien. 1052. B. — Brev. ms. Parisiense saec. 14/15. Cod. Parisien. (Arsen.) 660. C. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisien. 746 a. D. — Brev. ms. Romanum saec. 14. Cod. Vatican. Urbin 603. E. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 208 F. 7

In 1. Vesp. A 1, 1 Studeamus omnes D. — In Laud. A 5, 6 fehlt D. — Die zugehörigen Hymnen siehe Analecta XI, p. 180 sq.

76. In Translatione s. Mariae Magdalenae.

In 1. Vesperis.

R. Benedicta maris stella,
Magdalena, Dei cella,
Columbina specie,
Naufragantum tu fiscella,
Pia prece fuga bella
Veteris malitiae,
V. Rosa rubens et novella,
Favus dulcis fundens mella
Virtutis et gratiae.

Ad Magnificat.

A. Exsultet ecclesia
Tam praeclaro sidere
Virtutum ornata,
Beata Provincia,
Magdalenae munere
Felici dotata,
Vere digne gloriatur,
Quae thesauro super auro
Nobili ditatur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Decantemus regi Christo
Magdalenae praemia,
Quae ejus praesentia
Virtutumque gratia
Gloriatur die isto.

In Nocturno.

Antiphonae.

1. Stella maris
fulget in aethere,
Magdalena
surgit de pulvere
Gaudet orbis
de tanto munere.

2. Karolus, Provinciae
princeps et corona,
Alumnus clementiae,
Flos patriae
Meruit haec dona.

3. Gemma nitet speciosa,
Virtus exit radiosa
Mariae de tumulo,
Salus datur copiosa,
Magdalenae velut rosa
Corpus fragrat saeculo.

Responsoria.

1. Fulget dies haec serena
Novae lucis radio,
In qua felix Magdalena,
Lucerna sub modio,
Solemni cum gaudio
Exaltatur ex arena,
V. Ut aeterni fontis vena
Nostra reddit corda plena
Gratiae profluvio.

2. Arca legis deaurata
Fertur in oraculum,
Floret cedrus exaltata,
Dat grana manipulum,
Sole fit amicta
Mulier signaculum
Mundo benedicta,
V. Magdalenae titulum
Vox non ficta
Clamat, ornat saeculum
Imago relicta.

3. Sacrum corpus balsamum
Transcendit odore,
Sepulturae thalamum
Virtutum splendore,
Lingua signat calamum
Spiritus virore;
V. Deitatis organum
Candet super Libanum
Fronde, fructu, flore.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Claro coeli matutino,
Mundi cursu vespertino
Nova lux apparuit,

Dum in sancto Maximino
Corpus fulgore divino
Magdalenae claruit.

2. Tu arca testamenti
Cum jubilo deducta,
Aurora sacramenti,
Qua justo cedit lucta,
Gratia poenitenti.

3. Tu botrus primitivus
Terras designans optimas,
Tu parvi fontis rivus
Crescens in aquas plurimas.

4. Tu ad lucem veniens
Clausa margarita,
Salutarem pariens
Fructum balsamita,
Ex te virtus exiens
Probat, quod sit ita.

5. Gloriatur in te Deus
Affluens deliciis,
Et laetatur per te reus
Fultus patrociniis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex gloriae
Et omnis coeli concio,
Benedictum laetitiae
Festum dignum obsequio,
Benedicta devotio
Benedictae Provinciae,
Quam benedixit hodie
Magdalenae translatio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quam felix, quam delectabilis
Dies ista, quam venerabilis,
Magdalena, flos novi germinis,
Revelatur et gustatur
Multitudo dulcedinis.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisien. 1061. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1526. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C. — In Noct. R 1, 7 Ut fehlt C. — R 1, 8 corda fehlt A. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Analecta XII, p. 164.

77. De sancto Mauronto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beate Mauronte,
ad nostras modulationes
tu respice
et hanc plebem
te flagitantem
tuere,
quatenus tuis subsidiis
queat fore tripudians.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus Christo regi
In beati confessoris
Solemnitate Mauronti.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir pius atque sacer
Maurontus jure refulget,
Dum fidei pretio
dederat, quod habebat,
Amato.

2. Hos fremitus et opes
meditans Maurontus inanes,
Disrumpens vinclum
regem processit ad unum.

3. Gloria cum superis
Maurontum exaltat in astris,
Qui sua dando pium
pie jam suscepit Amatum.

4. Fructus centuplices
recipis, Mauronte, perennes
Ob pietatis opus,
a te quod sumpsit Amatus.

5. Res operando sacras
te mansit sancta voluntas,
Per fidei meritum,
Mauronte, amplexus Iesum.

6. Praeclaro sonitu
nomen mirabile Iesu,
Quod coluit terris,
modulat Maurontus in astris.

Responsoria.

1. Altis ortum parentibus
Maurontum sacris fontibus
Dedicavit Richarius
Sacris sacrandum actibus,
V. His imbuens primordiis
Ad laudem summi numinis
Hunc admotum Christicolis.

2. Solemnibus tripudiis
Mauronti festum nobilis
Colentes, Christe, quaesumus,
Ut nos mundes a sordibus
V. Hujus adjuti meritis,
Quem sociasti superis,
Diem cujus obsequiis.

3. Actibus eximiis
pollens Maurontus herilis
Per pietatis opem
coeli pervenit ad arcem,
V. Vir probus iste nimis,
bene complens dogmata legis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Illecebras carnis
Maurontus amore tonantis
Exsuperans superos
Coeli comitatur alumnos.

2. Corde, fide, manibus
laudabilis atque benignus
Complacuit Domino
Maurontus dives in ipso.

3. O quam candidulus
renitet Maurontus in astris,
Hos capiens fructus,
quos coeli parturit hortus.

4. Mirificans in aeternum
sanctum suum Maurontum
Glorificatio Christi
extollatur a nobis.

5. Sacer levita Maurontus
pro nostris erratibus
Coram Deo salvatore
exsurgat causidicus.

6. Ipsum se sacro
dederat Maurontus Amato,
Praedia praescripta
tradens, quae sunt sua, carta.

Responsoria.

1. In laicali schemate
Sub quodam degens tempore
Maurontus missa hac specie
Se contulit ecclesiae,
In qua susceptis gradibus
Magnis crevit operibus;
V. Quaerens supernam speciem
Per clericatus ordinem
Virtutum subit apicem.

2. Maurontus hic deicola,
Amatum pulsum patria
Postquam pie susceperit,
Quidquid habebat, contulit.
V. O quam felix consortium,
Per caritatis vinculum
Magistrum notum coelitus
Carus Deo discipulus.

3. Regna poli sitiens
Maurontus pectore prudens
Dona caduca dedit,
sibi quis mansura paravit
V. Ad patriam vitae
tendens sanctissimus iste.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Exaudiat preces nostras
summa Dei pietas
Per sancti levitae clara
Mauronti oracula.

Responsoria.

1. Vir iste sacris moribus
Atque fulgens operibus
Christo processit obviam
Coelestem intrans januam.
V. In mundi nocte pevigil
Maurontus solers exstitit,
Qui clarus face lampadis.

2. Accensus igne fidei,
Divinos jussus prosequi
Exoptans, hic coelicola
Spernebat orbis prospera,
V. Se victimam altissimo
Fore ratam obsequio.

3. Mirabilis rex coelitum,
Sanctorum laus et praemium,
Hujus patroni precibus,
Cujus nunc festum colimus,
Egentes tuo munere
Digneris nos respicere.
V. His praesentes solemnibus
Devotionis cultibus
Nos, Jesu bone, quaesumus.

In Laudes.

Antiphonae.

1. Indutus speciem
vitae morumque decorem
Maurontus habitum
Christo suscepit amandum.

2. Securus mundi
Maurontus ad atria coeli
Tendens ecclesiae
cultor devovit inesse.

3. Actibus et meritis
vitae invigilando periclis
Maurontus Dominum
sitiens pervenit ad ipsum.

4. Rex benedicte, tuis
Maurontum nactus in astris,
Nos rege, sanctifica,
benedic per saecula, salva.

5. Gloria Mauronto,
superum laus, victima mundo,
Quas tibi gratifices,
nostras tu suscipe laudes.

Ad Benedictus.

A. Ad benedicta pie
nos ducens gaudia vitae,
O Mauronte, preces
humiles tu respice semper,
Quas tibi magnificis
plebs fundit consona verbis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mauronte alme,
fidelibus tuis succurre,
ne nos subripiat
callidus hostis
insidianter,
pater, juva festinanter,
ne moreris.

Brev. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 134. A. — Brev. ms. Marchianense saec. 13. Cod. Duacen. 139. B. — Antiph. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 117. C. — Antiph. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacen. 118. D.

In 1. Vesp. Ad Magn. **A**, 3 prospice A. — In 1. Noct. **R** 1, 4 Sacer ABC. — **R** 1, 7 amotum ABC. — **R** 4 in allen drei Nokt. prosaisch. — In 2. Noct. **A** 1, 4 commutatur BC. — **R** 1, 2 Degens sub quodam C. — In 3. Noct. **R** 2, 6 rotam B. — Betreffs der allenfallsigen Autorschaft Hucbalds vergleiche das zum Officium der hl. Eusebia Bemerkte.

78. In Decollatione s. Johannis B.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Herodis adulterium
Natalis ejus gaudia
Foedavit convivantium
Et saltatricis gratia,
Dum propter matris odium
Caput Johannis impia
In sui ludi praemium
Tulit in disco filia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem praecursoris Domini,
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Herodes in luxuriae
Turpe dejectus vitium,
Incestus immunditiae
Permiscens adulterium,
Decus virtutis propriae
Convertit in opprobrium.

2. Dum foede sibi foederat
Fratris uxorem miseram,
Et turpis amor imperat
Turpem non pensans operam,
Ad mortem libens properat
Fovens in sinu viperam.

3. Exemplum turpis operis
Et foeditatis semina
Ministraverunt posteris
Non occultantes crimina
Fratris oblitus foederis
Et sexus memor femina.

Responsoria.

1. Johannes, praeco judicis,
Mandatis in dominicis
Se demonstravit sedulum
Praeambulum,
A curis mundi lubricis
Dum revocabat populum,
V. Quod praedicabat faciens,
Bonis exemplis condiens
Sermonis vitae pabulum.

2. Hujus Herodis monitus
Audire libens solitus,
Deceptus contubernio
Nefario,
Tandem descivit penitus
Pro turpi lenocinio;
V. Nam ubi regnat nimia
Uxoris pravae gratia,
Locum non habet ratio.

3. Vir sanctus sicut debuit
Incestum dum redarguit,
Artes commentans impias
Herodias
Ut serpens linguam acuit
Contra doctrinas sobrias,
V. Et ut calcata vipera
Insibilabat aspera
Virus in aures regias.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex ergo victus misere
Amore, quo non debuit,
Placere dum adulterae
Magis quam Deo voluit,
Horrendo clausum carcere
Vinctum Johannem tenuit.

2. Quem tenens dum recoleret
Natalis sui gaudium,
Jussit, ut satisfieret
In coena votis omnium,
Et large vina funderet
Caterva ministrantium.

3. Egressa tunc in medium
Herodiadis filia,
Ante conspectum regium
Missa saltandi gratia,
Vultus convertit omnium
Ad sui ludi gaudia.

Responsoria.

1. Ergo dum illa luderet,
Et rex libenter cerneret,
Amoris temerario
Consilio
Petendi, quid eligeret,
Puellae datur optio;
V. Augmentum namque gratiae
Contraxit ludus filiae
De matris lenocinio.

2. Promissa temeraria
Matri ferente filia,
Draco cruorem sitiens,
Haec audiens
Ad inhumana praemia
Hortatur illam saeviens.
V. O gravis ira feminae,
Crimen defendens crimine
Et in furorem finiens.

3. Praeceps lascivia
Per devia
Inconsulte properans,
Post casum deliberans,
Sera poenitentia
Facta damnat levia,
Rem tandem considerans.
V. Hoc Herodi contigit,
Quod lascive pepigit,
Sibi post improperans.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Puella missa reddere
Responsum matris miserae
Ad regem cito rediit
Et pro concesso munere
Caput Johannis petiit.

2. Funestum petit praemium
Et munus tam nefarium,
Funestus rex ut audiit,
Scelus abhorrens nimium
Ad se confusus rediit.

3. Et prius dum in dubium
Rem adduxisset ratio,
Pudore discumbentium
Dum timet de perjurio,
Stultorum improperium
Redemit homicidio.

Responsoria.

1. Tam tristi quam nefaria
Sententia
Damnatum pro justitia
Caput Johannis tollitur
Et dirae matri redditur
Impia
Discum gerente filia.
V. Sic factum regis impii
Os vertit sapientium
In murmur improperii
Et in stuporem gaudium.

2. Pro tanti viri merito
Corpus honore debito
Sepelierunt seduli
Discipuli
Et regem corde tacito
Maledicebant singuli
Rumore tam insolito
Aures pulsante populi.
V. Nam pia recordatio
Cor vulnerabat omnium,
Quos sancta praedicatio
Fovebat et consilium
Dilecti Deo famuli.

3. Annua Baptistae
sacra festa colat chorus iste
Exemploque boni
vitam condire patroni
Sic satagat festa,
quod sobria sint et honesta,
Ut Domino vere
possint sanctisque placere;
V. Nam laus est grata,
voci si vita beata
Consonet et sordis
nil celent intima cordis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudibus hunc dignis
psalmis veneremur et hymnis,
Qui nondum natus
quasi jam servire paratus
Praeconiis dignum
meruit praetendere signum.

2. Hic Domino gratus,
ipsi quoque sanctificatus
Ex utero matris,
major puerilibus annis,
Secretum caeli
concepit mente fideli.

3. Vir vitae celebris,
nullum partus muliebris
Fudit majorem,
cui summum praestat honorem
Os ipsum Christi,
quod verbo consonat isti.

4. Virtutum testis
pauper thorus, aspera vestis,
Esca levis, potus
levior, locus ipse remotus
A turba, vere
vivendi forma fuere.

5. Unus ei Dominus
in personis quoque trinus
Se manifestavit,
dum natum clarificavit,
Vox patris in lavacro
veniens cum flamine sacro.

Ad Benedictus.

A. Insidiis hostis variis
ut praevaleamus
Subque tua prece praecipua
tuti maneamus,
Fac tua nos documenta sequi,
Baptista beate,
Aspera constanter,
bona tranctando moderate.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O praecursor summi regis,
Spes commissi tibi gregis,
Tuae laudi sedulos
Adsistentes famulos
A peccati nexibus
Tuis solve precibus.

Brev. ms. Ambianense saec. 13/14. Cod. Ambianen. 112. A. — Brev. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianen. 113. B. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1520. C.

In 1. Noct. R 1, 7 Quos A. — In 2. Noct. A 1, 1 ergo cinctus C. — Ad Bened. A, 1 Invidiis hostis C. — Verfasser des Officiums ist Richard de Gerberoi, Bischof von Amiens, der 1206 das Haupt des hl. Johannes in seine Kathedrale überführte. Vgl. Longueval, Histoire de l'église Gallicane XII, S. 403.

79. De sancto Mommolemo.

In 1. Vesperis.

R. Ecce dies celebris
renovat pia gaudia nobis,
Quo fidei penna
Mommolemus petit astra,
V. Abluat ipse suo
plebis contagia festo.

Ad Magnificat.

A. Vir beatus Mommolemus
ob amorem Domini
Omnia, quae sunt in mundo,
dignum ducens despici,
Patrios fines reliquit
serviturus postmodum
Christo, qui vivit et regnat
nunc et in perpetuum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exultans jubilet
Domino simul orbis et aether,
Mommoleme, tui
decessus festa revolvens.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ore simul potuit
cordis puer edere motus,
Patre sub Eustachio
monachali sorte locatur.

2. A quo percepit
hilaris, quae more datoris
Vitae verba docens
amplum diffudit in orbem.

3. Augebatur ei
semper scintillula mentis,
Verus amor Christi
simul et dilectio fratris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Corde sed et lingua
te solum, Christe, gerebat,
Instanter clamans,
ut verba prophetica dictant.

2. Ergo sibi binos
sociarat moribus aptos,
Quos procul invidia
cari vice patris alebat.

3. Hi te, summe Deus,
uno velut ore fatentur,
Tres trinum nomen
numero venerantur eodem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fama volans late
regis vulgatur in aula,
Multa viri sancti
perfert insignia coram.

2. Nec mora, consensu
procerum regisque precatu
Functo deligitur
Noviomi praesule praesul.

3. Sancte Dei praesul,
tota te mente precamur,
Mommoleme, tuis
deposce remedia servis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sex et bis denis
urbem jam rexerat annis,
Cum primum novit,
sese super astra vocari.

2. Illico accitos
famulos ut vidit adesse,
Vitae praedixit
finem metamque laboris.

3. Vos, ait, exstinctos
artus aptate sepulchro,
Tuque in pace tuum,
Deus optime, suscipe servum.

4. Hujus in excessu
mare, tellus, aer et ignis,
Quaeque creata manent,
summo benedicite regi.

5. Christe, sacerdotum
te laudat sedulus ordo,
Mommolemus enim
migravit ad astra sacerdos.

Ad Benedictus.

A. Exsequias sancti
tristes comitantur alumni,
Plebs in lamentis,
clerus proclamat in hymnis,
Quo certe strepitu
coeli devexa replentur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater et pastor,
o praesul alme sacerdos,
Mommoleme, preces
Christo, quas reddimus, offer,
Abluat ut culpas,
detergat crimina nostra,
Quod sibi post mortem
vivamus jugiter. Amen.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515.

80. De sancto Osmundo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Suscipe cum gaudio,
Mater filiorum,
In Osmundi jubilo
Preces famulorum.

2. Confessoris Dominum
Gens collaudet tota
Et in sancti gloriam
reddat pia vota.

3. Exit ejus spiritus
terram miserorum
Et intrat pro meritis
regnum beatorum.

4. Iste domum Domini
sacrans fabricavit
Et dispersos clericos
simul congregavit.

5. Lauda, Sion, Dominum
magni confessoris,
Lauda pium praesulem,
cujus est laboris,
Quidquid tuas januas
bene confortavit,
Quidquid tuos filios
jam laetificavit.

Ad Magnificat.

A. Confessor Domini,
precibus succurrito plebi,
Ut vitiis vacui
valeant tibi consociari,
Et tua quos reperis
solemnia praevenientes
Tu populi ductor,
fac, ut tecum comitentur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Omnipotens Dominus
laudetur trinus et unus,
Qui dedit Osmundo
coelestia regna beato.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Natus mox renascitur
Osmundus fonte lotus,
A cunctis piaculis
effectus mundus totus.

2. Adolescens proficit
schola literali
Et tirones superat
arte militari.

3. Juventutis terminos
prudens transigebat,
Neque contra spiritum
caro praevalebat.

Responsoria.

1. Praesulis Osmundi
celebramus festa jucundi,
Qui pius, prudens,
humilis, sobriusque pudicus

Expletis curis
intravit gaudia lucis.
V. Auxit per merita
sibi tradita quinque talenta.
2. Ecce sacerdotem,
cujus prudentia sanctum
Suffulsit templum,
Christi stabilivit et aedem,
V. In vita placuit
Domino, plebem bene rexit,
3. O praesul noster,
tecum decet ut gratulemur,
Qui mundo moriens
non desinis esse sacerdos,
Coelesti vita
frueris per saecula cuncta.
V. Jam cernis Christum
patris a dextris residentem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir effectus prospere
Venstriam regebat,
Tandem partes Angliae
potens defendebat.
2. Utrobique regia
jura dilatavit
Ac in pace solida
cuncta reformavit.
3. Sed et domus Domini
maximus zelator
Pluris beneficii
largus est fundator.

Responsoria.

1. Praeposito plebi
magna virtute potenti
Sacra manus Domini
subveniebat ei,
V. Ut David est unctus,
ut Aaron est ipse sacerdos.
2. In regum quondam
conspectu magnificatus
Nunc immortalem
gaudet cepisse coronam,
V. Deservire Deo
malens quam regna tenere.
3. Confessor Christi
felix, feliciter audi
Nos tibi devotos
laudique tuae famulantes,
Ast impetratam
veniam pro crimine nostro,
Quaesumus, ut nobis
coelitus obtineas.
V. O pater Osmunde,
clarum decus urbis et orbis,
Servorum gemitus
tristes tu suscipe clemens.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Comes factus Sagiae
cum successit patri,
Cuncta dat ecclesiae
bona sua matri.
2. Postremo Dorsetiae
nactus comitatum
Spreto mundo trahitur
mox ad praesulatum.
3. Jam coelestem obtinens,
pastor, praelaturam,
Servis tuis impetres
vitam permansuram.

Responsoria.

1. Ante Deum magnas
virtutes est operatus
Osmundus sanctus,
cujus doctrina salubris
Curans ecclesias
illustrat in orbe fideles;
V. Mundum contempsit,
jam coelica regna subintrat.
2. Infirmos curat,
caecos et debilitatos
Membris consolidat,
partim genus omne doloris.
Donat ei Dominus,
ut removere queat,
V. An febris, an pestis,
an sit pressura parentis.

3. Miles et alme pater,
Osmunde, Dei gregis auctor,
Christo funde preces,
et nostras ablue culpas,
V. Ut nos vitae sedem
valeamus scandere celsam.

5. Qui cum sanctis omnibus
regnas nunc, Osmunde,
Pro nobis orantibus
preces Deo funde.

Ad Benedictus.

A. Prudentem servum
te constat et esse fidelem,
Quem Deus in plebem
praefecit jure regendam;
Tunc tritico verbi
vacuas animas satiasti,
Nunc hominem totum
ne cesses reddere sanum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic Osmundus refugit
regnantis honorem,
Dei domus eligens
praeferre decorem.
2. Sanctus iste stabilis
in confessione
Mercedem promeruit
coelestis coronae.
3. Ob decus ecclesiae
multum vigilavit,
Deum solum sitiens
carnem maceravit,
4. Benedicta Venstria,
talem fundans domum,
O quam felix Anglia,
hunc habens patronum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, celeberrime
Pater clericorum,
Osmunde sanctissime,
Lumen confessorum,
Dele tuis precibus
Perpetrata male,
Memor in coelestibus
Nostri semper vale.

Brev. sec. usum Sarum imp. Parisiis 1494. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Adolescens profuit. — In 2. Noct. **R** 2, 3 immortali.

81. De sancto Oswaldo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriose rex Oswalde,
Vota damus, tu attende,
Tui sumus, recognosce,
Mortem aufer, vitam posce.
Ave, quondam rex Anglorum,
Nunc cohaeres angelorum;
Placa nobis regem tuum,
Qui te fecit civem suum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Spes quibus est vitae,
Domino jubilare venite,
Reddidit Oswaldo
qui regna perennia sancto.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Oswaldum, puerum
longo de sanguine regum,
Christus adoptavit,
Northumbria cum generavit.

2. Nobiliter natum,
nece mox patris exsiliatum,
Scotia suscepit,
ibi Christum discere coepit.

3. Jamque puer purus,
fidei petra firma futurus,
Barbariem sprevit
studiisque piis adolevit.

4. Omnibus exutus
Domini mandata secutus
Coelica plus quam se
dilexit, cetera ceu se.

5. Jam tum virtutem
quasi rex formatus ad omnem,
Vestiit algentes
et nutriit esurientes.

6. In Domino fidens,
mundi ludibria ridens,
Miles ut invictus
inimicos repulit ictus.

Responsoria.

1. Igitur rex Oswaldus
Ad gentis suae muninentum
Et christianae fidei fundamentum
Northumbriae gentilibus
Est editus parentibus,
V. Ut rosa de spinis
pulcherrima surgit acutis.

2. Elifrido,
patre ejus, mortuo
In Scotiam
dulcis transfertur pusio,
V. Ut Christum discat
et in ejus amore calescat.

3. Instituitur docilis
Adolescens solum Deum
Sapere et pro terrenis
Coelestibus anhelare
V. Et cito lapsuram
mundi reprobare figuram.

4. Interea proelio
Eduwinus occubuit,
Christus Oswaldum paterno
Regno restituit,
V. Tempora qui mutat,
sub quo mare terraque nutat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex diadematus,
in cunctis magnificatus,
Fines tutatur
cultumque Dei meditatur.

2. Cura sibi gentis
erat haec sua signa sequentis
Idola calcandi,
templum tibi, Petre, locandi.

3. Ad fundamentum
fidei sanae jaciendum
Doctrina sanum
vocat a Scotis Aidanum.

4. Praesule sub tali
documento spirituali
Gens fera mutatur,
Domino nova turba dicatur.

5. Tunc actus socios
rex alterat atque sacerdos,
Hic docet, hic discit,
hic disserit, excipit ille.

6. Hoc studio functi
tam sancto foedere juncti
In theatro mundi
pia sunt spectacula facti.

Responsoria.

1. Cernens demum antiquus hostis
tanto conatu se impeti
Armaturam fraudis induit,
arenam intrat, parat congredi,
V. Lucra renascentis
non passus crescere gentis.

2. Ad expugnandum pium regem
Et abolendam Dei legem
Excitat (quendam) ducem Britonum
Et commovet in proelium,
V. Milibus armatum,
belli feritate probatum.

3. Rex Oswaldus Deo fretus
Paucos suos fide munit,
Hoste caeso victor redit.
V. Haec, Deus, haec tua sunt
et adhuc, quaecunque supersunt.

4. Gloriosus es, aeterne
Rex, qui sicut tuum quondam
Constantinum, sic per signum,
Sanctae crucis Oswaldum
Regem triumphare facis,

V. Qui cruce vicisti
victorque, Deus, rediisti.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Complantatus aquis
florens, Oswalde, virescis,
Cui rosa martyrium,
lilia dant lavacrum.

Responsoria.

1. Ad tactum crucis, in qua
Rex Oswaldus triumphavit,
Sola fides additur
Et medela aegris redditur,
V. Aut aqua potatur,
et coelica vis dominatur.

2. Paschae die rex esurientibus
Discum argenteum
dividit pauperibus,
Reddit Aidanus
benedictionem,
Quae permanet in hunc diem:
V. Nunquam marcescat
manus ista nec inveterescat.

3. Pontificante
sancto papa Honorio
Et adnitente
Birino episcopo
Rex Cynigilfus
fidem Christi suscipit;
Oswaldus eum
de lavacro excipit;
V. Christus adoratur,
rex et sua turba novatur.

4. Athleta Dei Oswaldus,
Sanguine suo laureandus,
Ingravescente proelio
Se suosque committit Domino;
Regnum mutat, non deponit
Et in sinu aeterni regis
Rex et martyr reclinato
Capite obdormit.

V. Fessus et emeritus,
felici fine potitus,
Pax ubi vera datur,
ad coelica regna vocatur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Cum prece rex migrat,
qua se tellure reclinat,
Larga salus manat
et languida corpora sanat.

2. Miles miratur,
equus ejus dum medicatur,
Postulat, affertur
paralytica, sana refertur.

3. Herbida terra viret,
Brito de pulvere transfert,
Flamma domum lambit,
sacrum fugit ignis et ambit.

4. Suscipitur clara
meritum testante columba,
Pulsa fugit pestis,
fremit hospes, pellitur hostis.

5. Aeger ut accedit,
febris anhela recedit,
Poscit opem moriens,
Oswaldus adest sibi clemens.

Ad Benedictus.

A. Sol oriens nec deficiens
de virgine, stella
Luciflua, pietate sua
te, sancte, coronat.
Rex celebris, nos de tenebris
absolve reatus,
Luce cluis, lux esto tuis,
Oswalde, .rogatus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Te, Christe, rex coelorum,
Magnificet vox angelorum,

Qui sanctum Oswaldum,
Fide candidatum,
Sanguine purpuratum,
Agni comitatui
Addidisti laureatum.
Per hujus, Domine,
Tui regis intercessionem
Nos peccatores in aeternam
Admitte reconciliationem.

Brev. ms. Wingartense saec. 13. Cod. Fulden. A a 56. A. — Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. A a. 123. B. — Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 268. C. — Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 220. D. — Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1548. E. — Brev. ms. Stirpinense saec. 15. Cod. Stirpinen. 35. F. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. G. — Brev. ms. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5972. H. — Brev. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11903. I.

Nicht-monastisch sind CDEG; ihnen fehlen die drei letzten **AA** der zweiten Nokturn und die **A** ad Cantica; nur E hat diese ad parvas horas. Von **RR** fehlen **R** 3 der 1. und 2, **R.** 1 der 3. Nokturn. — In 1. Noct. **A** 3, 3 Barbariem cepit B. — **R** 1, 6 spina B. — **R** 2, 1 Elyfrido B. — In 2. Noct. **R** 1, 3 induitur A. — **R** 2, 4 movet B. — In 3. Noct. **R** 2, 8 veterescat B. — **A** 3, 3 Kyrino episcopo B. — **R** 3, 4 rex Tyngalfus B. — In Laud. **A** 5, 3 Post opem moriens B; poscit ovem moriens C. — Unvollständig bei Morel 525. Augenscheinlich ist die monastische Form die ursprüngliche. Das Officium ist jedenfalls süddeutscher Herkunft, da es nur in dortigen Hss. auftritt.

82. In Translatione ss. Patricii, Columbae et Brigidae.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Veneranda imminentis
 diei solemnia
 Felix et pia mater
 concelebrat ecclesia.
2. Quo beatorum Patricii,
 Columbae et Brigidae corpora
 Duno digne venerantur
 translata de pulvere.
3. Margaritae tres monstrantur
 Duni monasterio,
 Quis defunctis vitae dantur,
 caecis datur visio.
4. Diu latentes radii
 Duno tegebantur,
 Rivi mergentes aequore
 plebi demonstrantur.
5. Magna nobis gaudia
 Hibernis nunc dantur,
 Patronorum nostrorum
 ossa elevantur.

Ad Magnificat.

A. O trinae lampades,
 mirae claritatis,
 Ut sol in meridie
 diebus aestatis,
 Pastores Hiberniae,
 globi claritatis,
 Monstrantur reliquiae
 Vestrae vestris natis,
 Sequaces victoriae
 Vestrae probitatis
 Jungantur militiae
 Coeli cum beatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus
omnes Sion filiae,
Patronorum Hiberniae
reliquiae sunt translatae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Patricius, Columba
et Brigida fructus
Donant ut crescentia
ligna secus fluctus.

2. Reges, cleri, populi
Duno convenerunt
Et de fossa tumuli
Patronos tulerunt.

3. Patronos dormientes,
Diu soporatos,
Laudat clerus gestiens
Pulvere levatos.

Responsoria.

1. Clari et egregii
olim Duno tumulati
Milites beati,
post tempora multa levati,
V. Emendent status
nostros tergendo reatus.

2. Jaspis, topasius,
saphyrus, lumina tergens,
Patronorum rivus,
paradisi flumina mergens,
V. Terram purgavit,
populum baptismate lavit.

3. Mors, morbi, maria,
pestis, praestigia vana,
Carceris angaria,
daemon, quaecunque profana
V. Patronis cedunt,
Christo gens perfida credunt.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pater patrum hodie
Sepulchrum sacratum
Reddidit ecclesiae
Sibi commendatum.

2. Dominus patronos
nostros jam glorificavit,
E tumulo clerus
dum pignora sacra levavit.

3. Ossa patronorum
Hiberniae levata
Nos a labe vitiorum
Tergant prece grata.

Responsoria.

1. Hi tres lux patriae,
Duno diu tecti sunt terra,
Regulae justitiae
latitantes saecula multa,
V. Nunc demonstrantur
et publicitus venerantur.

2. Vacate, gentes,
patroni magnae probitatis,
Gaudete flentes,
patres immensae pietatis,
V. Compedibus natos
culparum solvite strictos.

3. Quisque patronorum
Hiberniae semina sevit
Terra Scotorum,
quo fructus copia crevit,
V. Nunc steriles mentes
cibat undique reficientes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Innocentes manibus
et corde hoc mundo
Transferuntur canticis
clero laetabundo.

2. Deus desideria
Patris adimplevit,
Per quem in Hibernia
Fides inolevit.

3. Ossa quiescentia
Trium transferuntur
Ad patris praesidia
Publice ponuntur.

Responsoria.

1. Horum membra lutum
tenuit laxata labore
Miro virtutum
Duno venerantur honore,
V. Aegra poli rore
sanent ut membra dolore.

2. Nunc tres in Duno
tumulo tumulantur in uno,
Brigida, Patricius
atque Columba pius,
Gemmae sacrandae,
mundo toto venerandae
V. De terra levantur
nunc honorandaeque dantur.

3. Currite languentes,
Duno piscina morborum,
Corpora vel mentes
aegrotas ipsa medetur;
Felices gentes,
quibus istud flumen habetur,
V. Protulit haec fossa
harum sacra trina ossa.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Levantur patroni,
Pleni coeli rore,
Hiberniae egregii,
Induti decore.

2. Omnis terra jubilans
Adoransque laetatur,
Quia sidus rutilans
Duno demonstratur.

3. Terra Duni dederat
Jam speratos fructus,
Quod olim receperat
Hora leti luctus.

4. Patroni in Domino
Deum benedicant,
Quia coeli gaudio
Sicut Phoebus micant.

5. Deus a cubilibus
Exaltans mansuetos
Facit de stabilibus
Jucundos et laetos.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
qui translatione
Sanctorum Hiberniae,
Patricii primatis
Et venerandi abbatis
Columbae Brigidaeque,
virginis almae,
Hunc diem sacrat
pariter et magnificavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pontifex, magne pater,
Patrici, Hiberniae apostole,
O abbas praeclare,
Columba mitis et pie,
O Brigida benigna,
virginum veneranda,
Poscite vestris
gaudentibus solemniis,
Perfrui vobiscum
sempiternis gaudiis.

Brev. ms. Dublinense saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinitatis Dublinen. B 3. 13. A. — Colgan, Trias Thaumaturga, Blatt ohne Seitenzahl. B. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Duni B. — **A** 2, 4 De pulvere translata B. — **A** 4, 3 Rivi emergentes B. — **A** 5, 2 Hiberniae B. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Brigida suum fructum B. — **A** 1, 4 secus fluvium B. — **A** 2, 4 transtulerunt B. — **R** 2, 4 flumine B. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Reddit AB. — **R** 1, 6 et veneranda dantur A. — In 3. Noct. **R** 3 fehlt B. — Ad Ben. **A**, 1 Benedictus fehlt B; 8 sq. sacravit et magnificavit pariter. B.

83. De sancta Pharahilde.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virgo clemens et benigna,
Pharahildis, laude digna,
Vitam duxit angelicam.

2. Ordine miro subdita viro,
Famula Christi, promeruisti
Coelica regna.

3. Tam in mensa quam in lecto
Sub eodem eras tecto
Cum marito servans florem
Castitatis praeter morem.

4. Ingens est miraculum,
Quod in praesens saeculum
Inter tot delicias
Ad coelestes nuptias
Adspiras tam avide.

5. Post cursum hujus stadii
Donum perennis bravii
Inter choros virginum
Tibi pater luminum
Virgini constituit.

R. Igne rubus inflammatur
Nec flammis inuritur,
Pharahildis sponso datur
Nec sigillum frangitur
Ejus pudicitiae;
Per ter denos annos nupta
Virgo mansit incorrupta
Vacans Dei laudibus.

Ad Magnificat.

A. Alma virgo, laude digna,
Virgo prudens et benigna,
Pharahildis, nos exaudi
Famulantes tuae laudi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Cujus virgo tenens legem
Pharahildis coronatur
In coelesti curia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo de genere
Regali genita
Divino munere
Libens est subdita
Christo Pharahildis.

2. Rex Lotharingiae
[Inclitus] floruit
Magnae potentiae,
Quamdiu viguit,
Theodoricus.

3. Conjugem habuit
De stirpe nobili,
Vixerunt pariter
Vita laudabili
Deo servientes.

Responsoria.

1. Immortali sponso juncta
Pharahildis sprevit cuncta,
Quae marcescunt tamquam foenum,
Ut flos agri transeunt.

V. Affluentes divitias
Et regales delicias
Sponsa Christi respuebat.

2. In aetate puerili
Scholis datur, sed senili
Mente Deum retractando
Suspirans proferebat:

V. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.*

3. Deo, cui se subegit,
Votum vovit nec infregit,
Virginalem ei florem
Praesentare studuit.

V. *Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus, non commovebitur.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Juventutis suae florem
Atterebat ob amorem
Jesu Christi, quem tenere
Videbatur diligere.

2. Asper erat ei lectus,
Sacrum crebro tundens pectus
Patrem superni luminis
Mens exorabat virginis.

3. Cum annorum ter denorum
Esset mater egenorum,
Nolens a patre cogitur
Sponsoque duci jungitur.

Responsoria.

1. Pharahildis fit ducissa
Dei ductu non remissa,
Sed affluens deliciis
Domabat se jejuniis.

V. *Annulo Christi subarrhata non terrenis opibus inhiabat.*

2. Mentem ejus
cantus neque lyrae
Nullo modo
valent delenire,
Mente secum
tractat solicita,
Ut, quae novit,
persolvat debita.

V. *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.*

3. Clam introrsus est inclusa,
Flectit genu prece fusa,
Rogat Deum devoto gemitu,
Ne virili turbetur coitu.

V. *Exaudivit deprecationem ejus Dominus, Dominus orationem ejus suscepit.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In aetate jam nubili
Duci juncta est nobili,
Sed castitatis lilium
Non perdit hoc conjugium.

2. Gratias in termino
Virgo refert Domino,
Dum intacta permanet.

3. Virgo facta liberior
Vota persolvit libera
Egenisque propensior
Larga profudit munera.

Responsoria.

1. Sponsa duci foederata,
Propter Christum poenis data,
Quae vel quanta
ferat, conquaeritur,

V. Quocirca dux
languore premitur.

2. In labentis vitae pirgo
Suscitasti ganzam, virgo,
Caeco visum, gressum claudis
Dans in signum tuae laudis.

V. *In multitudine electorum habebis laudem, quae per Christum talia operaris.*

3. Pharahildis duci nupta
Virgo mansit incorrupta
Sex lustrorum spatio,
Hinc ad Christum, quem amavit,
Vitae suae transmigravit
Anno nonagenario,

V. *Ad sponsum suum Christum, in quem credidit, quem dilexit, quem semper optavit.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Pharahildis frequens orat,
Templa visat, dux explorat,
Quo se vertat, quid agatur,
Redit virgo, verberatur.

2. Flagellat ducem Dominus
Propter commissum facinus,
Nec ipse corrigitur.

3. Silvam causa spatiandi
Dux perlustrat et venandi,
Lora laxat, equus cadit,
Fractis membris vix evadit.

4. Sanat cum parcens reo,
Sed ignorat reus Deo
Gratias impendere.

5. Pharhildem
sex lustris tenuit,
Sed cum ea
nunquam rem habuit,
Ter denos ter
annos compleverat,
Virgo mansit
solvens, quod voverat.

Ad Benedictus.

A. Christi sequens vestigia,
Sanctis exsculpta moribus,
Stirpe praecellis regia
Velut luna sideribus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo pia Pharahildis,
Quae cum coeli civibus
Haeres facta paradisi
Gaudes in coelestibus,
Nostri pie memor esto
Et pro nobis supplicans
Impetrato veniam
Et vitam perpetuam.

Brev. S. Servatii Trajecten. imp. Coloniae 1503. — In 1. Noct. **R** 1, 4 Et flos. — In 2. Noct. **R** 1, 2 ducatu. — In 3. Noct. **R** 2, 2 gammam. Vgl. Du Cange s. v. ganta, über die Märe Acta SS. Jan. I. 172. — In Laud. **A** 3, 4 evasit. — Hymnus: Christi virgo egregia.

84. De sancto Pontentino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudes regi omnium
Nostra harmonia
Pro virorum fortium
Canat agonia.

2. Isti e vestigio
Christum consecuti,
Candidi martyrio
Christum sunt induti.

3. Suum tingi sanguine
Pedem gloriati,
Martyrum se nomine
Claros arbitrati.

4. Crucis ignominiam,
Crucem bajulare
Summam ducunt gloriam,
Summum triumphare.

5. Ad instar carbunculi
In rubentis populi
Medio resplendet
Potentinus, sociis
Junctis in deliciis,
Ad quos non ascendet,
Ipsum qui non sequitur;
Qui pro Christo moritur,
Christo nos commendet.

Ad Magnificat.

A. O martyr amabilis,
Laudis ineffabilis,
Dulcis et jucunde,
Martyr venerabilis,
Decore spectabilis,
Candens, rubicunde;
Tuae, pater, claritati,
Congaudemus tui nati,
Tuus grex et populus.
Potentine, testis Christi
Fieri qui meruisti
Et Christi discipulus,
Nos post has miserias
Transfer ad delicias,
Quas non vidit oculus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad laudes regis omnium
Laetis surgamus cordibus,
Qui coeli junxit civibus
Terreni regis filium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iter fugit impiorum
   Potentinus gnaviter
   Et ad viam se justorum
   Contulit alacriter.
2. Contra sanctum adstiterunt
   Reges, patres impii,
   Innocentem occiderunt
   Tenebrarum filii.
3. Ad salvantem se clamavit,
   Amator credentium
   Quem clamantem liberavit,
   Qui est salus omnium.

Responsoria.

1. Sanctus puer Potentinus,
   Proles regis Franciae,
   Summi regis se festinus
   Adstrinxit militiae,

V. Vivens tamquam peregrinus
   In valle miseriae.

2. Mox ut illi naturalis
   Adfuit discretio,
   A cunctis arcens se malis
   Recessit a devio,

V. In quo mire spiritalis
   Jam fraglavit unctio.

3. Jam tunc coepit confessores
   Fidei diligere
   Et ut dominis honores
   Devotos impendere,

V. In sanctos cordis ardores
   Ostendit in opere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tribulatus, dilatatus
   Sanctus tuus, Domine,
   Baptizatus est, signatus
   Vultus tui lumine.
2. Tunc magis abominatus
   Puer viros sanguinum,
   Ruri manens aula natus
   Contemplatur Dominum.
3. Vere nomen tuum, Christe,
   Multum admirabile,
   Quod laudavit puer iste,
   Vas ad psalmos habile.

Responsoria.

1. Parentes deorum vanis
   Subjugati cultibus
   Caedunt sanctum, Christianis
   Subditum doctoribus;

V. Caecus furor quam immanis
   In humanis cordibus.

2. Baptizatus civitatem,
   Quam non intrat Dominus,
   Ne videret, vanitatem
   Dereliquit eminus,

V. Universam pravitatem
   Vani mundi protinus.

3. Lucerna tanti luminis
   Praeclari facta nominis
   Nequivit latere,
   Qui latere voluit,
   Quamvis nolens patuit
   Plenae mundi spherae.
   Ad tam mirae sanctitatis
   Virum, verae probitatis,
   Multi convenere,

V. Eminentem in doctrina
   Et coelesti medicina
   Cupidi videre.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arcu fracto peccatorum
   Pharetraque vacua
   Suum martyr intrat chorum
   Fide non ambigua.
2. Montem sanctum habitabit
   Sanctus sine macula
   Et aeterna triumphabit
   Intra tabernacula.
3. In virtute jam laetatur
   Dei martyr inclitus,
   Salvatorem contemplatur
   Amatum medullitus.

Exsulat et exaltatur,
Fugit dolor, gemitus,
Ubi suos consolatur
Dei unigenitus.

Responsoria.

1. Tandem in diaconatus
Promotus officio
In pastorem est vocatus
Urbi monasterio,
V. Non elatus sed gravatus
Tanto ministerio.

2. Procedentem insectatur
Patruus cum sociis,
A quo sanctus trucidatur
Cum duobus nuntiis,
V. Telis, ense consummatur
Fortis in suppliciis.

3. O quam digne est colenda,
Quam devote reverenda
Martyrum memoria,
Qui crucis Christi praecones
Pertulere tot agones
Summa cum victoria;
Nunc complexa manu Dei
Diadema speciei
Deferunt in gloria,
Vivum, novum, clarum mustum,
Quod terrenum mutat gustum,
Bibunt cum laetitia,
V. De torrente qui biberunt,
Qui fel crucis gustaverunt,
Nunc in coeli regia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Viri fortes et decori,
In tormentis stabiles,
Conregnant triumphatori
Suo regi similes.

2. Domino, cui servierunt
Cordis in laetitia,
Ejus jam introierunt
Cum hymnis in atria.

3. Deum, in quem sitiverunt
Toto desiderio,
Deum, post quem adhaeserunt,
Vident nunc in gaudio.

4. Temptatoris et tortoris
Superatis ignibus
Benedicunt salvatoris
Bonitatem laudibus.

5. Laudant Dominum de caelis
Suis in cubilibus
Liberati de querelis
Et mortis doloribus,
Cessit hostis jam crudelis,
Gaudent cum gaudentibus.

Ad Benedictus.

A. Deus noster benedictus,
Quia non est derelictus
Grex pusillus gratiae,
Dum nos pie visitavit,
Paterne haereditavit
In valle miseriae,
Dum hunc locum dicaverunt,
Dum hunc locum ditaverunt
Sanctorum reliquiae.
De quorum praesentia
In omni miseria
Semper consolamur,
Horum per suffragia
Ad aeterna gaudia
Laeti perducamur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dominum magnificemus,
Jesu nostro exsultemus
Totis cordis viribus,
Qui nostram humilitatem
Respexit per pietatem
Suam de coelestibus,
Dum Salvator salvatores
Misit et propugnatores
Fortes et propitios,
Nostros adversarios
Qui devincunt et elidunt
Dividuntque et concidunt
Et reddunt inglorios.

Surge, martyr Potentine,
Et nos unitati trinae
Commenda cum sociis,
Ut vestris suffragiis
Sanctorum conciliis
Collaetemur sine fine.

Brev. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Bruxellen. 2961. A. — Diurn. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Darmstadien. 1104. B. — In 1. Vesp. **A** 3, 2 gloriare A. — Nach der **A** ad Bened. hat A eine andere (prosaische) **A** mit der Rubrik: Item alia Antiphona, quae dicenda est extra ecclesiam Steinveld.

85. De sanctis Puellis.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In puellis Christum magnifica,
Coetus Mansi, cantus et duplica,
Sepultura manet authentica,
Hilarescit turba angelica
In supernis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem puellarum Dominum venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nomen Christi mirabile
In puellis emicuit,
Dum corporis dualitas
et unitas apparuit.

2. Sponsus natus de virgine
Amavit has puellas
Et in poli cacumine
Facit esse gemellas.

3. Hoc mirum monstrum affluens
Sanctitate,
Mundanum nomen vinciens
Bonitate
Fideles allexit.

Responsoria.

1. Arbor plantata Jericho
Grossos produxit gratiae,
Accrescens fructu coelico
Umbram donavit gloriae;
Sic fit cunctis miraculis
V. Haec factio laudabilis,
Crevit multis miraculis
Medicamentum populis.

2. Alma seges tunc dogmatis
Pullulavit in saeculo,
Cum Saturnini monitis
Puellae credunt clanculo,
Per quem refulgent meritis,
V. Sanctum infundit coelicum
Angelorum viaticum
Viatoris almificum.

3. Messores regiae
agri dominici
Cruorem colligunt
athletae coelici,
Pravorum rabie
dum tauro trahitur,
Hac regis filiae
multum dolent.
V. Videte, populi,
certamen humile,
Deplorant oculi
pro morte praesulis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum dulce eructavit
   Istud monstrum in patria,
   Actus suos gubernavit,
   Ut regnaret in gloria.
2. Deus in terra posuit
   Hujus sexus prodigia,
   Qui nos vitare docuit
   Inimici vestigia.
3. Super solis cacumine
   Laetatur stirps regia,
   Magna consistit germine,
   Demonstrant hoc judicia.

Responsoria.

1. Flagellantur
   puellae regiae,
   Dum abhorrent
   nefanda latriae,
   Linquunt Gotos,
   gentes dementiae,
   Mansus gaudet
   pro tali acie,
   Quia grata.

V. Istae colunt
   regem justitiae
   Et exorant
   pro gente patriae.

2. In Christi solio
   Plantae justitiae
   Crescunt munditie,
   Coelestis concio
   Laetatur hodie,
   Crescat devotio
   Hujus familiae
   Hic in via.

V. Precibus, servuli,
   Laudate Dominum,
   Ut sitis aemuli
   Sanctarum virginum.

3. Plantula mirabilis,
   Ortu generosa
   Et vita laudabilis,
   Actu luminosa,
   In poli cunabulis
   Sedet gloriosa,
   Mansi defensibilis
   Ac imperiosa
   In excelsis.

V. Ista stipes
   fulgens prosapia,
   Cedant Satan
   et carnis vitia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nuntiate in populis
   Coronas harum virginum,
   Deprecentur ab insulis,
   Ut tollant fasces criminum.
2. Quia regnavit super has
   Messias collaudetur,
   Gens Mansi pangat choreas,
   Choros ducens laetetur.
3. Cantate Domino
   cum novo cantico,
   Qui mirabilia
   fecit in populo,
   Sua potentia
   claret miraculo
   In puellis.

Responsoria.

1. Binas duxit
   ex se propagines
   Stipes ista,
   fuerunt virgines
   Tamquam arbor
   obumbrans homines
   Danielis.

V. Lignum salutiferum
   nobis est donatum,
   Juxta aquas gratiae
   Auxit transplantatum.

2. Duae consortes
   Sanctorum civium,
   Augete gentes
   Vos deprecantes,
   Ad coeli bravium
   Transferte mentes.

V. Prudentes virgines,
Aptate lampades,
Fideles debiles
Facite lapides
In coeli solio.

3. Generosa
frutex prosapia,
Gratiosa
tua facundia,
Gloriosa
Habes sedilia,
Luminosa
Consistunt praemia
In supernis.

V. Subarrhata
Per Christum annulo
Et ornata
In coeli circulo
Exaltaris.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Has puellas inclitas
Christus decoravit
Et gemellas editas
Spiritus regnavit.

2. Gaudio mirabili
Gentes jubilate,
In coelo fulgibili
Duplae sunt locatae.

3. Rex per istas laudabitur,
Quia fulgent virtutibus,
Naturaque mirabitur,
Quantae sunt in coelestibus.

4. Benedictus
in poli cardine
Adstat Christus
pro isto germine
Salutari.

5. Deum cum virginibus,
Populi, laudate,
Cum sanctis agminibus
Polo sunt locatae.

Ad Benedictus.

A. Christus nos reficiens
Mundo benedixit
Et ex alto oriens
Vera lux illuxit,
Dum monstrum mellifluens
In nobis produxit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificate Dominum,
Qui monstrum prodidit
Mentibus hominum
Et dat terminum
Vitae puellis luminum
Sancta sede.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. — In 1. Noct. **R** 1, 2 Gressus. — **R** 2, 4 calculo. — In 2. Noct. **R** 2, 8 viae. — In 3. Noct. **A** 2, 4 Cordas ducens laetitiae. — **R** 2, 5 u. 6 umgestellt. — In Laud. **A** 1, 1 inclitus. — **A** 1, 3 gemellis editus. — **A** 4, 3 Adstat jam. — In 2. Vesp. ad Mag. **A**, 2 prodiit. — Hymnen cfr. Analecta XI, p. 221.

86. De sancto Raphaele.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Cum rectos ex congruo
deceat laudatio,
Magis decet angelos
in coeli palatio.

Ad Magnificat.

A. Celebremus in terris
Raphaelis opera,
Qui summi imperii
adsistit ad latera,
Unus ex principibus
in patria coelesti,
Arcens malos spiritus,
qui nobis sunt infesti.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trinum Deum collaudemus
regnantem in caelis,
Recolentes memoriam
sancti Raphaelis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coeli, qui sunt spiritus
patriae coelestis,
Enarrant Dei gloriam
signis manifestis.
2. Mira res ostenditur,
cum Tobias sanatur,
Humanam effigiem
Raphael imitatur.
3. Quanta justis moestis datur
spes misericordiae,
In viando
Cum Tobiae mittitur
Raphael consolando.

Responsoria.

1. Miserator Dominus
et justus retributor
Tobiae famulo suo
factus est adjutor,
Cum factus sit egenus.

V. Furtivum abhorruit
Et sua distribuit
Pietate plenus.

2. Sanctus pater solus jacens
Deo derelictus,
De suo relevamine
cogitat afflictus,
De massa mutuata.

V. Decem talenta tradidit
Gabello, qui non reddidit
Pecunia munerata.

3. Pater filium vocavit,
Ignotam viam imperavit,
De qua juvenis dubitavit;
O Deus, qui tuos salvas,

V. Hic cum quaerit,
Socium reperit
Archangelum
Succinctum ad valvas.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sicut puer egreditur
Et canis insequitur,
Mater flens conqueritur
Prole non praesente.
2. Lumen, ait, oculorum
a nobis misisti
Et nostrae senectutis
baculum transmisisti
In filio absente.
3. Pater reversurum sperat,
Gratum semper iter erat
Angelo ducente.

Responsoria.

1. Dificultas itineris
Prima intimatur,
Per hostem nostri generis
Ad Tigrim paratur
Bellua marina,

V. Puerum vorare voluit,
Quem in siccum attrahit
Gratia divina.

2. Benedictus Dominus,
Qui angelum mandavit
Et ministrum mortis
In pastum paravit,
Quem occidit juvenis
et exenteravit;

V. Angeli consilio
Pro viae edulio
Piscem reservavit.

3. Doctus tam medicus
Nusquam auditur,
Ut Raphael tam practicus,
Qui lumen largitur
Caeco veterato,

V. Admirando opere
Qui felle et jecore
Fit sospes iterato.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix iter peragit
   juvenis Tobias,
   Cujus viam dirigit
   magnus Azarias.

2. Nam nemo securius
   viam ducitur
   Sequente sanctum angelum
   immersum in Deo.

3. Ductu Raphaelis
   fit cognatus hospes
   Exsultansque pater
   pueri fit sospes.

Responsoria.

1. Sara stirpis Jacob nata,
   Miro modo reservata
   Multisque commaritata
   Mansit in opprobrio.

V. Azarias prudens factor
   Fit Tobiae procurator
   Tractans de conjugio.

2. Tobias juxta legis
   procedentem morem
   Raguelis filiam
   petit in uxorem,
   Sed de praedecessorum
   expavit dira sorte.

V. Angelus tunc consolatur,
   Jecur piscis reservatur,
   Ut servet se a morte.

3. Ad nuptias proceditur,
   Dos magna conceditur,
   Thalamum ingreditur
   Tobias cum uxore.

V. Tunc insistunt precibus,
   Desistunt ab amplexibus,
   Salvantur a terrore.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ingressi nupti thalamum
   se totos dant ad Dominum,
   Ut precibus et lacrimis
   fugetur daemonium.

2. Parentes sunt pavidi,
   ne novus conjugatus
   Per daemonem ut ceteri
   foret strangulatus.

3. In crastino consurgunt
   quam laeti parentes,
   Quod filium cum filia
   reperiunt viventes.

4. Decantant altithrono,
   qui adstant, omnes laudes,
   Qui daemonis per angelum
   superabat fraudes.

5. Cum sanctum matrimonium
   Tobias consummabat,
   Devotas Deo gratias
   Anna decantabat.

Ad Benedictus.

A. Raphaelis solemnia
   omnes Christiani
   Cum Tobia celebrent,
   ut sospites et sani
   A suis languoribus
   cito liberentur
   Et a malis omnibus
   semper conserventur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Collaudemus Dominum
   regem saeculorum,
   Et jubilemus spiritu
   plausu laetabundo,
   Venerantes in genere
   chorum angelorum
   Et Raphaelis in specie
   festa corde mundo.

Brev. Herfordense imp. Rotomagi 1505. — In 2. Noct. **R** 1, 1 sq. Prima difficultas itineris. — **R** 3, 7 Quis felle. — In 3. Noct. **A** 2, 2 ergänze eo? — **R** 1, 3 que fehlt. — In 2. Vesp. **A**, 3 spiritui.

87. De sancta Rictrude.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sanctissima Dei famula,
Rictrudis, tuum poscimus auxilium,
Ut pro debitis nostrorum criminum
Impetrata delictorum venia,
Una tecum mereamur
Regnum possidere siderum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Rictrudis sponso,
sit laus et gloria Christo,
Pro cujus merito
jubilemus ei vigilando.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Enitet ut viola
redolens in vepribus orta
Mundo
Rictrudis, Dei famula.

2. Vasconiae genita
generoso germine vita
Claruit
Rictrudis inter filias.

3. Femina virtutis
data sponso nobilitatis
Rictrudis
Deseruit natale solum.

4. Juncta viro forti,
quem Francia nobilitavit,
Rictrudis
Fructificavit Domino.

5. Prolis sacratae
mater geniti genitaeque
Facta est Rictrudis
Mauronti et Eusebiae.

6. Hos peperit mundo
coelis paritura secundo
Rictrudis
Genitore spiritu sancto.

Responsoria.

1. Inclita Vasconiae
famosis finibus orta,
Sanguine nobiliter,
nobilius meritis
Rictrudis emicuit
V. Baptismique sacris
mox sancta renascitur undis.

2. Haec femina laudabilis
Meritisque honorabilis
Rictrudis egregia
Divina providentia
Pervenit in Galliam
V. Praeclaris orta natalibus,
Honestis alta
Et instituta moribus.

3. In meritis sanctae
Rictrudis te veneramur,
O rex omnipotens,
qui fructum mirificasti,
Quem protulit ipsa;
V. Coelis ac terris
est proles tota beata.

4. Nec caro nec mundus
nec rex impellere possunt,
Ut conjungatur
denuo sancta viro
Jam privata semel,
V. Ardens mente Deum
vitat inire thorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Naturae merito
carnis viduatur marito,
Renuntiat
Carnali thalamo.

2. Spreto carnali
se sponso spirituali
Confoederat
Rictrudis inclita.

3. Turturis ad vocem
fit turtur amore liquescens
Rictrudis
Ad sponsi sermonem.

4. Perspicuo vultu,
vario circumdata cultu
Nitens
Complacuit sponso.

5. Vestis, a qua tegitur,
est vernans purpura byssus,
Byssus pudicitia,
Crux signatur purpura.

6. O pia Rictrudis,
quae gaudes incola caeli,
Nos ope continua
adjuves et foveas.

Responsoria.

1. Concivis et rege simul
mirantibus actum
Femina plena Deo
contegit ipsa caput
Velamine sacro;
V. Hoc ipsi pridem
sacraverat almus Amandus.

2. Spernens illecebras
et pompas resque caducas
Aeternis inhiat
Jam fruitura Deo
Rictrudis egregia,
V. Ad sobrios habitus
mores conformiter ornat.

3. Terrenas opibus
mutavit provida coeli,
Hic dum Rictrudis
dulcia continuat
Praeconia Christi;
V. Sic, sua quae fuerant,
melius sunt dum referuntur.

4. Laude demus Dominum
in beata Rictrude,
Cujus fructus permanet
in aeternitate,
De qua non est ortus, qui
non sit Deo dicatus.
V. Benedictus Deus, qui talem
sibi elegit famulam.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Ad sepulchrum sanctae
delatus daemoniacus
puer virtute divina
et sanctae Rictrudis meritis
protinus sanatus discessit.

Responsoria.

1. Dignum erat, ut quae genuerat
Deo carnalem,
Parturire prolem
mereretur spiritualem;
V. Praeficitur sanctae
plebi, populo acquisitionis.

2. Actibus et verbis
monstrans exempla salutis,
Mores instituens,
morum vestigia praebens,
Pervigili cura
prodesse gregi satagebat.
V. Ipsa namque piissimo
affectu diligebat
sorores ut proprias filias.

3. Nec sumptas passim
nec confers res alienas,
Sed propriis refoves
muneribus famulos,
Reverenda Rictrudis,
V. Ut, bene quod vivunt,
in Christi laude tuum sit.

4. Gloriosa Dei
Famula, Rictrudis,
monilibus compta divinis,

Adstans ante tribunal
Aeterni regis
Hodie suscepit
perpetuae dignitatis
Gloriam psallens
Ore almifluo
V. Deposito carnis onere
Cum virtutum nectare
Adsistens Christi famula
Coram coelesti sponso.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beata Dei famula,
Rictrudis, adhuc posita
In terris mente devota
Christo haerebat in aethra.

2. In hac ergo die
digne laetemur,
Qua beata Dei famula
carnis vinculo soluta
justorum est choris sociata.

3. Jam conjuncta civibus
angelicis,
Nostri, petimus,
ut memineris,
Quatenus per orationem
tui mereamur
A nostrorum erratuum
nexibus absolvi.

4. Benedicimus te,
Domine Deus noster,
Cui omnis honor,
laus et benedictio
debetur perenniter,
Qui etiam hodie
dilectam tibi famulam
aeternam
sublevasti ad gloriam.

5. Omnes Dominum
laudant creaturae
in beatae
Rictrudis celebritate,
Quae relicta
hac die mortali gleba
Justis est
in gloria copulata.

Ad Benedictus.

A. Erat benigno animo
Et moribus conspicua,
Prudens et pudica,
Adspectu decora
Et in sanctis actibus
Fulgebat gloriosa.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beata Rictrudis,
gloriosa matrona,
Servorum tuorum pia
attende, quaesumus, obsequia
Et coram Deo crimina
nostra excusa
Vitaeque perpetuae
nobis obtine commoda.

Brev. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 134. A. — Brev. ms Marchianense saec. 12. Cod. Duacen. 135. B. — Brev. ms. Marchianense saec. 13. Cod. Duacen. 139. C. — Brev. ms. Marchianense saec. 13. Cod. Duacen. 138. D. — Antiph. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacen. 117. E. — Antiph. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacen. 118. F.

Dies Officium mit den zugehörigen Hymnen (vgl. Analecta XI, p. 237 sq.) ist von Hucbald. Vgl. J. Desilve, De Schola Elnonensi Sancti Amandi, Lovanii 1890. p. 107 sqq. not. 2; dazu Zeitschrift für kath. Theologie, 1891, S. 707 u. f. Es ist darum von besonderem Interesse und sind deshalb auch jene Teile beibehalten, die in Reimprosa geschrieben sind, um so mehr, als bei der eigentümlichen Mischung von ganzen und halben Versen mit Prosateilen und Teilchen oft schwer zu sagen ist, wo die gebundene Rede aufhört und die ungebundene anfängt.

Dasselbe Officium ward auch gebraucht in Elevatione sanctae Rictrudis, nur waren die Antiphonen der Laudes andere, welche nach A hier folgen mögen:

1. Haec claro satis exstitit oriunda germine Ernoldo nobili edita genitore.
2. Haec femina laudabilis meritisque honorabilis, Rictrudis egregia, divina providentia pervenit in Galliam.
3. Dei gratiam invenisti, Rictrudis sanctissima, nam manus tuae pauperibus semper erant largissimae; adesto nobis apud Dominum Jesum Christum.
4. Sancta Rictrudis, larga in pauperes miseransque pupillis, egenis et advenis prudenter dispensando virtute meritorum claruit in populis.
5. Miro affectu sororibus serviebat, pauperum curam gerens in omnibus, quapropter a cunctis diligebatur attentius.

88. De sancto Rumoldo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Triumphanti concordando
   Militans ecclesia
   Laeta colit exsultando
   Rumoldi solemnia.

2. Sidus ortum in Scotorum
   Regione nobile
   Lumen in Brabantinorum
   Terra dat mirabile.

3. In Machlina lux virtute
   Refulsit praevalida,
   Ubi facta statione
   Liquefecit gelida.

4. Sed ibidem lux eclypsim
   Passa sole clarius
   Relucescit non passura
   Defectum in amplius.

5. Crebris namque per Rumoldum
   Signis floret populus,
   Sed et terra, quae patronum
   Recipit divinitus.

R. O praeclarum sidus, rarum
   Nesciens, solatium
   Desperatis sospitatis
   Dans et vitae spatium,
   Caecis viam, harmoniam
   Surdis, moestis gaudium
   Et languorum diversorum
   Relevans supplicium.

V. Coeli vernans in roseto
   Divo madet rore,
   Contemplando vultu laeto
   Regem in decore.

Ad Magnificat.

A. Gratuletur et laetetur,
   Quidquid orbis continetur
   In figura sphaerica,
   Laus Rumoldi praedicetur,
   Quem laudando veneretur
   Nobiscum plebs coelica.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultando jubilemus
   Christo, rosae martyrum,
Qui Rumoldum in rosarum
   Vexit hortum floridum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stirpe natus ex serena
   Rumoldus vir inclitus
   Ad coelorum peramoena
   Suspirat medullitus.

2. Oriundus ex Scotorum
   Regali prosapia
   Honestate vitam morum
   Ornat ab infantia.

3. Sub tenella mox aetate
Crescens sapientia,
Vitae florens sanctitate
Spernit transitoria.

Responsoria.

1. Plebs Rumoldum veneretur,
Pia cujus moduletur
Laudes pleno pectore,
Vita cujus et doctrina
Quondam floruit Machlina,
Nunc dotata corpore.
V. Erectus namque
virtutum culmine,
Ut sol emicuit
plebis in agmine.

2. Hic est prudens et fidelis
Jacob, formam ob Rachelis
Parentes et patriam
Derelinquens, ad aspectum
Dei tendit per despectum
Spernens ignominiam.
V. Genus et delicias,
Culmen praesulatus,
Regales divitias
Celat vir beatus.

3. Archipraesulatus
functus officio,
Honorem respuens
non onus, solio
Relicto gloriae
latet exsilio;
V. Corpus domans
calcat supplicia,
Carnis in se
trucidans vitia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortu clarus generoso,
Virtute praeclarior,
In adspectu gratioso
Cunctis amabilior.

2. In virtutem de virtute
Tendens vir amabilis
Sedem Deo concedente
Scandit archipraesulis.

3. In honorem sublimatus
Humilis in gloria,
Rerum censu dilatatus
Vivit in penuria.

Responsoria.

1. Juxta verbum viri Dei
Novi velut Elisaei
Fecundatur sterilis,
Cujus natum sacro lavit
Fonte, demum quem privavit
Vita cursus fluminis.
V. Parentum itaque
sanctus solatium,
Vitae restituit
submersum filium.

2. Hostes tandem pietatis
Contemptorem copiae,
Amatorem veritatis
Cultu sub inopiae
Aestimantes paupertatis
Virum mactant impie.
V. Sic rubens rosula
cruore proprio
Coeli sublimia
petit martyrio.

3. O mirandum, praedicandum
Virum, cujus meritis
Turba cedit et obedit
Daemonum, quae militis
Sitit vitam jam attritam
Ab ipsa suppliciis.
V. Mox a turba
liber, qua premitur,
Semivivus
sospes efficitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Solum Deum concupiscens
Descendit de gloria,
Loca tendens ad deserta
Contemnit sublimia.

2. Tandem ductus in desertum
Sacro duce spiritu,
Ubi nunc Machlina sita,
Quievit a strepitu.

3. Ubi Jesum praedicavit
Vitae sanctae merito
Sed et cursum consummavit
Felici martyrio.

Responsoria.

1. Vetustate mulier
doloris vexata
Manum habens aridam
sanitate grata
Per Rumoldi merita
gaudet impetrata.
V. Christi servus
Christi miraculum
Vetus novum
facit per meritum.

2. Frigoris incommoda
Dum captiva quaerulatur,
Mira res: et tegmina
Tantum domi meditatur,
Vestium solatia
Sentit, quibus convelatur.
V. Caritatis
vestitus podere
Pater pius
succurrit miserae.

3. Vulpes gallum subito
capiens astuta,
Quo cavente mulier
matutinas tuta
Pulsans horologio
cessat destituta;
V. O precandi
Rumoldi meritum,
Reportat vivum
vulpes gallieulum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Deo nostro sit jucunda
Decoraque laus, qui munda
Corda replet gratia,
Qui divisa maris unda
Viam suis per profunda
Pandit ad coelestia.

2. Corda jubilent et ora
Decantando cum sonora
Voce laudes martyris,
Quem ad bona potiora
Hac in die mortis hora
Rex transvexit luminis.

3. Felix servus et beatus,
Dignitate non elatus
Nec parentum gloria,
Ab indignis trucidatus
Coelos scandit laureatus
Adepta victoria.

4. Sit haec dies praesens laeta,
Sit jucunda sine meta,
Qua valle miseriae
Relicta domoque spreta
Aegypti Christi athleta
Regem adit gloriae.

5. Quod sitivit, contemplatur,
Contemplando delectatur,
Delectando fruitur,
Perfruendo satiatur,
Satiatus non gravatur,
Dum sitit, quo pascitur.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
Deus Israelis,
Qui degentem servulum
Hic sine quaerelis
Vexit ad palatium,
Ubi demptis velis
Videt absque nubilo
Faciem in jubilo
Regnantis in caelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Rumolde, coeli rosa,
Quae jam in tam speciosa
Regis tabernacula
Introisti cum decore,
Quod sitisti, pleno ore
Gustans, per te macula
Peccatorum deleatur
Et aeternae conferatur
Vitae nobis gloria.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6 M 2. A. — Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Darmstadien. 394. B. — Diurn. ms. Mechliniense saec. 15. Cod. Archivii Gandaven. 100. C. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. D.

In 1. Noct. **A** 3, 2 Crescens in D. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Ortu carnis generoso D. — **R** 2, 3 paupertatis D. — In 3. Noct. **R** 1, 2 Dolor A. — Ad Laudes **A** 1, 4 diversa maris C. — **A** 4, 6 adiit D.

89. De sancto Severino.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Justitiae cultor,
Christi quoque semper amator
Nunc olimque tua
nos pietate juva,
Exorans regem
pro nobis cuncta regentem,
Ut vita coeli
det, Severine, frui.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adorabilem collaudemus
Dominum, cujus gratia
Scandens astra Severinus
Decoravit aethera.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Dei Severinus,
Coelesti virtute auctus,
Mundo fuit percelebris
Virtutibus mirificis.

2. Hic longa pace nobilis
Dum vita comes exstitit,
Ecclesiae Coloniensis
Eximius praesul fuit.

3. Nocte quadam intempesta
Dum sopori dedit membra,
Voce discit angelica:
Exsul fies Burdigalam.

Responsoria.

1. Sanctus pater Severinus,
Coloniensis episcopus,
Dum vita comes exstitit,
Mundo fuit percelebris
Virtutibus mirificis,
V. Digne ministrans Domino
In suo episcopio.

2. Post multos tandem labores,
Quibus Christo digne placet,
Nocte quadam intempesta
Dum sopori dedit membra,
Divinitus admonetur,
Suam relinquat patriam
Et adeat Burdigalam.
V. Attentus bonus vernula
Jussa stupet dominica
Certusque suae remunerationis
Paret voto divinae praeceptionis.

3. Festinus iter arripit
Burdigalamque expetit,
Ab episcopo Amando
Suscipitur cum gaudio.
V. Clerus occurrit jubilans
Et populus congratulans,
Dantur laudes in excelsis
Pro adventu tanti patris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tandem pervenit ad urbem,
Quam vocitant Burdigalam,
Quam tunc regebat pontifex
Amandus caro nomine.

2. Dulcia dantur famina
Atque miscentur oscula,
Gloriam Christo Domino
Dat simul tota concio.

3. Dolet Amandus pontifex
In sancti hujus funere,
De quo gaudent coeli cives
Nosque laetamur supplices.

Responsoria.

1. Florent altis virtutibus
Amandus et Severinus
In urbe Burdigalensi
Nulli priorum secundi.
V. Precibus coelum penetrant
Et sui gregis
Augmento tripudiant.

2. Devotae mentis animo
Nobilis plebs Burdigalae
Benedicat Christo Deo
Et beati Severini
Collaetetur solemniis
Ejus subnixa meritis.
V. Exsultet laude condigna
Sancti hujus praesentia.

3. Adest dies laetissima
In tanti patris gloria,
Qua spiritum reddidit Christo
Cum angelorum gaudio.
V. Exsultet plebs Burdigalae
Pro tanti patris gloria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Salvatur plebs Burdigalae
A Gotorum gravi turma,
Quos subvertit sanctus iste
Tristi confuso dolore.

2. Divina jubet pietas
Imbribus rigari terras,
Orat sanctus pro populo,
Datur serenitas coelo.

3. Gloriose Christicola,
Adstantem plebem robora,
Ut Christo Deo placeat
In pace degens tempora.

Responsoria.

1. Dies versantur animo
In sancti hujus jubilo,
Cum Gotorum graves turmae
Vallant muros Burdigalae,
Quas subvertit digna prece
Severinus Christo duce.
V. Offendunt hostes amari
Sanctum Domini servulum
Hastasque vibrant rigidas
In se suasque catervas.

2. Imbres funduntur tumidi
Judicio summi Dei,
Orat sanctus pro populo,
Datur serenitas coelo.
V. Supplices fundit gemitus
Totus in unum populus,
Ut adjuvet Severinus.

3. Sancte pater Severine,
Nostris precibus intende
Et pro nobis roga Deum,
Qui te nobis constituit
Doctorem atque patronum.
V. Subleva nos
tuis intercessionibus
Ante pium
Domini conspectum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vir virtute mirabilis,
Severinus Coloniensis,
Deo dilectus et hominibus,
Coeli junctus est civibus.

2. Hujus nobis memoria
In benedictionibus fiat,
Quem in conspectu hominum
Christus Deus magnificat.

3. Resplenduit prodigiis,
Verbis monstra compescuit,
Benedixit per omnia
Dominum in via sua.

4. In augmento boni gregis
Deo lucrum reportavit,
Cujus crucem bajulando
Gaudet coronatus lauro.

5. Sit semper adjutor pius
Nec servulos spernat suos,
A Christo nobis donatus
Et in hac terra positus.

Ad Benedictus.

Sancte pater Severine,
Nostris precibus intende
Et pro nobis roga Deum,
Qui te nobis constituit
Doctorem atque patronum.

Ad Matutinum.

Adsunt nobis celebria
Severini solemnia,
Ejus juvemur precibus,
Quem prosequimur laudibus.

Brev. ms. S. Michaelis Burdigalen. saec. 15. Cod. Burdigalen. 86. A. — Brev. Burdigalense imp. 15 * * B. — Brev. Vasatense imp. Vasati 1530. C. In 1. Noct. **A** 2, 1 Hinc longa A. — **R** 3, 1 arripuit A. — In 3. Noct. **A** 1, 3 Quas A. — C hat in der zweiten Vesper fünf **AA**: 1. Adsunt nobis celebria = 2. Vesp. ad Magn.; 2. Salvatur gens Burdigalae = 3. Noct. **A** 1; 3. Divina jubet pietas = 3. Noct. **A** 2; 4. Gloriose Christicola = 3. Noct. **A** 3; 5. Euntes ibant et flebant etc. Die Antiph. der 1. Vesp. ad Magn. steht in der zweiten, statt ihrer in der ersten eine prosaische.

90. De sancta Sunniva.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Gaude, felix Hibernia,
Tuae reginae gloria,
Mundi regnum spernentis,
Qua patrona Norwegia
Freta cum turma socia
Nutu Dei viventis.

2. Ex Hibernis proscriberis,
Dum pro fide catholica
Tu cum tuis zelaris,
Fac nos fermenti veteris
Extorres, Deo supplica,
Quae tot auxiliaris.

3. Cum sis profecta peregre
Fide mereris patriam
Repromissam renatis,
Junge nos Deo integre
Per vitae sanctimoniam
Monte martyrizatis.

4. In hac sancta familia
Tu princeps, virgo regia,
Bergensium patrona,
Quae domans in jejunio
Carne, mundo, daemonio
Victis fulges corona.

5. Spirituales nuptiae
Christi, martyrum hodie
In coelis celebrantur,
Licet nobis sint annuae,
Tibi, Jesu, continuae,
Duc nos, ubi laetantur.

Ad Magnificat.

A. Adest dies immensi gaudii,
Quo cum turma miri martyrii
Reginarum decus et gloria
Regum regis intrat palatia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad Selinensium
Sacra solemnia
Plaudat fidelium
Mater ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Secus decursus fluminum
Plantat justorum vineam,
Qui martyrum et virginum
Aptat agoni lauream.

2. Sors felix hujus populi
Migrantis monte Selio,
Qui sprevit plausum saeculi,
Plaudit in Dei filio.

3. Viperarum genimina
Oderunt sanctos Dei,
Quos dat virtus intermina
Aeternae requiei.

Responsoria.

1. Manum virgo mittit ad fortia,
Spernit opes, spernit imperia,
Sed et thori spernit consortia
Cum turma socia.
V. Pollens virtutibus
Et pellens vitia
Paternis urbibus
Praefert exsilia.

2. Freta Dei consilio
Cum suis virgo regia,
Dum tristem locum Selio
Post transitum per maria
Intrat pro patris solio
Sub vita solitaria;
V. Frigus, aestus, sitis, jejunia
Sanctos probant in patientia.

3. O Sunnivae mira constantia,
Quam non movet regnandi gloria,
Nec horrenda frangunt exsilia,
Spatiosa nec terrent maria,
V. Hanc immensa sequens familia
Nulla flecti valet injuria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hi orthodoxi latria
Scuto benignitatis
Fulgent, fidei gratia,
Spei et caritatis.

2. Hi montibus sub insulae
Sunt sancti comminuti,
Sed supra montem speculae
Congaudent constituti.

3. Cedunt in fine finibus
Ut Abraham paternis,
Pro mundanis affectibus
Gratulantur aeternis.

Responsoria.

1. Hujus sacri palatii
Patrona imploraris,
Ad preces gregis anxii
Libens sollicitaris,
Ne manus hostis impii
Nos turbet, tuearis,
V. Nec reos nos judicii,
Consilii, incendii,
Sis via salutaris.

2. Olim vestita mollibus
Sunniva cum familia,
Post haec ciliciata,
In quam jactis lapidibus
Ex inaudita furia
Gens saevit insensata.
V. Virgo degit sub rupibus
In fame voluntaria
Et carne macerata.

3. Innocentes devote vivere
Captant, quaerunt desertum propere,
Quos infestant coloni temere,
Credunt lupos sub agni vellere
V. Salvat verbum incarnatum
Hos agentes coelibatum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caput sub luce proditum
Praeter vires naturae
Prodit locum incognitum
Sanctorum sepulturae.

2. His ex vivis palmitibus
Dat fructus gratiosos
Vitis tollens fidelibus
Excessus scelerosos.

3. Te decet, rex, hymnidicis
   Laudibus adorari,
Qui sanctos de te reficis
   Calice salutari.

Responsoria.

1. Turbare turbam virginum
   Comes Haquinus nititur,
Feralia libidinum
   Edicta amplectitur,
Membrum mortis, vir sanguinum
   Frustratus spe confunditur.
V. Dum haec preces ad Dominum
   Fudit virgo, protegitur,
Spe, fide sponso virginum
   Sponsa cum suis jungitur.

2. Ne foedet furor gentium
Concentum innocentium,
   Ad montem properatur,
Subit ultro martyrium,
Virgo sub mole montium
   Cum suis victimatur.
V. Post cursum praesens stadium
Coeleste per obsequium
   Sunniva laureatur.

3. Hi sancti tabernaculum
   Sunt Dei cum hominibus,
      Quod Jesus consecravit,
Per quod nobis piaculum
   Deletur debitoribus
      Et hostis exsulavit.
V. O sublime spectaculum,
   Quam libenter in talibus
      Rex Jesus triumphavit.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Per murum matris gremio
   Cadens exstinctus cernitur,
Parenti puer Selio
   Per sanctos vivus redditur.

2. In Sunnivae basilica
   Pernoctans caeca nata,
Gaudens luce mirifica
   Virgo redit sanata.

3. Vir turris cono corruit,
   Sancti salvant cadentem,
Muro turbo reposuit
   Fenestras facientem.

4. Matrona paralytica
   Ad hos sanctos accessit,
Domum ope dominica
   Incolumis recessit.

5. Charybdi navis laeditur,
   Sunniva imploratur,
Onusta manat, mergitur
   Dum haec evacuatur.

Ad Benedictus.

A. Ponte cadens virgo colliditur,
Ut curetur, a sanctis petitur,
Recidivat, dum votum frangitur,
Voto sospes grato regreditur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ex Hibernis superna bonitas
Sanctos misit per maris semitas,
Unde nobis fidei veritas
Crescit, cessat erroris caecitas.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. — In 1. Noct. **A** 3, 3 dat fehlt. — **R** 1, 2 sprevit imperia. — **R** 1, 3 sprevit consortia. — **R** 3, 1 O summe mira constantia gegen den Vers. — In 2. Noct. **A** 3, 2 Abraham de paternis. — In 3. Noct. **R** 1, 4 l: Edicta dum?

91. De sancto Suithuno.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laetare, plebs Ventoniae,
Gaude, gens Stanangariae,
Dum refert solis orbita
Nostri patris solemnia,
Suithunus dictus nomine,
Fide fortis et opere,
Per bonae vitae merita
Ascendit ad coelestia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exultare Deo
nos condecet et jubilare,
Suithunum cui complacuit
super astra vocare.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orthodoxis parentibus
Suithunus puer editus,
Legem servans dominicam
Vitam ducit durissimam.

2. Servit Deo in timore
Et exsultat cum tremore,
In sanctis vivens moribus
Exemplum praebet omnibus.

3. Multis cum virtutibus
Mirificavit Dominus,
De clericatus ordine
Sanctum parit justitiae.

Responsoria.

1. Sanctus Suithunus
pastor paterque futurus,
Ex orthodoxis
clarisque parentibus ortus,
V. A puero didicit
ferre jugum Domini.

2. Traditur ingenuis
studiis puer erudiendus
Doctrinisque sacris
et moribus instituendus,
V. Ascendens gradibus
presbyter efficitur.

3. Praesul Ventoniae
vacuam moriendo reliquit
Sedem, Suithunus
Domino donante recepit;
V. Hoc rex, hoc clerus
annuit et populus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deum amans fideliter
Sacratur ille presbyter
Sub Helmstano pontifice
Civitatis Vintoniae.

2. Honoris illum gloria
Coronat Dei gratia,
Divina spargens semina
Verbis et vita praedita.

3. Ales divini operis
Transmigrat in montem Dei,
Sancta illius anima
Templi fit sancti machina.

Responsoria.

1. Ordine sublimis
merito sublimior esse
Coepit et intendit
de sancto sanctior esse,
V. Mundi hujus tenebras
sprevit et illecebras.

2. Pauperibus miseris
semper solitus misereri,
Quae fuerant fracta,
reparavit pauperis ova,
V. Mirantes factum
magnificant Dominum.

3. Vivendi metas
adduxit labilis aetas,
Exit ab hac vita,
datur illi vita beata,
Obviat angelica
coeli cum rege caterva
V. Et cum laetitia
sede locat supera.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adesse cupit sedulo
Coelesti tabernaculo,
Ingressus sine macula
Requiescit per saecula.

2. Aeterno regi paruit,
Terreno et complacuit,
Dum bonum dat consilium
Et fidele obsequium.

3. Evoluto post tempore
Et defuncto antistite
Rege, plebe petentibus
Fit pater et episcopus.

Responsoria.

1. Congeries gibbi
miseranda gravabat egenum
Jam fuerat juncta
genibus junctura genarum,
V. Invenit auxilium,
dum venit ad tumulum.

2. Dives homo monstris
furialibus exagitatus,
Flatu pestifero,
vultus horrore gravatus,
V. Dum tumulum visit.
laetitiam repetit.

3. Signorum virtute potens
meritisque corruscans
Et super afflictos
omni pietate redundans
Festicolis miserere tuis,
Suithune, precamur,
V. Coetibus angelicis
per te jungi mereamur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praesul Suithunus,
virtutum lampade clarus,
Hanc linquens vitam
scandit ad aetheream.

2. Subreptum sibi terra patrem
languensque requirit,
Quo concive polus
gaudia festa facit.

3. Cum locus exiguum premeret,
cum vile sepulchrum,
Gloria virtutum
magnificabat eum.

4. Omnibus infirmis
factus medicina salubris
Omnes curat eos
pestibus a variis.

5. Laus tibi, summe Deus,
tibi coeli concio profert
Suithunusque pater:
laus tibi, summe Deus.

Ad Benedictus.

A. Laetabunda dies
anno currente revixit,
Gaudia festa facit,
solemnia laeta reduxit,
Dum Domini servus
Suithunus ad alta vocatur,
Ad superas sedes
mundi de valle levatur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magne sator mundi,
Suithunum magnificasti,
Te quoque Suithunus
gloria magnificat.
Illum de terra
magna virtute levasti,
Quemque levas coelo,
gloria magna tibi.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. — Inv., 3 ceu complacuit. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Hylinsthano pontifice. — In 3. Noct. **A** 2, 2 et fehlt. — **R** 1, 2 miseranda aggerat egesi.

92. De s. Thoma Cantuariensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Pastor caesus
in gregis medio
Pacem emit
cruore proprio;
Laetus dolor
in tristi gaudio,
Grex respirat
pastore mortuo;
Plangens plaudit
mater in filio,
Quia vicit
victor sub gladio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt Thomae
martyris solemnia,
Virgo mater
jubilet ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Summo sacerdotio
Thomas sublimatus
Est in virum alium
subito mutatus.

2. Monachus sub clerico,
clam ciliciatus,
Carnis carne fortior
edomat reatus.

3. Cultor agri Domini
tribulos evellit
Et vulpes a vineis
arcet et expellit.

4. Nec in agnos sustinet
lupos deservire,
Nec in hortum olerum
vineam transire.

5. Exsulat vir optimus,
sacer et insignis,
Ne cedat ecclesiae
dignitas indignis.

6. Exsulantis praedia
praeda sunt malignis,
Sed in igne positum
non exurit ignis.

Responsoria.

1. Studens livor
Thomae supplicio
Thomae genus
damnat exsilio,
Tota simul
exit cognatio,
V. Ordo, sexus,
aetas, conditio
Nullo gaudet
hic privilegio.

2. Thomas manum
mittit ad fortia,
Spernit damna,
spernit opprobria,
Nulla Thomam
frangit injuria,
V. Clamat cunctis
Thomae constantia:
Omne solum
est forti patria.

3. Lapis iste
sex annis tunditur,
Sic politur,
sic quadrus redditur,
Minus cedens
quo magis caeditur.
V. Aurum fornax
probat nec uritur,
Domus firma
ventis non quatitur.

4. Post sex annos
redit vir stabilis,
Dare terrae
testae vas fragilis,
Christo vasis
thesaurum fictilis;
V. Ne sit lupis
praeda grex humilis,
Se pro grege
dat pastor nobilis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Satanae satellites
irrumpentes templum
Inauditum penetrant
sceleris exemplum.
2. Strictis Thomas ensibus
obviam procedit,
Non minis, non gladiis
sed nec morti cedit.
3. Hosti pandit ostium
hostia futurus
Et pro domo Domini
stat in hostes murus.
4. Patrem nati perimunt
in sinu materno,
Rubet matris facies
sanguine paterno.
5. Fusum spargunt cerebrum
gladiis funestis,
Et invicta perstitit
victima coelestis.
6. Sol inclinans radios
ad occasum tendit,
Cum sol iste solium
coelicum conscendit.

Responsoria.

1. Jacet granum
oppressum palea,
Justus caesus
pravorum framea,
Coelum domo
commutans lutea.
V. Cadit custos
vitis in vinea,
Dux in castris,
cultor in area.
2. Ex summa
rerum laetitia
Fit summus
planctus in ecclesia
De tanti
patroni absentia,
Sed cum redeunt miracula,
Redit populo laetitia;
V. Concurrit
turba languidorum,
Consequitur
gratiam beneficiorum.
3. Mundi florem
a mundo conteri,
Rachel plorans
jam cessa conqueri,
Thomas caesus
dum datur funeri,
Novus Abel
succedit veteri;
V. Vox cruoris,
vox sparsi cerebri
Coelum replet
clamore celebri.
4. Christe Jesu,
per Thomae vulnera,
Quae nos ligant,
relaxa scelera,
Ne captivos
ferant ad infera
Hostis, mundus
vel carnis opera;
V. Per te, Thoma,
post laevae munera
Amplexetur
nos Dei dextera.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Felix locus,
felix ecclesia,
In qua Thomae
viget memoria,

Felix terra,
quae dedit praesulem,
Felix illa,
quae fovit exsulem;
Felix pater,
succurre miseris,
Ut felices
jungamur superis.

Domum, portam,
sepulchrum visita,
Et a trina
nos morte suscita;
V. Actu, mente
vel usu perdita
Pietate
restaura solita.

Responsoria.

1. Ferro pressos
Thomas exonerat,
Vincla solvit
et seras reserat,
Sanat aegros,
obsessos liberat,
V. Placat bella,
tyrannis imperat,
Sedat fluctus
et flammas temperat.

2. Thomae cedunt
et parent omnia,
Morbi, pestes,
mors et daemonia,
Ignis, aer,
tellus et maria;
V. Thomas mundum
replevit gloria,
Thomae mundus
praestat obsequia.

3. Novis fulget
Thomas miraculis,
Membris donat
castratos masculis,
Ornat visu
privatos oculis,
V. Mundat leprae
conspersos maculis,
Solvit mortis
ligatos vinculis.

4. Jesu bone,
per Thomae merita
Nostra nobis
dimitte debita,

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Granum cadit, copiam
germinat frumenti,
Alabastrum frangitur,
fraglat vis unguenti.

2. Totus orbis martyris
certat in amorem,
Cujus signa singulos
agunt in stuporem.

3. Aqua Thomae quinquies
varians colorem
In lac semel transiit,
quater in cruorem.

4. Ad Thomae memoriam
quater lux descendit
Et in sancti gloriam
cereos accendit.

5. Tu per Thomae sanguinem,
quem pro te impendit,
Fac nos, Christe, scandere,
quo Thomas ascendit.

Ad Benedictus.

A. Opem nobis,
o Thoma, porrige,
Rege stantes,
jacentes erige,
Mores, actus
et vitam corrige
Et in pacis
nos viam dirige.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Salve, Thoma, virga justitiae,
Mundi jubar, robur ecclesiae,
Plebis amor, cleri deliciae,
Salve, gregis tutor egregie,
Salva tuae gaudentes gloriae.

Brev. ms. Hollandense saec. 13. Cod. Collegii Universit. Oxonien. 101. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Eduense saec. 13. Cod. Belnen. 26. B. — Brev. ms. Bituricense saec. 14. Cod. Parisien. 745. C. — Cod. Londinen. Harl. 4093. saec. 14. fol. 93b sqq. D. — Brev. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 1512. E. — Brev. ms. Sarisberiense anni 1434. Cod. Parisien. 17294. F. — Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. 116. G. — Brev. ms. S. Florini ad Confluentes saec. 15. Cod. Semin. Maguntin. s. n. H. — Brev. ms. Parisien. saec. 15. Cod. Parisien. 1263. I. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 52. saec. 15. K. — Brev. ms. S. Floriani XI 429. saec. 15. L. — Brev. ms. S. Floriani XI 478. saec. 15. M. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. N. — Brev. Herefordense imp. Rotomagi 1502. O. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. P. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. Q. — Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528.) R. — Brev. Agathense imp. Valentiae 1510. S. — Brev. Athanatense imp. in Coenobio Athanatensi 1520. T. — Brev. Masiliense imp. Lugduni 1530. U.

Einige Teile dieses Officiums stehen in Cod. Londinen. Add. 16964 (ol. Stabulen.) saec. 12, woraus die frühe Abfassungszeit des Officiums erhellt. Die Verehrung des Heiligen folgte seinem Martyrium unmittelbar. So ward in Salzburg nur acht Jahre nach seinem Tode eine Kapelle geweiht zu Ehren der hl. Gertrudis und Thomas von Canterbury.

Das Officium gehört wie zu den vollendetsten Reimofficien, die es giebt, so zu den verbreitetsten. Ebendeshalb bietet die Feststellung des Textes bedeutende Schwierigkeiten. Es kann keinem Zweifel unterliegen, dafs die monastische Form dem Officium ursprünglich ist. Denn einmal bleiben, wenn die kürzere Form gewählt wird, zu viele offenbar genuine Teile übrig, und zweitens wird der historisch fortschreitende Gedankengang, der sich durch Antiphonen und Responsorien ununterbrochen hinzieht, stets gestört. Es behandelt nämlich die 1. Nokt. das Exil, die 2. das Martyrium, die 3. die Wunder. Auffallend ist in dem tadellos rhythmischen Officium das zweite Responsorium der zweiten Nokturn, das völlig abweichend gebaut ist und den ungenügenden Reim miracula — laetitia bietet. Es ist mir aber keine einzige Fassung des Officiums vorgekommen, in der dasselbe fehlte, auch keine der nicht-monastischen Breviere. Letztere lassen bald dieses, bald jenes fort; dies Responsorium haben sie alle. Man wird sich also bescheiden und es an seiner Stelle lassen müssen. Anderseits bleibt auch bei Anwendung der monastischen Form eine augenscheinlich echte Antiphon übrig. L bietet dieselbe ad Nonam; das Brev. Arosiense (Basel 1513) als Ant. 3. Noct. 3; CI als Ant. 1. Noct. 3:

Fraglat virtus arboris Arbore praecisa,
Matrem proles liberat Nequiter occisa,
Plaudat mater filio Lite jam decisa,
Regnum sacerdotio Cum sint indivisa.

Der Sarum use bietet in 1. Vesperis folgende Prosella, die man nicht für echt halten kann wegen des falsch betonten Ut libera im zweiten Verse, obschon sie sonst ganz den Stil des Officiums trifft:

Clangat pastor in tuba cornea,
Ut libera sit Christi vinea,
Quam assumpsit sub carnis trabea,
Liberavit cruce purpurea.
Adversatrix ovis erronea
Fit pastoris caede sanguinea,
Pavimenta Christi marmorea
Sacro madent cruore rosea.
Martyr vitae donatus laurea
Velut granum purgatum palea
In divina transfertur horrea.

In 1. Noct. ist in K **A**. 3. = **A**. 4; **A**. 4 aber lautet:

O lux coelorum, Jesu, spes alma bonorum,
Nos pius exaudi meritis Thomae martyris sancti;
Te nunc laudantes, orantes, glorificantes
V. Respice de coelo, servos serves ut in aevum.

In 2. Noct. sind die **AA**. 5 und 6 umgestellt in A, was aber der Aufeinanderfolge der Erzählung widerstreitet.

In 2. Noct. fehlt **R** 1 in K; dafür folgt als **R** 4 ein prosaisches: Justum deduxit etc. In 3. Noct. ad Cant steht ebenda die **A** ad Magn. aus der zweiten Vesper, in dieser die **A** Felix locus etc. Bei der guten Überlieferung des Textes nehme ich davon Abstand, die übrigen Varianten, meist Schreibfehler, aufzuführen. — Die Hymnen zum Officium aus A siehe Analecta IX, p. 247 sq., aus K siehe Analecta IV. p. 245.

93. De s. Thoma Cantuariensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Martyr Thoma,
martyr Dei pretiose,
Qui lavisti stolam tuam
in agni Dei cruore,
Alleluja; filiorum
ad te clamantium
voces admitte,
Et quos honorasti
tua sancta passione,
Adjuva
pia intercessione.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo victori Domino
Jubilemus corde pio,
Qui Thomam natali suo
Coronavit martyrio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Amore fervens divino
Thomas in pontificio
Sprevit viam peccantium
Legis Dei tenens statum.
2. Verbo potens et actibus,
Divinae legi deditus,
Praevaricantes increpat
Praecepta vitae intonans.
3. Dei praeventus gratia
Occultat vitae merita,
Thomas indutus clanculo
Cuculla cum cilicio.

Responsoria.

1. Sacrat Thomas primordia
Praesulatus cum gratia,
Carnem terit cilicio
Destinatam martyrio,
Vita et veste monachus
Mores informat artius.

V. Extunc Christo vivere,
Christo parere studuit
Verbo, affectu et opere.

2. Vir invictae constantiae
Deo disponens vivere,
Se ipsum opponit murum
Contra incursus hostium,
Ne subvertant ecclesiam
Dei, cujus agit causam,

V. Qui nec frangi novit minis
Nec molliri blanditiis.

3. Instabant modis variis,
Ut jus ecclesiae regis
Conferrent in arbitrium,
Sed Thomas illudens dolum
Adjecit Dei honorem
Salvum et suum ordinem.

V. O praedicanda saeculis,
O miranda sacerdotis
Confessio,
Cujus praefulget merito
Martyrum in numero.

V. Erat forma decorus,
Perspicax ingenio,
Prudens, dulcis eloquio.

2. Testantur tria pro martyre,
Spiritus, aqua cum sanguine,
Nam sancto praestante flamine
Thomae sanguis in potu aquae
Mortuos restituit vitae.

V. Excitae gentes undique
Miraculorum fulgure
Concurrunt afferentes
Munera, vota, preces.

3. Ut constaret omnibus,
Quod sit Thomas palma dignus,
Ensis fractus in lapide
Signum dedit victoriae;
Christus, petra justitiae,
Arma fregit malitiae.

V. Ut staret libertas ecclesiae,
Occurrit praesul gladiis,
Sponte jus lapsum
Redempturus sanguine.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Preces Thomae cum fletibus,
Infusae Dei auribus,
Reductum ab exsilio
Dignum reddunt martyrio.

2. Laetentium proscriptio
Patris Thomae martyrio
Laudis adauxit titulum,
Quo stravit adversarium.

3. Arcum tetendit impius
Pium petendo fraudibus,
Utrumque sed justissimus
Interrogabat rex Deus.

Responsoria.

1. Thomas, martyr sanctissimus,
Antistes, Cantuarius,
Lundoniis oriundus
Justis piis parentibus,
A primi aevi tempore
Donis ditatur gratiae;

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Thomae fides et actio
Formam dedere proximo,
Per quam malignum sternere
Cristumque possit cernere.

2. Pro sancti Thomae meritis
Caecus videt, surdus audit,
Claudus currit, lepra fugit,
Redduntur vitae mortui.

3. Montem virtutum scandere
Thomam, fideles, cernite,
Mentes manus attollite,
Illum sequi contendite.

Responsoria.

1. Ad sedandam tyrannorum
Superbiam
Ostendit Thomas signorum
Potentiam,
Et statim fide firmata
Pace gaudet ecclesia.

V. Deus sanctum
suum mirificavit,
Quem victorem
in coelis coronavit.

2. Patris dum crebrescunt prodigia,
Nova prole gaudet ecclesia,
Thomae preces funduntur et
vota,
Thomas sanat mentes et corpora.

V. Dantur aegris certa remedia,
Claudis gressus et caecis lumina.

3. Ex ejus aqua sanctissima
Curatur pestis varia,
Qua potati sanantur aegri,
Mutis loquela redditur,
Et debilis quisque
Laetus revertitur.

V. Alternatim ruunt languidi
Consequi properantes,
Quae martyr prestat, beneficia.

Prosula.

1. Potestate reddit laesos
sanguinis effusio,
Thomas nautis desolatis
adstitit periculo.

2. Redonatur vita functis,
leprae fugat laesio,
Fantur muti, currunt claudi
ejus patrocinio.

3. O quam probat sanctum Dei
trium mutilatio
Et eisdem resignata
nova quaeque portio.

4. Ergo melos sancto Thomae
plebis sonet concio,
Nam qui pie petit illum
pulso procul vitio,
Laetus efficitur.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. O Thoma, martyr prepotens,
Jam pace Christi perfruens,
Ornas polum praesentia,
Terris ades potentia.

2. Consummatus in gloria
Planxisti morte invida,
Solutus carnis vincula
Ter vivis per miracula.

3. Digne conjunctus es
martyrum Christi
consortio,
Qui hostia viva
esse studuisti
spontaneo martyrio.

4. Auxilio divino fortis
Superasti principem mortis;
Nos, pater, infirmos
Adversus illum robora
Et, ut vincamus, adjuva.

5. Portas mortis et inferni
Nesciant tui servuli,
Sed portas paradisi resera
Potestate tibi tradita.

Ad Benedictus.

A. O mira dispensatio
Dei, qui affectu pio
Cuncta justo judicio
Disponit ab initio,
Pios pie remunerans,
Pravorum finem reprobans;
Benedictus hinc Dominus,
Pater, verbum et spiritus.

In 2. Vesperis.

R. Praecisus cortex
virtutum fudit odorem,
Arborem excepit
mutilare gloria florem,

V. Arbor odorifera est
Thomas, flos spiritus ejus.

Ad Magnificat.

A. O martyr constantissime,
Confessor invictissime,
Thoma, gemma sacerdotum,
Laus Francorum, laus Anglorum,
Rege, pater, ecclesiam,
Pro qua fudisti sanguinem
Et pro salute omnium
Funde preces ad Dominum.

Antiph. ms. Bellovacense saec. 14. in. Cod. S. Genovefae Parisien BBl. Fol. 26. A. — Antiph. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracen. 40. B. — Invit. lautet in B:

Exsultemus Domino, Summi regis filio,
Qui sancto Thoma palmam Dedit et coronam.

In 1. Noct. **A** 1, 1 Ardore fervens B. — **A** 1, 2 ut pontificio B. — **A** 3, 3 Thomas inclitus clanculo A. — **R** 1, 1 Sancte Thomas A. — **R** 2, 6 Dei curas agit. — In 2. Noct. **AA** = **A** 2, **A** 3, **A** 1 Noct. 3. B. — **A** 1, 2 Infunde Dei B. — **R** 1 = **R** 2 sec. Noct B. — **R** 3 lautet in B:

Ex summa rerum laetitia
Summus fit planctus in ecclesia
De tanti patroni absentia,
Sed cum redeunt miracula,
Redit populo laetitia;
V. Cucurrit turba languidorum
Et consequitur gratiam beneficiorum.

In 3. Noct. **A** 1 = **A** 1 primi Noct. B. — **R** 2 ebenda:

Quam pulchra, quam sancta
Sunt, beate, tua praeconia,
Ignis accensus exstinguitur,
Exstinctus accenditur,
Terra, quos premit, non opprimit,
Ventus quiescit, mare obedit.
V. Quoniam fideliter Subjecisti creatori
Deo, mirabiliter Tibi servit creatura.

R 3 = **R** 3 sec. Noct. B. — Prosula fehlt B. — Ad Ben. **A** in B:

In paradiso ecclesiae Et virtutum dulcedine
Flagrantiam coelestium Spirat Thomas aromatum.

In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch. B.

94. In Translatione s. Thomae Cantuariensis.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest Thomae martyris
Optata translatio,
Qui divini numinis
Fulget beneficio;
Gaudeamus et psallamus
Ad honorem praesulis,
Ut virtutem et salutem
Suis praestet famulis.

Ad Magnificat.

A. Ave, Thoma, vir insignis,
Forma patientiae,
Virtutum praefulgens signis,
Defensor ecclesiae,
Tuis impetra benignis
Respiramen veniae,
Quam benignus dat indignis
Distributor gratiae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Qui Thomam egregium
Magnifice mirificat
Et miranter honorat.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lignum odoriferum
Flore est translatum,
Quod floret uberius
Redoletque dulcius
Celsius locatum.

2. Praedicavit hic praeceptum
Domini viriliter,
Est in ejus monte sancto
victurus perenniter.

3. Insurgebant
In Christum Domini
Patenter plurimi,
Obstabant potenter.

Responsoria.

1. Volens Deus populo
Prospere prospicere
Pretiosum martyrem
Curavit extollere,
Cujus exaltatio
Nobis sit remissio.
V. *Anno quinquagesimo martyrii sui solemniter est translatus.*

2. Annus adest pacis,
belli terrore remoto
Crescit in orbe quies
et rerum copia toto;
V. Translato Thoma
succedunt prospera cuncta.

3. Annus iste jubilaeus,
Omni plenus gaudio,
Quem providit esse Deus,
Fiat relaxatio
Debitorum et servorum
Certa liberatio.
V. Quod lex contulerat,
data Thomae gratia donat.

Responsoria.

1. Virtutum immensitas
Ultra maris semitas
Nomen Thomae deportavit,
Qui multorum defraudavit
Daemonum praestigia
Et morborum denodavit
Nexus et flagitia.
V. Innovantur vetera
Pietatis opera
Et jugis in Thoma
Manet Christi gratia.

2. O Thoma, prae ceteris
Martyribus clare,
Nobis posce miseris
Donum salutare,
Ut detur cum superis
Nobis habitare;
V. Annue, salvator,
Thomae dilectus amator.

3. Ad Thomae memoriam
Currant, qui gravantur,
Poscant ejus gratiam,
Orent, ut salventur,
Ut misericordiam
Dei consequantur;
V. Crimina deplorent,
cordis singultibus orent.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exaudivit Dominus
Thomam invocantem,
Qui pro nobis audiat
pie supplicantem.

2. Thomas coram Domino
vixit in timore,
Ideo cum Domino
regnat cum decore.

3. Coronatur pontifex
gloria decoris,
Qui coronam perdidit
ictu percussoris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justus pro justitia
Stare non vitavit,
Aequitatem Dominus
Ejus approbavit.

2. In excelsis pontifex
Habitat securus,
Qui pro domo Domini
Firmus erat murus.

3. Thomae desiderium,
Christe, tribuisti,
Ad te per martyrium
Sequi voluisti.

Responsoria.

1. Praesul Christi pretiosus,
Ornatus virtutibus,
Velut hortus speciosus
Circumseptus floribus,
Cujus rigant aromata
Mundi diversa climata;
V. Plenus erat rore,
divino plenus odore.

2. Fons iste scaturiens
Est a fonte prodiens,
Qui nescit deficere,
Cujus aquae saliunt,
Vivunt et reficiunt
Fessos in itinere;
V. Fons fugat ardorem,
recreat redditque vigorem.

3. Summe Deus, quo fulcimur,
Solve, quibus irretimur,
Delictorum vincula,
Repelle pericula,
Quae meremur, quae veremur,
Dimitte debita
Martyris per merita.
V. Corrige mores,
Dirige gressus,
Erige mentes.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Summa cum laetitia
Thomas est translatus
Et ad Christi gloriam
Decenter locatus.

2. Tenebatur pontifex
Loco prius humili,
In sublimi positus
loco jacet nobili.

3. Plebs devota veniat
ad Thomae memoriam,
Ut ejus suffragio
consequatur veniam.

4. Confluant ad martyrem
a diversis partibus,
Ut salventur languidi
variis languoribus.

5. Exuant, qui veniunt,
vestem vetustatis,
Vestem novam exigit
festum novitatis.

Ad Benedictus.

A. Celebremus venerandi
Praesulis ac martyris
Inclitam translationem,
Ut per eum transferamur
Ab hac vita fragili
Ad aeternam mansionem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix praesul,
martyr egregie,
Felix miles
regis justitiae,
Felix pastor,
gregis suspiria
Intuere
mente propitia,
Felix pater,
exora Dominum,
Ut nos salvet
salvator omnium.

Brev. ms. Sarisberiense? saec. 14/15. Cod. Londinen. Sl. 1909. — In 1. Noct. A 1, 2 Foret est translatum. — In 2. Noct. A 3, 3 zum Verständnisse des Wortspieles sei bemerkt, dafs corona hier an zweiter Stelle gleichbedeutend ist mit tonsura. — In 3. Noct. R 2, 8 recidat redditque.

95. De s. Thoma Herefordensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In coelesti gloria,
 qua gaudent angeli
 Regnat Thomas, Dominum
 laudate pueri.
2. Omnes gentes, psallite
 in laudem Domini,
 Senes atque juvenes
 et omnes populi.
3. Justus laudet Dominum,
 qui justos diligit,
 Compeditos liberat,
 elisos erigit.
4. Non est speciosa
 laus in ore peccatoris,
 Justorum jucunda
 est laudatio decoris.
5. Sion, psalle jugiter
 Concentibus sonoris,
 Thomas cantat dulciter
 Cum angelorum choris.

R. Homo mutus,
 qui lingua caruit,
 Ventri victum
 vi manus impulit,
 Thomam rogat,
 linguam obtinuit,
 Linguis loqui
 diversis meruit.
V. Zachariae
 qui os aperuit,
 Muto linguam
 per Thomam tribuit.

Ad Magnificat.

A. O pater pietatis,
 O gemma praesulum,
 Lucerna claritatis,
 Illustrans saeculum,
 Medela sanitatis
 Ad te currentium,
 Nos purgans a peccatis
 Gaudere cum beatis
 Fac in perpetuum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt Thomae praesulis
 festa laetitiae,
Adoremus et laudemus
 regem gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Thomas pestilentiae
 cathedra non sedit,
 Legem implens tempore
 fructum vitae dedit.
2. Hic praeceptum Domini
 praedicans timore,
 Non servi sed filii
 servivit amore.
3. Non timebat impios
 pius adversantes,
 Justos salvat Dominus
 in ipso sperantes.

Responsoria.

1. Pater pius,
 pastor prudentiae,
 Escis alit
 oves ecclesiae,
 Thomas thema
 fit temperantiae,
 Jaspis gestu,
 judex justitiae.
V. Non infirmant
 fortem fallaciae,
 Dona, decus,
 damna, divitiae.
2. Erant Thomae
 mores: humilitas
 Corde, simul

in ore veritas,
Actus simplex,
fides, spes, caritas,
V. Lectus, cibus,
vestis asperitas
Et mens munda
carnis et castitas.

3. Nautae maris
passi naufragia
Thomae vovent,
petunt suffragia,
Lux de caelis
descendit ignea,
Cessant, cedunt
cuncta contraria.
V. Tres candelae
luce siderea
Sunt accensae,
mulcentur maria.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mundi sprevit gloriam,
sprevit vanitatem,
Non quaerit mendacium,
quaerit veritatem.

2. Peribit vir sanguinum
et spes impiorum,
Erit exspectatio
laetitia justorum.

3. Super coelos inclitus
Thomas elevatus
Honore et gloria
regnat decoratus.

Responsoria.

1. Parens partus
septies fecerat,
Sed defunctos
octavo tulerat,
Abortivum
hunc mensuraverat
Servo Dei,
quem sanctus suscitat.
V. Ecce, Deus
sanctum mirificat,
Qui defunctum
fetum vivificat.

2. Pastor hosti
murum opposuit,
Nec laborem
nec mortem timuit,
Vi praedonem
praeda destituit,
Domus Dei
jura restituit.
V. Magnus magna
fecit et docuit,
Pia cunctis
exempla praebuit.

3. Praesul pascens
gregem dominicum
Ad mensuram
partitur triticum,
Duplum refert
talentum traditum,
Post laborem
intrat in gaudium.
V. Omnes quidem
currunt per stadium,
Thomas currens
accepit bravium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Malignus in nihilum
huic justo deductus,
Operum justitiae
gloriosus fructus.

2. Posuisti capiti
Thomae glorioso
Coronam de lapide,
Christe, pretioso.

3. Mundus, verax, innocens
per dilectionem
Accepit a Domino
benedictionem.

Responsoria.

1. Mundi Thomas
furores temperat,
Famem pellit,
a peste liberat,
Firmat pacem,
salutem reparat,
V. Terrae, mari
et ventis imperat,
Fugat mortem
et vitam comparat.

2. Clarus claris
signis ostenditur,
Caecus videt
et mutus loquitur,
Surdus audit
et claudus graditur,
Aeger quisque
sospes revertitur.
V. Per te, Thoma,
captivus solvitur,
Fugit daemon,
mors vita vincitur.

3. Princeps pacis,
precatu praesulis
Tui Thomae
aufer a famulis
Culpas cordis,
oris et operis,
Sede sancta
siste nos superis,
V. Ubi plausus,
perpes pax pectoris,
Splendor summi
solis ac sideris.

Prosella.

Super coelos sublimaris,
Gratis gratans gratularis,
Felix fatim efficeris.
Tuos, Thoma, tuearis,
Motus mulce magni maris
Tu, qui digne laudaris
Superis.

Ad Laudibus.

Antiphonae.

1. Christo laus et gloria
detur cum honore,
Qui praecinxit famulum
virtutum decore.
2. Caeci vident, ambulant
claudi, muti fantur,
Surdi, daemoniaci,
leprosi curantur.
3. Corpora morticina,
membra dissoluta
Sunt saluti reddita,
vitae restituta.
4. Tristes, aegri, debiles
ad sanctum accedunt,
Justi voti compotes
gaudentes recedunt.
5. Multitudo confluit
et plebs copiosa
Admirantes opera
tanta gratiosa.

Ad Benedictus.

A. Sancte Thoma,
succurrens omnibus,
Intus, extra
nos munda sordibus,
Caritatis
sic reple moribus,
Ut regnemus
tecum coelestibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sicut fragrant horto florum
Candent, curant lilia,
Thomas per exempla morum
Fragrat in ecclesia;
Candet choro confessorum
Flos vitae munditia,
Culpas curat contritorum,
Poli praestat praemia.

Per Octavam ad Magnificat.

Antiphonae.

1. Salve, Thoma, pastor bone
Christi gregis et patrone,
O doctor ecclesiae,
Opem, quaeso, fer aegrotis
Atque mentibus devotis
Confer lumen gratiae.

2. Puer mersus morti datus
Tandem Thomae mensuratus
Est apud Oxoniam,
Qui statim resuscitatus
Ut a somno excitatus
Dei per potentiam,
Cum revixit,
Clamans dixit:
Eamus Herfordiam.

3. Lux fulget ex Anglia,
Thomas, vir angelicus,
Nobilis prosapia,
Praesul apostolicus,
Doctor veritatis.
Dona nobis gratiae
Christi patrocinium
Et post hoc exsilium
Ac felicem transitum
Junge nos beatis.

Brev. Herefordense imp. Rotomagi 1505. — In 1. Vesp. A 5, 1 psallite. — In Laud. A 4, 4 decedunt. — Per Oct. A 2, 9 ad Herfordiam. — Für die Hymnen vgl. Analecta IX. p. 248 sq.

96. De sancto Trudone.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laeta dies, aeterna quies,
Sol, filius astri,
Emerito tibi pro merito
sine nube resplendet,
Sancte Dei; dant vota rei,
tu suscipe, parce,
Da, quod abest, remove, quod obest,
quidquid premit, arce.

R. O flos paradisi Domini,
Altior cedris Libani,
Cujus odore
sanantur languidi
Et reviviscunt mortui,
Trudo, pater sanctissime,
Succurre huic familiae.
V. Plurima debemus
et debita nostra timemus.

Ad Magnificat.

A. Sancte pater, clare doctor,
Dulce decus, noster amor,
Funde preces tuo gregi,
Trudo sacer, recognosce,
Tui sumus, Jesum posce,
Ut solutos a peccatis
Nos componat cum beatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad jubilos vitae
Christo psallendo venite,
Qui sibi Trudonem
sociat post carnis agonem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annua jucundo
redeunt solemnia mundo,
Quae recolenda bonis
rutilant in honore Trudonis.

2. Huic natura parens,
habuit quae maxima, tradens
Exceptum statim
levat ad bona cuncta gradatim.

3. Inclita praecipue
sunt haec monimenta juventae,
Vix poterat fari
redditque diem mulieri.

4. Iste puer talis,
jam totus spiritualis,
Discere quaerebat
id, quod scriptura tegebat.

5. Angelus ad votum
noctu dat in ordine notum,
Quo pergat, quid agat,
sub quo doctore quiescat.

6. Sic post Remaclum
Metis subeundo Glodulphum,
Dum redit instructus,
sanctos studet edere fructus.

Responsoria.

1. Exortum est in tenebris
Praeclari lumen sideris,
Cum edidit Hasbania
Trudonem plenum gratia,
V. Accrevit coelis gaudium
Et terris patrocinium.

2. Hic puerili opere
Instar jacit ecclesiae,
Quod dum conculcat femina,
Perdit, resumit lumina;
V. Viva futurus hostia
Haec Deo libat munera.

3. Florebant eo tempore
Multi verbis et opere,
Ad quorum Trudo studia
Jugi tendit instantia,
V. Spirabat hortus Domini
Flores rosae et lilii.

4. Orabat quamvis dormiens
Christumque semper sitiens,
Cum edocet coelicola,
Quid faciat Christicola:
V. Remaclum, inquit, praesulem
Tibi designo consulem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impiger accepti
diffundens lucra talenti,
Quomodo vivebat,
alios sic erudiebat.

2. Hos fovet, hos sanat,
hos largo munere donat,
Omnibus accedit,
sine munere nemo recedit.

3. Nocte soporati
meritum testata beati
Lux caput atque pedes
et totas ambiit aedes.

4. Elicuit fontem,
monuit coelestia gentem,
Eripuit furem,
domuit post cetera verrem.

5. Aggregat hic tales
vir sanctus coenobiales,
Quorum vita mori,
mors esset vivere Christi.

6. Ergo triumphantem,
mortalia cuncta terentem
Rex suus invitat
et, quo solet, ordine ditat.

Responsoria.

1. Jam tunc plenus virtutibus
Ipsisque par doctoribus
Omne mandatum literae
Pio complebat opere,
V. Humilibus consentiens
Et nihil altum sapiens.

2. Exutus ergo laicum
Adolescit in clericum,
Donec electus rapitur
Et sacerdos inungitur;
V. Prudens, pudicus, sobrius,
Qualem docet apostolus.

3. Communicato gaudio
Praesul cum dulci filio
Assumit eum socium
In opus evangelicum,

V. Remaclus theoreticae,
Ut instet Trudo practicae.

4. O virum laude, gratia
Omnique dignum gloria,
Cui se duo lumina
Infundunt noctu coelica,
V. Caput et pedes ambiunt
Et soporato serviunt.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Radix, flos, fructus.
lignum, quod non tinet aestus,
Testantur meritum,
vir benedicte, tuum.

Responsoria.

1. Sacerdos ergo populis
Diviso pane dogmatis
De terra fontem elicit,
Qui nunc usque non deficit;
V. Has erogat divitias
Bonus pater familias.

2. Vir pietatis unicae,
Nullius expers gratiae,
Erudiebat homines,
Ejiciebat daemones,
V. Imperitabat bestiis
Et omnibus incommodis.

3. Applicabatur interim
Hora transplantationis
Ad radicem sanctissimae
Arboris
Et cupientem dissolvi
Et jam cum Christo esse
Discipulorum tamen
Gemitus et quaerulosa
Ne se desereret
Supplicatio morabantur
V. Jamque recedentem,
jam Christum respicientem.

4. Quod sperasti, ecce tenes,
Quod amasti, Christum vides,
Hic sepultus, ibi regnas,
Hic rogaris, ibi praestas,
Nos commenda, sancte Trudo,
Trino atque uni Deo.
V. *Memor esto plebis tuae,*
quam possedisti ab initio.

Ad Laudes.

Super Psalmos.

A. Regnum, virtutem
Deus induit atque decorem
Et, quam firmavit,
sedem tibi, Trudo, paravit.

Ad Benedictus.

A. Lux emergit, lux liquescit.
Trudo sole plus candescit,
Nive nova candidior,
Auro vitroque purior;
Coelos scandit, terras fovet,
Mare totum laude replet;
Ejus obtentu oriens
Nos regat indeficiens.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Exsequias celebres
summi comitantur odores
Mixtaque caligo,
lux, coelica cujus origo.

Ad Tertiam.

A. Janua pulsatur
solaque fide reseratur,
Credit et accedit
caecus, cum luce recedit.

Ad Sextam.

A. Plectuntur fures,
homicida reus perit alter,
Ustus, contractus
curam redit alter adeptus.

Ad Nonam.

A. Laude tua, Christe,
pater est laudabilis iste
Et, quoties petitur,
animae carnique medetur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magna te Deum cantica,
Clara decent praeconia,
Cujus virtute dexterae
Trudo splendet in aethere,
Ejus nos, Jesu, precibus
Peccati solve nexibus.

Passionale ms. Trudonense saec. 15. et 16. Cod. Leodien. 278. A. — Antiph. ms. Trudonense anni 1600—1604. Cod. Leodien. 283. B. — A hat die dem Officium ursprüngliche monastische, B nichtmonastische Form. A und B haben in 1. Vesp. 5 A., nämlich A nach der obigen noch die 4 ersten der 1. Nokt.; B die der 1. Nokt. und die letzte der zweiten; In Laud. hat B. 5 Ant; es fügt nämlich die der kleinen Horen der ersten hinzu. In 1. Noct A 2, 1 Hunc natura A. — R 2, 1 Hinc puerili AB. — In 2. Noct. R 3, 2 Et hora A. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 4 in aethere A. — Die Hymnen siehe Analecta XII, 237 sq.

97. De sancto Tudgualo.

In 1. Vesperis.

R. Qui Tudgualum hodie
Sedes ad supernas
Duxisti magnifice
Per vias aeternas,
Pater, aures habeas,
Quaesumus, paternas,
In Tudguali titulum
Clamantes ne spernas,
V. O qui perpetua
mundum ratione gubernas.

Prosella.

1a. Fons clementiae,
Vena veniae,
Via, veritas,
Flumen gratiae,
Plena caritas,

1b. Trina deitas,
Una bonitas,
Rex justitiae,
Poenas debitas
Solvas hodie.

2a. Deus, omnium
Spes fidelium,
Pacis princeps unice,

2b. Super propriam
Hanc familiam
Pio vultu respice.

3a. Qui pupillo consulis,
Parce famulis
Tanti prece praesulis;

3b. Non attendens merita
Tuos visita
Pietate solita.

4a. O largitor munerum,
O rex superum,
Miserere pauperum;

4b. Pater, fili, spiritus,
Veni coelitus,
Clamantum gemitus ne

5. spernas.

Ad Magnificat.

A. O quem Tudgualum
Trecoria, Roma Leonem
Invocat, in Christi
virtute repelle draconem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sit regnum stabile,
sit ei decus imperiale,
Qui tibi, Tudguale,
proprium comisit ovile.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir est Tudgualus,
Per quem vita, per quem salus
Est data Britanniae.

2. Hic est prudens architectus,
Fecit enim suum pectus
Domum sapientiae.

3. Fundamentum fidem jecit,
Caritatem tectum fecit,
Spem loco maceriae.

Responsoria.

1. Tudgualus, Christicola,
zelo dei plenus,
Dives erat aliis,
sibimet egenus,
Quamvis ortus regibus,
animo serenus,
V. Ingeminans animi
nobilitate genus.

2. Dum vernaret igitur
puerili flore,
Jam coelestis gratiae
delibutus rore
Adhaerebat studiis
avido fervore.
V. Ingenium coeleste suis
velocius annis
Surgit et ignavae
fert mala damna morae.

3. Factus autem juvenis
fretus Dei donis
Frenat carnis impetum
freno rationis,
Hanc solam sententiam
observat Nasonis:
V. Virtus est placidis
abstinuisse bonis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Justus, fortis, temperatus,
Prudens erat et ornatus,
Evitavit vitia.

2. Hic nullius indigebat,
Namque Deum possidebat
Possidentem omnia.

3. Lac praebebat juniori
Apponendo fortiori
Solida cibaria.

Responsoria.

1. Parentum amplissimo
derelicto fundo
Transit ad Armoricos
contempto profundo,
Britanniam spiritu
mundat ab immundo,
V. Non sibi sed toti
credebat vivere mundo.

2. Pastor fit Trecoriae,
pastor inquam bonus,
Praesul et praesidium,
pastor et patronus,
Ferre jugum Domini
semper erat pronus,
V. Semper enim leve fit,
quod bene fertur onus.

3. Angelus ad praesulem
precibus prostratum,
Detulit libellulum
talibus notatum:
Romanam ecclesiam
vade visitatum;
V. Hic bonus et sapiens
dignus se ait esse paratum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vestem dabat spoliato,
Sanitatem vulnerato
Miscens vinum oleo.

2. Sitientes refovebat,
Aquas vivas hauriebat
De scripturae puteo.

3. Informabat imperitos,
Subtrahebat irretitos
Vitiorum laqueo.

Responsoria.

1. In papam eligitur
nutu deitatis,
Tudgualus efficitur
rector Petri ratis,
Claves coeli bajulat
portis reseratis;
V. Hic facit, ut pateant
coelestia regna beatis.

2. Lamenta Britanniae
tandem sunt soluta
Tudguali praesentia
sibi restituta,
Adventum pontificis
lingua canit muta,
V. Flebile principium
melior fortuna secuta.

3. Completo curriculo
temporalis status
Tudgualus de carcere
carnis liberatus
Ad coelestis gloriae
regnum est translatus;
V. Pro fidei meritis
vocitatur jure beatus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Nunc, Tudguale, vere gaudes
Reddens Deo veras laudes
In Dei praesentia.

2. Nunc in Deo praesens vides,
Quod credebas, cessat fides,
Succedit scientia.

3. Quid filium generari,
Quid spiritum sit spirari,
Spectas non per speculum.

4. Manifeste trinitatem
In personis, unitatem
Cernis in essentia.

5. Nunc visitas deitatem,
Vides et humanitatem
Oculo ad oculum.

Ad Benedictus.

A. Non talentum tumulavit
Tudguali solertia
Sed lucrando reportavit
Domino duplicia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
coelestis curia trinum,
Qui triplici gemma
Tuguali ornat diadema.

Legenda ms. Trecorensis saec. 15. Cod. Parisien. 1148. — In 1. Vesp. R, 1 Tugdualem Hs. — In Laud. A 5, 2 humilitatem Hs.; es wird wohl die Menschheit Christi gemeint sein. — Die Hymnen vgl. Analecta XII, p. 239 sq.

98. De sancto Valarico.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Coelitus ostensis
signis quam pluribus almis
Hoc festum sancti
celebremus jam Valarici,
Ipsius ut meritis
celebrando juvemur opimis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regem veneremur
Mente devotissima,
Qui beatum Valaricum
illustravit gratia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Valaricus
Adhuc aetate parvulus
Ad literarum studia
Sacrarum vovit pectora.

2. Pascens patris oviculas
Ad scholas ibat properans
Et capta lectiuncula
Redibat ad custodiam.

3. Afflatus sancto spiritu
Tam capax mentis redditur.
Ut infra breve spatium
Totum sciret psalterium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nam fervore sacri zeli
ad majus progreditur,
Monachorum jam delegit
sacram vitam ducere,
Unde quondam nominatum
appetit coenobium.

2. Pater ejus in moerore
tunc conversus animi
Perurgere coepit eum
totis simul nisibus,
Ne parantes sic relinquens
fieret extraneus.

3. Sed nec pater neque abbas
neque ejus monachi
Ulla prece neque ullis
comminationibus
Amovere potuerunt
a suo proposito.

Responsorium.

Hic vir sanctus Ambianis
civitatis partibus
Se tradebat, quendam reum
cum suspensum prospicit,
Huc cucurrit pietatis
commotis visceribus,
Probaturus, apud Deum
cujus esset meriti.

V. Ut cadaver jam defuncti
Ad terram deposuit,
Se prostrato super eum
mox ad vitam rediit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ferox judex hoc dedignans,
quod reus revixerat,
Rursus eum deputavit
duci ad suspendia.

2. Servus Dei Valaricus
tunc inquit ad judicem:
Audi, judex, te non decet
ultra istum perdere,
Quem Deus resuscitavit
suo sacro munere.

3. Jam tyrannus his devictus
a crudeli animo
Condonavit servo Dei
suum, quem redimerat.

Responsoria.

1. Aeger quidam dissolutis
membrorum compagibus
Sancto Dei Valarico
delatus adducitur,
Qui a tactu viri Dei
adsurrexit validus.

V. Totus in se videbatur
ita esse debilis,
Quod a nulla parte sui
se movebat corporis.

2. Alter rursus jam defertur
captus a daemonio,
Qui pro sua feritate
sutus erat corio,
Sed dum sanctus fudit preces,
compunctus in animo
Captivatus inimici
caruit dominio.

V. Adsit nobis apud Deum
hic in adjutorio
Ejus sacro interventu
et potenti merito.

3. Iste sanctus venerandus
est in multis laudibus,
Tam multis miraculorum
proditus prodigiis,
Lapis vivus sic insertus
Dei aedificio,
Velut magnes ferrum trahens
qui sic cunctos trahere
Nitebatur ad se, ut hos
Christo lucrifaceret,
V. Ut sol ille rutilabat
virtutum per opera,
Radiis doctrinae sacrae
populos illuminans.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Vir illustris Valaricus
pio semper opere
De virtute in virtutem
studuit proficere.
2. Ut fidelis atque prudens,
quem Deus statuerat,
Monachorum rexit pater
insignem familiam.
3. Tam honestum vitae cursum
Egit, dum adviveret,
Ut exemplum castitatis
omnes in se caperent.
4. Semper Deum benedicens
laborabat labiis
Neque somno acquiescens
aut sumendis epulis.
5. Laudem Deo decantare
ita regulariter
Providebat, ut mens voci
concordaret pariter.

Ad Benedictus.

A. Almum diem celebrantes
viri tam sanctissimi
Ipsum nobis invocemus,
ut ejus suffragiis
Mereamur absoluti
culparum flagitiis
Coelo frui, quo conjunctum
supernorum civibus
Exsultare eum facit
benedictus Dominus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O confessor gloriose,
quem Deus magnificans
Illustravit sub hac carne,
diversis languoribus
Ut oppressos expedires,
obsessos daemoniis,
Audi preces, qui te colunt,
per te apud Dominum
Ut impetrent, quod exposcunt,
coeleste subsidium.

Brev. ms. Laudunense saec. 14. Cod. Laudunen. 257. A. — Brev. ms. Laudunense saec. 14. Cod. Laudunen. 259. B. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Laudunen. 258. C. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. D. — In 1. Vesp. Ad Magn. A, 1 ostensus A. — In 1. Noct. sind alle RR prosaisch, in 2. Noct. alle bis auf eines. — In 2. Noct. A 1, 5 nominatim A. — In 3. Noct. R 2, 11 Cujus A.

99. De s. Wilhelmo Eboracensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Wilhelmi laudibus
Laxet clerus lora,
Sit in hymnis, canticis
concio decora.
2. Pius pater hodie
de hac valle fletus
Ad supernum solium
Sion transit laetus.
3. Quondam thesaurarius,
jam thesaurus cleri,
Dedit opes, medici
nunc dat opem veri.
4. Coelum solum sitiens,
gazas Christi miles,

Ne scandentem retrahant,
calcat ut res viles.
5. In doctrina solidum
cibum dat provectis
Et lactis dulcedinem
miscet imperfectis.

Ad Magnificat.

A. Nostri patris
in natalitio
Laetas laudes
dictet devotio,
Coeli regem
lactet oratio,
Ut jungamur
ejus consortio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Jubilemus regum regi,
Qui concedit nos hic regi
Per Wilhelmi merita.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortus clari germinis
hunc nobilitavit
Et mentis nobilitas
genus geminavit.
2. In agendis strenuus,
fidus in commissis,
Ad censuram rigidus,
firmus in promissis.
3. Mitis in consortiis,
in loquela rarus,
In responsis providus,
in censu praeclarus.

Responsoria.

1. Voluntate, trutina
non legis cassatus,
Virum novum induit
coelitus mutatus;
V. Juventutis januas
claudit cassatio,
Sic malum saepius
boni fit occasio.
2. Vir ad sui gloriam
cedit inglorius,
Ut unguenti vasculum
mundet in melius,
V. Lacrimarum lavacro
purgatis personis
Confertur divinitus
munus unctionis.
3. Laceratum exsulem
morsibus malignis
Nec fax angit odii
nec livoris ignis;
V. Probat hunc exsilium
sicut hiems laurum,
In fornace ponitur,
purum exit aurum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ne Samsonem Dalila
faciat perire,
Hic carnem spiritui
facit obedire.
2. Agrum mentis seminat
sementis virtutum
Et mundi delicias
spernit velut lutum.
3. Ne recentes flosculi
virtutum marcescant,
Hos scripturae rivulis
irrigat ut crescant.

Responsoria.

1. Factus Jacob vigilat
extra super gregem,
Nec minus interius
regum sapit regem,
V. Marthae ministerio
copulat Mariam,
Rachelis amplexibus
fruitur post Liam.
2. Fragrat odor praesulis
Romam venientis,
Occurrit fragrantiae
plebs unius mentis,
V. Ex longinquis veniunt
nec sunt fatigati,

Longa via visa est
curta caritati.

3. Plebs occurrit praesuli
cadit pons dissutus,
Sed a casu populus
ruens redit tutus,

V. Unda ruens populum
recipit ruentem
Et se pontem efficit
per omnipotentem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ne cursus ad superos
animo claudatur,
Mens Dei dulcedini
tota copulatur.

2. Servit elemosynis
manus insopita,
Quibus se dat penitus
vir Israelita.

3. In sublime levat ut
palma comam spei,
Est imputrescibilis
sicut cedrus Dei.

Responsoria.

1. Fide fuit Phinees,
ut Job mansuetus,
Patiens ut Israel,
ut Noe discretus,

V. Fidelis ut Abraham,
ut Loth hospitalis,
Sagax ut Samuel, ut
Joseph liberalis.

2. Vivum Christus oleo
tam large linivit,
Quod adhuc in mortuo
olei fons vivit;

V. Ut sit nomen praesulis
oleum effusum,
Corpus fundit oleum
ad aegrorum usum.

3. Adit sancti tumulum
languidorum coetus
Et, qui plangens venerat,
plaudens redit laetus;

V. Praesulis antidotum
praesens est egenis,
Quo devotos liberat
pluribus a poenis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Claudi recti redeunt,
furor effugatur,
Epilensis passio
sanitati datur.

2. Purgantur hydropici,
laudes fantur muti,
Datur paralyticis
suis membris uti.

3. Leprae tergit maculas,
membra dat castratis,
Lumen donat pluribus
sine luce natis.

4. Rapitur a pugile
lex et hostis lumen,
Quod per sanctum reparat
caeco coeli numen.

5. Ab abyssi faucibus
biduo submersum
Mater natum recipit
a morte reversum.

Ad Benedictus.

A. O Wilhelme, pastor bone,
Cleri pater et patrone,
Mundi nobis in agone
Confer opem et depone
Vitae sordes et coronae
Coelestis da gaudia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Jesu, nostra fiducia,
Honor noster et gloria,
Amor, virtus, laetitia,
Vita, veritas et via,
Justorum pax et patria,
Tua nos clementia
Wilhelmi per suffragia
De mundi miseria
Transfer ad palatia.

Brev. ms. Eboracense saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinit. Dublinen. A. 3. 9. A. — Brev. ms. Eboracense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 30511. B. — Brev. Eboracense imp. Parisiis 1533. C. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 6 lactet haben ABC. — In 3. Noct. **A** 2, 1 Secvit elemosynis B. — Neben Wilhelmus die Form Willermus.

100. In Translatione s. Zenobii.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Zenobi, qui sacerdos in aeternum
Exsistis, tua nos translatione
Psallentes cordis cum devotione
Fac prece regnum scandere supernum.

2. Monstrantur magna opera dominica,
Qui diu terra lumen occultatum
In lucem profert hodie translatum,
Ex quo patenter pullulant mirifica.

3. Divitiis et gloria fulcitur
Nunc domus cathedralis Florentina,
Ecclesia detractis Laurentina
Zenobii dum membris redimitur.

4. Quis Deo laudes dare possit digne,
Qui jam, quem cum principibus locavit,
De terra patris corpus suscitavit,
Quod nobis elargitur tam benigne.

5. Antistes, clerus et religiosi,
Florentiae potesta et priores,
Laudate Deum, gentes et rectores,
Pro membris latis patris generosi.

Ad Magnificat.

A. O bone pastor,
prudens et fidelis,
Zenobi sancte,
decus sacerdotum,
Translationis
tuae nunc devotum
Colentes festum
protege de caelis,
Ne baratri nos
voret mors crudelis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Zenobii pontificis
Translatio colatur,
In qua divina canticis
Majestas attollatur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In suo suum tempore
Dans fructum vir beatus,
De terra tracto corpore
Est hodie translatus.

2. Transfertur corpus praesulis,
Qui Deum est secutus,
Re praedicator utilis
Ab eo constitutus.

3. In Deo praesul vigilat
In terra soporatus,
Mirandis signis rutilat
Solemniter translatus.

Responsoria.

1. Concurrat urbs Florentia
Nunc ad secunda funera
Sui dominatoris,
Laudis Deo decentia
In hoc det festo munera
Zenobii pastoris.

V. Translatus de ecclesia
Levitae tunc in altera
Quievit salvatoris.

2. Haeret premente populo
Corpus portatum loculo
Ulmo gelu siccato,
In quolibet ramusculo
Florescit arbor patulo
Virore sibi dato,
V. Quod mortuo corpusculo
Superno vivit saeculo
Vir sanctus, demonstrato.

3. Templi secus introitum
Sacratum corpus positum
Inferre nequiverunt,
Canonicos in numero
Ut psallant bis senario,
Zenobio voverunt,
V. In humeris impositum
Intrantes depositum
Sepulchro tradiderunt.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In pace sanctus dormiens
De tumulo levatur,
Quod bene rexit praesidens,
In templo collocatur.

2. Ad te oramus, Domine,
Intellige clamorem
Translatique precamine
Da nobis coeli rorem.

3. Sub cujus cuncta pedibus
Terrena subjecisti,
Translatum in his aedibus
Hunc, Deus, posuisti.

Responsoria.

1. Adsit dulcoris
Vis non moeroris,
Cor jucundetur,
Corpus pastoris
Stipatum choris
Cum transportetur,
V. In Salvatoris
Templo sonoris
Hymnis locetur.

2. Tesaurum gratum
Terrae locatum,
Plebs, reperisti,
Nunc habes datum
Hunc advocatum,
Quem transtulisti,
V. Tuum reatum
Per hunc purgatum
Sic comperisti.

3. Hac Florentinus
Praesul et clerus
Die laetatur,
Noster patronus
Pastorque verus
Cum transferatur,
V. Judex divinus,
Reis severus,
Per hunc placatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Dei tabernaculo
Zenobius quiescit,
Multiplici miraculo
Translatus requiescit.

2. Praeventi jam dulcedinis
In benedictione
Cujuslibet plebs ordinis
Psallat translatione.

3. Portas vestras attollite,
Canonici Florentiae,
Transfertur praesul optimus
In vestra nunc Zenobius.

Responsoria.

1. Exsultet urbs Florentia,
Laurentii nam filia
Dat templo salvatoris
Membra, quamvis arentia,
Miraculis nobilia
Magnifici pastoris.
V. Cum summa reverentia
Translata sunt haec lilia
Mirifici candoris.

2. Qui tuum tabernaculum
Ad nostrum domicilium
Transferri voluisti,
Zenobi, gubernaculum
Sis nobis et auxilium
Adstando throno Christi,
V. Ne nobis retiaculum
Sit daemonis obstaculum
In ista valle tristi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hanc domum tuam, Domine,
Vocatam tuo nomine,
Hic decet sanctitudo,
Translatum tuo tegmine
Nam servat hic testudo.

2. Peccato nostrum exsule,
Precante sancto praesule
Translato celebrate
Hoc festum, florens popule,
Deoque jubilate.

3. Laurenti, tua contulit,
Quem suo ventre protulit,
Nunc terra fructum suum,
Hunc, o Salvator, transtulit
Ad templum clerus tuum.

4. Creata benedicite,
Creanti laudes dicite,
Qui suum confessorem
Transfert, quod dotat licite
Ecclesiam majorem.

5. Tam bestiae, reptilia,
Quam pisces, volatilia,
Laudate creatorem,
Qui fecit mirabilia,
Nam transtulit pastorem.

Ad Benedictus.

A. Florendo florens floribus,
Florentia, floresce,
Translatus nam florescit
Zenobius miraculis virescit
Hoc ulma sicca
florens innotescit
Plebs ergo florens,
laude non quiesce.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux et flos Florentiae,
Splendoris, redolentiae,
Zenobi, pastor digne,
Qui dono tis praesentiae,
Condigno reverentiae,
Sic dotas nos benigne,
Divinae nos clementiae
Commenda, ne sententiae
Tradamur post condigne.

Brev. ms. Florentinum saec. 14. Cod. Mediceo-Laurent. Aedil. 117. add. saec. 15. A. — Offic. ms. Florentina saec. 16. Cod. Magliabech. XXXVI 75. B. — In 1. Vesp. **A** 4, 2 jam quem nunc cum AB, wodurch der Vers eine Silbe zuviel erhält. — **A** 4, 4 lies Quod elargitur nobis? — In 1. Noct. **R** 3, 4 in numerum AB. — **A** 3, 5 senarios AB. — **R** 3, 8 Intrantes tepositum AB; dem Verse fehlt eine Silbe. — Ad Bened. **A**, 7 innotesce AB. — Das Offizium ist offenbar auf die s. g. zweite Translation des Heiligen (1439) verfasst (vgl. Laud. **A** 1, 5), enthält aber auch Züge aus der s. g. ersten von 1330 (vgl. Noct. 1. **R** 2).

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

II. Verbal-Index.

O. A. M. D. G.

Druckfehler.

Seite 6	Zeile 16	von	unten	lies	Fülle	statt Fälle.
„ 51	„ 13	„	oben	„	comederet	statt commenderet.
„ 55	„ 7	„	unten	„	Coldoniense	statt Coloniense.
„ 223	„ 20	„	oben	„	difficultas	statt dificultas.



Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XIV a.

HYMNARIUS SEVERINIANUS.

Das Hymnar der Abtei S. Severin

in

Neapel.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1893.

HYMNARIUS SEVERINIANUS.

Das Hymnar der Abtei S. Severin

in

Neapel.

Nach den Codices

Vaticanus 7172 und Parisinus 1092.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1893.

EINLEITUNG.

An ältern Hymnaren, welche eine grofse Anzahl, sei es gänzlich unbekannter, sei es seltener Lieder enthalten, ist kein grofser Überflufs. Kaum ein anderes dürfte sich finden, das unter dieser Rücksicht dem Hymnar der Abtei von Sankt Severin in Neapel sich vergleichen könnte, welches uns in einer doppelten Aufzeichnung vorliegt, dem Cod. Vaticanus 7172 und der Handschrift 1092 der Nationalbibliothek zu Paris.

Von der vatikanischen Handschrift des Hymnars ist des öfteren Rede gewesen; die Pariser dagegen wenig beachtet worden. Auf jene hat zuerst Ozanam hingewiesen in seinen Documents inédits pour servir à l'histoire littéraire de l'Italie (Paris, Lecoffre 1850), woselbst er eine eingehende Beschreibung der Handschrift (S. 105 ff.) und ein Verzeichnis aller in derselben enthaltenen Hymnen (S. 221 ff.) gab, ja deren eine Anzahl abdruckte (S. 232 ff.)[1]. Die Heimat der Handschrift versetzte Ozanam richtig nach Unteritalien. „J'y reconnais un livre de chœur, copié pour quelque monastère de l'Italie méridionale; car d'une part on y traite avec une prédilection toute filiale les offices de Saint Benoit, de Sainte Scholastique et de Saint Maur; et d'un autre côté, pendant que les saints du Nord y sont à peu-près oubliés, j'y trouve tous les grands noms de l'église Italienne et jusqu'aux patrons obscurs de quelques villes de l'Ombrie, du Latium et de l'Abruzze." Ein aufmerksames Studium der Handschrift ergiebt noch weitere Anhaltspunkte; es läfst erkennen, dafs das Hymnar einem Kloster der casinensischen Kongregation, und zwar einem neapolitanischen angehört haben mufs. Die neapolitanischen Heiligen präponderieren zu sehr und der Vergleich mit andern neapolitanischen Hymnarien bietet zu viele

[1]) Aus Ozanam wieder abgedruckt bei Migne PP. LL. 151. p. 813 sqq.

Analogieen, um einen Zweifel zuzulassen. Gerade der Einwurf, den man gegen diese Herkunft zuerst zu erheben geneigt ist: es kommen auch Patrone anderer Gegenden vor, kommen Hymnen vor, welche ebenso sehr von Neapel wegweisen, als die Hymnen auf Severinus u. a. darauf hindeuten, vor allem der Hymnus auf die Translation der Reliquien des hl. Markus nach Reichenau; gerade dieser Einwurf, sage ich, ist der beste Beweis für Neapel. Denn aufser in Reichenau dürfte eben dieser Markus-Hymnus nur in Neapel vorkommen. Warum, wie er dorthin verschlagen worden, das vermag ich nicht zu sagen; es genügt zu konstatieren, dafs er in anderen jüngeren neapolitanischen Hymnarien sich findet.

Ich hatte gleich nach Bekanntwerden mit der Pariser Handschrift des Hymnars dasselbe der Abtei St. Severin in Neapel zugewiesen. Um so mehr erfreute es mich, dieselbe Ansicht völlig unabhängig von der meinigen im Bulletino di Archeologia Christiana (1890 Nr. 1, p. 26 sq.) ausgesprochen zu finden, woselbst Guiraud in einer kurzen Besprechung des Codex Vaticanus denselben bezeichnet als „di S. Severino di Napoli detto in castro Lucullano presso Posilipo“. Letztere Bezeichnung scheint mir zu beanstanden. Die spätere Abtei von St. Severin und Sosius befand sich allerdings ursprünglich in dem s. g. Castrum Lucullanum, das an der Stelle des heutigen Castello dell'Ovo lag; nachdem indes der drohenden Saracenengefahr wegen das Castrum Lucullanum zerstört und die dort befindliche Abtei in die Stadt verlegt ward, ist nur mehr von einer Abbatia SS. Severini et Sosii die Rede.

Weniger nahe als bei Bestimmung der Herkunft seiner Handschrift kam Ozanam der Wahrheit bei Abschätzung ihres Alters. Er versetzt dieselbe ins neunte Jahrhundert: „Le caractère de l'écriture fixe la date et ne permet pas de la porter au dessous du IX. siècle: il est impossible de remonter au dessus, puisque deux hymnes pour la fête de Saint Michel sont empruntés de Rhabanus Maurus qui mourut en 856, et que l'hymne de Saint Marc mentionne la translation des reliques de ce saint évangeliste au monastère de Reichenau sur les bords du lac de Constance en 830[1]). Nous avons donc ici un monu-

[1]) Vgl. über diese Translatio Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen. 5. Aufl. I. S. 267 u. f.

ment liturgique des temps carlovingiens." Auch in den Monumenta Germaniae wird die Handschrift mehrfach als saec. IX. bezeichnet, so in den Poetae Latini Aevi Carolini I, p. 35 und 126, wie aus letzterer Stelle hervorzugehen scheint, wohl auf Ozanams Autorität hin.

Neuerdings hat eine Kontroverse, das Alter der römischen Alexius-Legende betreffend, die Frage nach dem Alter unserer Handschrift, nochmals in Anregung und Herrn L. Duchesne zu der Ansicht gebracht, die Handschrift sei nicht älter als das elfte Jahrhundert: „En réalité, äufsert er sich, il n'est que du onzième siècle, tout comme un autre manuscrit Italien du même recueil le Parisinus 1092. L'écriture de ces deux manuscrits est du même type et du même temps que celle du Vaticanus 3764 dont j'ai donné un fac-similé dans le tome I du Liber pontificalis pl. VI; or le Vaticanus 3764 a été copié sous Grégoire VII (1074—1085). Il n'y a donc aucun compte à tenir à cet hymnaire de beaucoup postérieur à la légende de Saint Alexis" [1]. Auch de Rossi hat sich in einer Fufsnote zu dem vorerwähnten Aufsatze Guirauds über das Alter der Handschrift ausgesprochen: „Dalla sola paleografia però non si può decidere con certezza che il codice sia del secolo XI nè che sia anteriore a quell' età: ciò dico dopo averlo attentamente esaminato."

Bei soviel Streit der Meinungen schien es mir nicht ohne Interesse zu sein, eine phototypische Schriftprobe der Handschrift beizugeben, um paläographisch geschulten Lesern ein selbständiges Urteil zu ermöglichen.

Zieht man neben den paläographischen Merkmalen, die auf die Grenze des 10. und 11. Jahrhunderts zu weisen scheinen, auch den Inhalt des Hymnars in Betracht, so wird man zur Überzeugung kommen, dafs man mit der Handschrift jedenfalls nicht zu tief ins elfte Jahrhundert herabrücken darf. Denn dieselbe enthält nur ältere Hymnen, kein einziges moderneres Lied, in dem man zu völliger Reinheit entwickeltem Reime, kein einziges, in dem man durchgeführtem zweisilbigen Reime begegnete. Ende des elften Jahrhunderts war aber der Reim in seiner Entwickelung doch weiter als wir ihn hier finden. Die Lieder der Sammlung sind sämtlich entweder sehr alte oder

---

[1]) Mélanges d'Archéologie et d'histoire 1890. p. 240. not. 1.

barbarische (neuntes und zehntes Jahrhundert); weder von der Renaissance jener, die in Monte Casino im elften Jahrhundert so schöne Blüten trieb, noch von der Entwickelung dieser zur geläuterten Rhythmik des Accentes finden sich Spuren. Ebenso wäre es auffallend, wenn sich in einer monastischen Hymnensammlung aus dem Ende des elften kein einziges der Petrus Damiani zugeschriebenen Lieder, keiner seiner Kreuz-, seiner Marien-, seiner Benediktus-Hymnen fände [1]), die sonst um diese Zeit selten fehlen. All das läfst mich glauben, dafs die Sammlung wenig vor oder wenig nach dem Jahre 1000 entstanden sei.

Eigentümlich ist das Verhältnis der vatikanischen und der Pariser Handschrift. Gröfse, [2]) Schrift, Inhalt beider sind völlig dieselben, letzterer so sehr, dafs selbst die Fehler und Lücken, deren ein gerütteltes Mafs ist, fast durchgängig in beiden Handschriften sich decken, so dafs man genötigt ist, eine Abhängigkeit dieser untereinander, oder von einer gemeinsamen Quelle anzunehmen. Nur wenige Hymnen stehen in beiden Sammlungen an verschiedenen Stellen, nur sehr wenige finden sich in der einen und fehlen in der andern. Dafs auch die Pariser Handschrift früher in Rom sich befand, beweist ein auf papiernen Vorsatzblättern geschriebener Index, dem die Bemerkung folgt: Achevé à Rome 1713; und zwar mufs sich dieselbe im Besitze des gelehrten Giovanni Ciampini [3]) befunden haben, da der Cod. Vaticanus mehrfach bei Hymnen, die in der Pariser Handschrift fehlen, am Rande die Bemerkung trägt: deest in Cod. Ciamp. Der Cod. Vaticanus ist am Anfange defekt und weist einen Mangel von acht Blättern auf. Er beginnt fol. 1a mit den Worten dum cantica, quae excubantes psallimus, die dem Hymnus Tu trinitatis unitas entnommen sind. Der erste vollständige Hymnus Aeterna coeli gloria steht im

[1]) In einem Hymnar von Sankt Sophien zu Benevent (Cod. Neapolit. VI E 43), das wirklich dem elften Jahrhundert angehört, steht sogar das Lied O genitrix aeterni mit dem ausdrücklichen Beifügen: „Rismus Petri Damiani."

[2]) Cod. Vatican. mifst cm. 21,6 × 13,5; Parisinus 23,8 × 14,8.

[3]) Geboren zu Rom 1633, nach Beendigung seiner juristischen Studien lange Sekretär der Cancellaria dei brevi di gratia. Beschäftigte sich viel mit kirchengeschichtlichen Studien, veranlafste die Gründung der Academia di storia ecclesiastica 1671, und veröffentlichte zahlreiche Werke. Er starb 1693.

Parisinus auf fol. 9b. Letzterer beginnt fol. 1a mit den Worten: In nomine Domini incipit prologus Isidori. Liber hymnariorum. Es folgt dann mit kleinen Abweichungen und gröfseren Auslassungen das bekannte Caput VI aus dem ersten Buche de ecclesiasticis officiis. Folgendes die Übersicht der in beiden Handschriften enthaltenen Hymnen:

	V	P		V	P
Primo dierum omnium .	—	1b.	Debitas laudes	5a.	17a.
Aeterne rerum conditor .	—	2a.	Solemne tempus vertitur .	6a.	18a.
Nocte surgentes	—	2b.	Christus lux mundi . .	7b.	18b.
Jam lucis orto sidere . .	—	3a.	Lux mundi vera . . .	8a.	19b.
Nunc sancte nobis spiritus	—	3a.	Festa jucunda	9a.	20a.
Rector potens verax Deus	—	3b.	Sancti Thomae apostoli .	10a.	20b.
Rerum Deus tenax vigor	—	3b.	Martyris en Gregorii . .	10b.	21a.
Somno refectis artibus .	—	4a.	Veni redemptor gentium .	11b.	23b.
Splendor paternae gloriae	—	4a.	Surgentes ad te Domine	12a.	24a.
Immense coeli conditor .	—	5a.	Audi redemptor gentium .	12b.	24b.
Consors paternae gloriae.	—	5a.	A solis ortus cardine . .	13a.	25a.
Ales diei nuntius . . .	—	5a.	Christe redemptor omnium	13b.	25a.
Telluris ingens conditor .	—	5b.	Agnoscat omne saeculum	14a.	25b.
Rerum creator optime .	—	5b.	Christus est vita . . .	14b.	26a.
Nox et tenebrae et nubila	—	6a.	Hymnum cantemus Domino	15a.	26b.
Coeli Deus sanctissime .	—	6a.	Stephano primo martyri .	15b.	27a.
Nox atra rerum contegit.	—	6b.	Consors levita martyris .	16a.	27a.
Lux ecce surgit aurea .	—	6b.	Iste electus Johannes . .	16b.	28b.
Lucis creator optime . .	—	7a.	Agite omnes	17a.	29a.
Deus creator omnium . .	—	7b.	Ecce Johannes	18b.	30a.
Te lucis ante terminum .	—	7b.	Solemnis dies advenit . .	19b.	31a.
Christe qui lux es et dies	—	8a.	Jubilemus carmen dulce .	20a.	31b.
Cultor Dei memento . .	—	8b.	Amore Christi nobilis . .	20b.	31b.
Magnae Deus potentiae .	—	9a.	Evangelista fulgidus . .	—	32a.
Tu trinitatis unitas . .	—	9a.	Altissimi apostolum . .	—	32b.
Aeterna coeli gloria . .	1a.	9b.	Salvete flores martyrum .	21b.	34a.
Plasmator hominis Deus .	1b.	9b.	Verbum patris principium	22a.	34b.
Summae Deus clementiae	1b.	10a.	Infantum diem martyrum	21a.	35a.
Aurora jam spargit polum	2a.	10a.	Furens Herodes impie .	21b.	35b.
O lux beata trinitas . .	2a.	10a.	Silvestri almi praesulis .	22b.	35b.
Sol astra terra aequora .	3b.	15a.	Voce jucunda	23a.	36a.
Verbum supernum pro-			Christe rex regum . . .	23b.	36a.
diens	2b.	15b.	Auctor perennis gloriae .	24b.	37a.
Vox clara ecce intonat .	2b.	16a.	A patre unigenitus . . .	26a.	38a.
Conditor alme siderum .	3a.	16b.	Hostis Herodes impie . .	26a.	38a.
Verbum salutis omnium .	3b.	16b.	Illuxit orbi jam dies . .	27a.	39a.
Christi caterva clamitat .	4b.	17a.	Illuminans altissimus . .	28a.	39b.

	V	P		V	P
Jesus refulsit omnium . .	28b.	40a.	Alleluja dulce carmen. .	52b.	61b.
Artifex poli siderum . .	29a.	40b.	Mediae noctis tempus est	53a.	63b.
Fratres fibrarum carmine	30a.	41b.	Aures ad nostras . . .	53b.	64a.
Adest celebritas	31a.	42a.	Jam lucis splendor rutilat	54a.	64b.
Christe sanctorum . . .	31b.	42b.	Insigne sanctum tempus est	54b.	65a.
Confessor Domini . . .	32a.	43a.	Ex more docti mystico .	55b.	65b.
Sacrae refulgent mystica .	32b.	43b.	Audi benigne conditor .	56a.	66b.
Canticum laudis	33a.	44a.	Post matutinas laudes. .	56a.	66b.
Gloriam Christo	34a.	44b.	Deus candorum luminis .	56a.	66b.
Martyr Dei egregie. . .	35a.	45b.	Dei fide qua vivimus . .	56b.	67a.
Sebastiani incliti . . .	35b.	45b.	Meridie orandum est . .	56b.	67a.
Agnetis festum martyris .	36a.	45 bis a.	Perfecto trino numero. .	56b.	67a.
Agnes beatae virginis . .	36b.	45 bis b.	Sic ter quaternis trahitur	57a.	67b.
Quae mens recensere			Deus qui claro lumine .	57a.	67b.
audeat	37b.	46a.	Jesu quadragenariae . .	57b.	67b.
Adest miranda passio . .	35a.	46b.	Clarum decus jejunii . .	57b.	68a.
Beatus vir Vincentius . .	38b.	47a.	En tempus acceptabile .	58a.	68a.
Pangamus nunc astrifero .	39a.	47b.	Cum jejunasset Dominus .	58b.	68b.
Nunc laudibus symphonicis	39b.	48a.	Pange lingua gloriosi. .	59a.	71b.
Gaude visceribus . . .	40a.	48b.	Crux fidelis inter omnes .	59b.	71b.
Quod chorus vatum . .	40b.	49a.	Vexilla regis prodeunt .	60a.	72b.
O beatus ortus ille. . .	41a.	49a.	Certum tenentes ordinem	60b.	73a.
O quam glorifica . . .	41b.	49a.	Qua Christus hora sitiit .	60b.	73a.
Refulsit almae	41b.	49b.	Ternis ter horis numerus	61a.	73b.
Ave maris stella. . . .	43a.	50b.	Jam Christe sol justitiae.	61a.	73b.
Illuminavit hunc diem. .	43b.	51a.	Rex Christe factor omnium	61b.	73b.
Triumphum sacrae virginis	44a.	51b.	Quae lingua carnis elo-		
Martyris ecce dies Agathae	44b.	52b.	quens	61b.	74a.
Hodie sacratissima . . .	45a.	52b.	Crux benedicta nitet . .	62a.	75a.
Hunc soror sacra . . .	46a.	53b.	Magno salutis gaudio . .	63b.	75b.
Beatus Christi famulus .	46b.	54a.	Celsae salutis gaudia . .	64b.	76b.
Sancti Gregorii praesulis.	—	54a.	Pio feramus pectore . .	65a.	77a.
Claret sacrata jam dies .	46b.	54b.	Hymnum dicamus Domino	66a.	77b.
Magnus miles mirabilis .	47a.	55a.	Cum ascendisset Dominus	66b.	78a.
Norma sanctorum . . .	—	55b.	Tellus et aether jubilent .	67b.	78b.
Christe sanctorum . . .	47b.	56b.	Rex aeterne Domine . .	68a.	82b.
Fratres alacri pectore[1]) .	49b.	58a.	Aurora lucis rutilat . .	69a.	83b.
Magno canentes annua .	49b.	58a	Jesu nostra redemptio .	69b.	84a.
Omnes venite monachi .	50a.	58b.	Hic est dies verus Dei .	70a.	84a.
Deus qui mundum . . .	50b.	59b.	Te lucis auctor personent	70b.	84b.
Quem terra pontus aethera	51b.	60a.	Ad coenam agni providi .	71a	85a.
Alleluja piis	52a.	61a.	Sol luna coelum sidera .	71a	85a.

[1]) Der Hymnus erscheint in mehrere Teile zerlegt für die sog. kleinen Horen; ist indes nur einer.

	V	P
Refulsit omnis	72a.	85b.
Laetare coelum desuper	73a.	86b.
Vita sanctorum	74a.	87a.
Orat salutem servulo	74b.	87b.
Gesta sanctorum martyrum	75a.	88a.
Festum beati martyris	75b.	88b.
Jam nunc per omne saeculum	76a.	89a.
Clarescat terris	77b.	89b.
Verba cum vitae	78a.	90b.
Christi athletae	78b	90b.
Signum crucis mirabile	79b.	91b.
Rex angelorum praepotens	79b.	91b.
Arbor salve sanctissima	80a.	—
Tibi Christe splendor patris	80b.	92a.
Illuminavit hunc diem	81a.	92b.
Mysteriorum signifer	81b.	93a.
Coelestium te signifer	82a.	93b.
Alme rex archangelorum	82b.	94a.
Sancte Michael archangele	83a.	94a.
Unitas in trinitate	83b.	94b.
Centies mille	84a.	95a.
Alme confessor	85a.	96b.
Aeterne rex altissime	85b.	97b.
Optatus votis omnium	86a.	98a.
Hymnum canamus gloriae	86b.	98b.
Festum nunc celebre	87a.	98b.
Funeris victor	87b.	99a.
Jam Christus ascendit polum	88a.	99b.
Veni creator spiritus	88b.	101a.
Beata nobis gaudia	89a.	101a.
Jam Christus astra ascenderat	89b.	101b.
Anni peractis mensibus	89b.	102a.
Et hoc supernum munus est	90a.	102a.
Apologetici martyrem	90b.	102b.
Hostem humani generis	91a.	103a.
Rex metuende	91b.	103b.
Ad Viti beatissimi	92a.	104a.
Alma beati martyris	92b.	104a.
Grates tibi Jesu novas	93a.	104b.
Ut queant laxis	94a.	105a.
Almi prophetae	95a.	106b.
Assertor aequi	95a.	107a.
Praeco praeclarus	93b.	107a.
Decus sanctorum martyrum	95b.	107b.
Sanctorum laudes celebrent	96b.	108b.
Aurea luce	97a.	109b.
Doctor egregie	97b.	110a.
Apostolorum passio	98b.	110a.
Felix per omnes	99a.	110b.
Praelata mundi culmina	98a.	111b.
Utraque pars psallentium	100a.	111b.
Christe rex clemens	101b.	112b.
Exsultet orbis ambitus	101a.	113a.
Almi triumphum Quirici	102a.	114b.
Cantemus omnes arbitri	102b	115a.
Festa sacrati praesulis	104b.	115b.
Apollinaris beate	105a.	115b.
Sacri Christi pontificis	105b.	115b.
Angusta vitae tempora	106a.	116b.
O nata lux de lumine.	106b.	117a.
O sator rerum	107a.	117b.
Magni palmam certaminis	107b.	118a.
Martyris Christi	108b.	119a.
Devota mente socii	108a.	119b.
En martyris Laurentii	109b.	120a.
Apostolorum supparem	109a.	120a.
Quis possit amplo	110b.	121b.
Fit porta Christi pervia	111a.	122a.
Nunc tibi virgo virginum.	111b.	122a.
Ad laudem sanctae Mariae	110a.	122b.
Mariam matrem Domini	112a.	123a.
Lux mundi beatissima	112b.	123a.
Hymnum canamus socii	112b.	123b.
Agonitheta nobilis	113a.	123b.
Ad laudem Christi procerum	113b.	124a.
Gaudium mundi	114a.	124b.
Summum percurrit circulum	114b.	125a.
Adest dies praefulgida	103a.	126a.
Alma Christi quando fides	104a.	126b.
Eufemiae celebremus	115a.	—
Conditor cosmi	116a.	127a.
Solemne tempus vertitur	117b.	128a.
Pangendo coeli	118a.	—
Aeterne Jesu	119a.	—
Adest sacra festivitas	119b.	—

	V	P
Christe qui virtus . . .	120a.	129a.
Alma cunctorum . . .	120b.	129b.
Jesu salvator saeculi . .	—	131a.
Martine confessor Dei .	122a.	131b.
Christe rex noster . . .	122b.	132a.
Bellator armis inclitus .	124b.	132b.
In laude Martini Deus .	123b.	133a.
Rex Christe Martini decus	124a.	133a.
O pater sancte	125a.	134a.
O veneranda	125b.	134a.
Ad Christi laudem virginis	125b.	134a.
Martyris Christi	—	134b.
Clementis festum . . .	126a.	135a.
Pio feramus pectore . .	127a.	135b.
Decus sacrati nominis. .	127b.	136b.
Post Petrum primum principem	128a.	136b.
Nobis ecce dies	128b.	137a.
Sancti Zenonis praesulis .	128b.	—
Sacratum hoc templum Dei	129a.	138a.
Christe cunctorum . . .	129b.	138b.
Christe coelorum . . .	129b.	139a.
Urbs beata Hierusalem .	130a.	139b.
Refulgent clara	130b.	139b.

	V	P
Sancti Ambrosii praesulis	131b.	140b.
Annue Christe	—	141b.
Exsultet coelum laudibus .	132a.	142b.
Apostolorum mystica . .	133a.	142b.
Aeterna Christi munera .	134a.	143a.
Regis immensi	133b.	143b.
Palma sanctorum . . .	132a.	143b.
Sanctorum meritis . . .	—	145a.
Rex gloriose martyrum .	134b.	145b.
Aeterna Christi munera .	—	146a.
Deus tuorum militum . .	134b.	146b.
Martyr Dei qui unicum .	—	147a.
Adest jam dies	—	147b.
O martyr aeterni patris .	135a.	148a.
Christe rex splendor gloriae	—	148b.
Summe confessor . . .	135a.	149a.
Iste confessor	136a.	149b.
Jesu redemptor omnium .	136a.	150a.
Jesu corona celsior. . .	136b.	—
Sacra piorum martyrum .	137a.	150b.
Virginis proles	137b.	151a.
Jesu corona virginum . .	137a.	151b.
Digne te sancte Domine .	138a.	151b.
Felix vera virginitas . .	138b.	152a.

Bei sothanem Bestande der Handschrift konnte ich mich so wenig wie früher bei dem Hymnar von Moissac entschliefsen, den Inhalt derselben zu zersplittern; vielmehr stand, sobald ich Abschrift von der Pariser Handschrift genommen (Sommer 1889) mein Entschlufs fest, dieselbe als ein Ganzes zu veröffentlichen. Hiezu war zunächst die Kollation der vatikanischen Handschrift unumgänglich, eine Arbeit, der ich mich erst im Frühjahr 1892 zu unterziehen imstande war. Allein schon vorher war mir durch Vergleich der von Ozanam veröffentlichten Hymnen klar geworden, dafs die Mehrzahl der zahllosen, den Codex Parisinus entstellenden Lücken und Fehler auch seinem vatikanischen Milchbruder gemeinsam seien. Meine Hoffnung mufste deshalb sein, die Hymnen von St. Severin wenn möglich in anderen unabhängigen Handschriften wiederzufinden, welche gestatten würden, die Fehler zu bessern und die Lücken zu

schliefsen. Wie man sehen wird, ist diese Hoffnung für einen grofsen Teil der Hymnen in Erfüllung gegangen. Ein anderer Teil indes ist mir auch in Italien nirgends wieder zu Gesichte gekommen; für diese Lieder bleibt einstweilen das Hymnar von St. Severin die einzige Quelle. Einige derselben sind gut überliefert, andere dagegen bis zu einem solchen Grade entstellt, dafs mir bei einem wenn gleich kleinen Teile keine andere Wahl blieb, als den überlieferten unverständlichen Text so wie er lag und liegt abzudrucken, wie dies schon Ozanam gethan. Nicht blofs rücksichtlich der Metrik gilt, was er a. a. O. (S. 109) äufsert: „Plusieurs hymnes sont d'une telle barbarie que je ne réussis pas mieux à les scander par l'accent que par la quantité, et il faut bien reconnaître que toute trace des anciennes règles s'y perd.“ In manchen dieser Hymnen finden sich alle die wunderlichen Eigenheiten der Grammatik und Syntax wieder, die uns in den Prosen von St. Martial begegneten und die ich in der Einleitung zum VII. Hefte dieser Analekten angedeutet habe. Bei der unzuverlässigen Überlieferung des Textes werden diese Eigenheiten zu einer wahren Plage, da sich nicht entscheiden läfst, wo die Fehler der Abschreiber aufhören und die „berechtigten Eigentümlichkeiten“ der lateinischen Dichter des saeculum obscurum ihren Anfang nehmen.

Das Hymnar von St. Severin als ein Ganzes herausgeben, konnte aber innerhalb des Rahmens dieser Analekta nicht mehr den Abdruck schlechthin aller in demselben enthaltenen Hymnen bedeuten. Es schlossen sich von selbst aus alle Lieder, die schon im zweiten Bande dieser Sammlung sich befinden; ich schliefse des weiteren aus die gewöhnlichen Hymnen de feria und de die, wie sie dem Proprium vorherzugehen pflegen, ferner die Hymnen des Ambrosius, Sedulius, Prudentius u. a., welche teils hinreichend ediert, teils nur Bruchstücke aus längeren Hymnen sind, an denen höchstens die Strophenzahl, mit der sie auftreten, ein Interesse für den Hymnologen hat. Eine Ausnahme habe ich z. B. für zwei Hymnen des Ennodius und einige andere gemacht, wo ich wahrzunehmen glaubte, dafs mein Text Mängel zu beheben imstande sei oder doch verdiene, nicht unbeachtet zu bleiben. Endlich schliefse ich eine Zahl von Liedern aus, die sehr häufig und aus bessern Quellen veröffentlicht wurden, als ich sie zu bieten vermöchte, wiederhole da-

gegen eine Reihe von solchen, welche nur aus einer, meist nicht fehlerfreien Quelle geschöpft sind, so namentlich einige, die Morel aus Rheinauer Handschriften veröffentlicht hat. Die nötigen Hinweise sind bei den einzelnen Hymnen gegeben.

Von einer Anzahl der nicht aufgenommenen Hymnen hätte ich nicht ungern eine Reihe abweichender Lesarten notiert, lege dieselben indes mit andern für eine spätere, passendere Gelegenheit zurück.

Schliefslich benutze ich diese Stelle, um unserem liebenswürdigen Landsmanne, dem hochwürdigen Herrn J. Bollig, Präfekten der vatikanischen Bibliothek, meine Erkenntlichkeit zu bezeugen für die stete Bereitwilligkeit, mit der er monatelang mit Rat und That meine Arbeiten gefördert.

Exaeten, den 8. November 1892.

G. M. Dreves.

HYMNARIUS SEVERINIANUS.

---

1. In Adventu DN.

1. Sol, astra, terra, aequora,
Montes, colles et sidera,
Laudate unigenitum,
Qui erat ante saecula.

2. Quem Gabriel praedixerat,
Adventum Dei altissimi,
Prolem excelsi germinis
Dives et inops concrepet.

3. Olim promissum vatibus,
Partum puellae inclitum,
Natum ante luciferum,
Dei potentis filium.

4. Venturum regem gloriae,
Deum regnantem regibus,
Mundum salvare languidum
Hostem quoque perimere.

5. Cujus throni et angeli
Tremebunt ante faciem,
Dei exsultant gloriam,
Terra collaudat munera.

6. Vix tantum coeli capiunt,
Inlaesa virgo parturit,
Nascitur senex juvenis
Et antiquus et artifex.

7. Laetentur simul angeli,
Omnes exsultent populi,
Excelsus venit humilis
Salvare, quod perierat.

8. Deus et homo oritur,
Sanctaque regnat trinitas,
Aequalis patri filius
Terras descendit Dominus.

9. Clament prophetae et prophetent,
Emanuel jam prope est,
Mutorum linguae jam sonent,
Claudi, in occursum pergite.

10. Agnus, ferae et bestiae
Simul manducent paleas,
Agnoscat bos et asinus
Jacentem in praesepio.

11. Signum regale emicans,
Agant magi obsequia,
Regali nato nobili,
Reges, parate munera.

12. O quam beatum nuntium,
Virgo Maria audiens
Credendo mater fit Dei
Et virgo virum nesciens.

13. Omnes gentes et insulae,
Magno triumpho plaudite,
Cursu cervorum currite
Redemptor ecce jam venit.

14. Discant caecorum oculi
Clausum videre luminis,
Noctis tenebras solvere,
Lumen verum percipere.

15. Gens Galilaea et Graeca,
Credant Persae et India,
Dignando Deus homo fit,
Et verbum cum patre manet.

16. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In saeculorum saecula.

V fol. 3b; P fol. 15a. — Der Hymnus findet sich ebenfalls in Cod. Vatic. Reg. 338. saec. 10/11. und um drei Strophen kürzer in dem Hymnar von Moissac (vgl. Analecta II, 81), dessen Text auch sonst von dem vorstehenden nicht unerheblich abweicht, weshalb derselbe hier wiederholt ist. Zwei Strophen des Liedes finden sich nach Cassander bei Daniel I, 257; sie lassen erkennen, dafs Cassanders Text von Str. 1 auf 10 hinüberspringt. — 2, 4 inobs V. — 5, 4 collaudant VP. — 6, 1 capient VP. — 8, 4 Terris P. — 11, 4 Regi P. — Von der Doxologie nur die ersten zwei Worte V.

2. De Adventu DN.

1. Verbum salutis omnium
Patris ab ore prodiens,
Virgo beata, suscipe
Casto Maria viscere.

2. Te nunc illustrat coelitus,
Umbra sacrati spiritus,
Gestes ut Christum Dominum,
Patri aequalem filium.

3. Haec est sacrati janua
Templi serata jugiter,
Soli tremendo principi
Pandens beata limina.

4. Olim quod clausus retulit
Liber septenis clausulis,
De tribu Juda nunc leo
Victor exsistens prodidit.

5. Ob hoc surgamus ocius,
Grates feramus Domino,
Qui manet ante saecula
Semper cum patre filius.

6. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In saeculorum saecula.

V fol. 3b; P fol. 16b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Brev. ms. Casinense saec. 13. Cod. Casinen. 419. B. — Brev. ms. Casinense saec. 14. Cod. Casinen. 34. C. — Psalt. ms. Beneventanum saec. 12. Cod. Neapolit. VI F 2. D. — Psalt. ms. Coelestinorum de Gentilino saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Avenionen. s. n. E. — 2, 2 sacrata P. — 2, 4 Patris aeterni filium CE. — 4, 1 Olimque clausus P. — 6, 2 patri cum filio E.

3. In sancti Nicolai.

1. Debitas laudes Domino canentes
Mente devota celebremus omnes
Hunc diem sacrum, Nicolaus in quo
Aethera scandit.

2. Qui Dei legem meditando digne,
Pervigil coeli cupiendo regna
Hoste devicto nitidus refulsit
Sanctus in orbe.

3. Namque cum pastor bonitate dignus
Myrensis clarae peteretur urbis,
Coelitus tandem meruit vocari
Rector opimus.

4. Praesul effectus populis benignus
Exstitit, dulcis, placidusque clemens,
Omnibus praestans pietatis usu
Commoda digna.

5. Gratia Christi salubri repletus
Daemonum cultus penitus repellit,
Per viam lucis tenebris repulsis
Currere monstrat.

6. Praedicat cunctis famulari Christo,
Allevat tristes famis ex pavore
Commoda praestans, triticum ministrans
Nil minuendo.

7. Fluctibus mersis fletibus vocatur,
Adfuit praesens mitigansque fluctus,
Providus monstrans olei liquore
Temnere flammas.

8. Terret Augustum pater almus instans,
Solvat ut frustra miseros revinctos,
Mortis atrocis monitis beatis
Vincula frangit.

9. Sicque devotus pietatis actor
Se pius gestans famulando Christo,
Aetheris regnum meruitque sacrum
Scandere clarus.

10. Plaudit insignis tua plebs, beate,
Graecia gaudet redimita festis,
Quod tuis sanctis meritis maligni
Crimina quassat.

11. Protege plebes tibi praecinentes
Hostis adversi quatiendo fraudes,
Quatenus mundi mereamur atri
Temnere fluctus.

12. Quaesumus, sancte nimium beate,
Posce pro nobis Dominum rogando,
Quo suam veram mereamur omnes
Cernere lucem.

13. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 5a; P fol. 17a. — Ferner: Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. A. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI. 171. B. — Brev. ms. Farfense saec. 13. Cod. Vallicellian. C 93. C. — Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. 524. D. — 1, 3 Hunc fehlt B. — 2, 1 lege P. — 4, 3 praestat VP. — 4, 4 Commoda vitae B. — 6, 2 Alevit VP; alebat B. — 6, 3 tritici VB; ministris B. — 6, 4 Nihil VP. — 8, 1 Augustos VP; pater almus inquam VP. — 8, 4 Vincula tangit P, tergit V, fregit B. — 9, 1 pietatis acta VP. — 10, 1 Plaudet VP. — 10, 3 Quo tuis VP. — 11, 1 plebe tibi praecinente VP. — 11, 2 aversi VP; averse B. — 11, 3 mereamur atros B. — 13, 1 Gloria patri VP. — Der Hymnus ist aus V von Ozanam, nach diesem von Migne PPLL. 151, p. 814 mit vielfachen Fehlern gedruckt.

4. In sancti Nicolai.

1. Solemne tempus vertitur,
Quo pontifex Nicolaus
Carnis deponens sarcinam
Liber transcendit aethera.

2. Claro satus hic germine
Ornavit stemma moribus,
Sanctis mandatis obsequens
Praesul sacratur coelitus.

3. Auro patris infamiam,
Stuprum redemit virginum,
Verbi doctrina profluens
Ritum destruxit daemonum.

4. Sumpti mensuram tritici
Ministris supplet regiis,
Plebi frumentum dividens
Dempsit famis penuriam.

5. Oppressi nautae fluctibus
Ejus virtutem postulant,
Procellae mox saevissimae
Turbo sedatur imminens.

6. Praesens objurgat consulem,
Augustum terret somnio,
Statim resolvi praecipit
Ligatos frustra vinculis.

7. Omnis devota Graecia
Magnis plaudit tripudiis,
Alumni quae et praesulis
Decore splendet nobili.

8. Alma qui nitens laurea
Donis pollet charismatum,
Suis praestans supplicibus,
Pura quod mente flagitant.

9. Oramus ergo cernui
Omnes, pater sanctissime,
Quo semper patrociniis
Tuis fruamur affatim.

10. Nostris curva sub gressibus
Tyranni colla perfidi,
Ne mundi nos illecebris
Cogat servire subdolis.

11. Occursus nullus ultima
Perturbet nostra, quaesumus,
Nec pars adversa spiritum
Aeternis tradat ignibus.

12. Sed Christo laudis gloriam,
Patri sanctoque flamini
Jugem canamus liberi
Per infinita saecula.

V fol. 6a; P fol. 18a. — Ferner: Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. 524. B. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5 (407). add. saec. 14. C.

1, 3 carnem C. — 2, 2 stegma VPC. — 2, 4 sacratus spiritus C. — 4, 1 Sumpta mensura C. — 4, 2 Ministri C, replet P, regibus C. — 4, 4 Depressit famis VP, demisit famis C. — 5, 1 fructibus C. — 5, 2 Cujus C. — 5, 4 eminens C. — 6, 1 Praeses C. — 6, 4 Ligatis P. — 7, 1 gratia C. — 7, 2 plaudet VPC. — 7, 3 Alumni quod VC. — 8, 2 pollens C. — 8, 4 Pura qui P, flagitet C. — 10, 3 nos in latebris P. — 10, 4 servire idolis C. — 12, 1 Sit Christo laudis gloria C. — 12, 3 Jubem canamus. — Der Hymnus ist nach V von Ozanam, nach diesem von Migne l. c. p. 814 gedruckt mit mehreren Fehlern; so druckt Ozanam-Migne 3, 3 Verbis doctrina, obschon V richtig verbi hat.

5. In sanctae Luciae.

1. Christe, lux mundi, salus et redemptor
Et nobis forma redeuntis orbis,
Qui tuo totum proprio dicasti
Sanguine mundum.

2. Instrue nos te petere, quod optas,
Martyrum simus memores tuorum,
Luciae sacrae meritis juvemur,
Virginis almae.

3. Ut tuos semper famulos gubernet
Et tibi dignos faciat ministros,
Integros mentis, operumque simul
Dirigat actus.

4. Quae patris gazas fugiens reliquit
Simul et clarae genitricis opes,
Cujus et foedum pariter utraque
Virgo cruorem.

5. Nam cum ad sacrum tumulum Agathae
Sisterent ambae simul ad precandum,
Et fidem mater simul et salutem
Sensit in horam.

6. Tunc piae mater monitu puellae
Copias rerum satis universas
Vendidit, cuncta tradidit dilectae
Praemia natae.

7. Illa dum nullis agitata rebus,
Ne viro saltem habitura proles,
Cuncta dispersit truibuens egenis
Virgo beata.

8. Mox cum audivit, stupuit tyrannus,
Praeceps ut turbo removere vultus
Coepit et jussit sibi praesentari
Protinus illam.

9. Et modo blandis gravibusque minis
Publice terret, refovetque spondet,
Sed nullo illam potuit tenere et
Flectere pulchram.

10. Aestuat saevus nimio furore,
Jussit accendi famulis caminum,
Quae dum orasset humilis puella,
Flamma recessit.

11. Dumque infelix valide praefixam
Cerneret stantem penitus puellam,
Tunc boum jussit paria trahentum
Jungere multa.

12. Quam cum hinc nullus removere posset,
Lotium fundi capiti decoro
Jussit et torpens refugosa diu
Fronte remansit.

13. Tandem ad duros animum retorquens
Carnifex actus scelerumque nitor,
Praecepit cultrum graviter in ejus
Viscera mergi.

14. Quo licet facto diruit furentem
Alloquens plebem populumque totum,
Pace laetari ecclesiam recepta
Rege perempto.

15. Sicque cum palma Dominum petivit
Aetheris celsas gradiens ad aulas,
Et patris summi penetrat ad regnum
Martyra caelebs.

16. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 7b; P fol. 18b. — 1, 3 Quo tuo votum VP. — 2, 1 quae optes P, quod optes V. — 4, 2 et carae V. — 4, 3 ist verschrieben; VP lesen beide utraque, welches in V aus uterque korrigiert ist; utraque virgo ist Agatha und Lucia. Das ausgefallene Zeitwort, im Sinne von curavit, dürfte an Stelle von pariter gestanden haben. — 6, 1 pia mater V, monuit puellae P. — 8, 1 auditur P. — 9, 1 Ut modo V. — 9, 4 pulchra P. — 11, 2 puella P. — 12, 2 Lotio fundi capite VP. — 13, 2 scelerumque nitor VP. — 14, 3 ecclesia V. — 15, 3 summo VP. — 15, 4 Martyr ac celebs P. — 16, 1 Nur die drei ersten Worte der Doxologie P.

6. In sanctae Luciae.

1. Lux mundi vera, salus et aeterna,
Christe, redemptor virginumque decus,
Virginis sacrae Luciae devotae
Festa colentes tuere benignus.

2. Cui haec virgo cohaerendo digne
Vicit tenebras principe cum suo
Calcavit per quod verticem chelydri,
Primae parentis suasoris, sancta.

3. Ditis quo tuis gazis haberetur,
Opes avitas tribuens egenis
Sponsum elusit, tui namque voto
Cuncta despexit sapiens puella.

4. Hinc genitricem sanat in utroque
Maximum praebens fidei ardorem,
Fulta virtute, nimis quem dilexit,
Virginis nati atque creatoris.

5. Multos ac duros sustinens agones
Hujus amore immota persistit,
Martyr effecta pervenit ad ipsum,
Quem semper optavit virgo beata.

6. Gloriam magnam referamus patri,
Filio quoque, spiritui sancto,
Cujus est honor, decus et potestas
Per cuncta semper saeculorum saecla.

V fol. 8b; P fol. 19b. — 2, 4 sua sororis VP. — 5, 4 Lies: Semper optavit virgo quem?

7. In sancti Thomae.

1. Festa jucunda concio fidelium
Nunc in honorem celebret apostoli
Thomae beati, Domini discipuli,
Mente devota.

2. Qui redemptoris perscrutando vulnus
Carneum, sanat vulnus dubitantum,
Haereses calcat confitendo Deum.
Voce beata.

3. Posthinc accinctus promptus ad certamen
Felix catervas populorum magnas
Duxit ad fidem nempe sui regis
Atque magistri.

4. Missus ad Indos supera jussione
Atque daemonum ludicra destruxit,
Convertit fana dejecitque larvas
Christi virtute.

5. Nam architectus, dum forte lapsuri
Quaeritur laris, cluit tunc manentis
Omne per aevum, rite rutilantis
Luce perenni.

6. Vita defuncto redditur germano
Regis Indorum, ut agnoscat sanctum,
Quod de tellure possit super coelos
Struere domum.

7. Tandem ablutus latice salutis
Simul cum fratre omnibusque suis
Mortem evasit, vitam adquisivit
Thoma docente.

8. Nec non et passim populus per illum
Credidit Christum, cunctum paene regnum
Indicum namque Dominum sequuntur
Glorificantes.

9. Sic ad extremum mira post peracta
Multa, beatus lancea percussus,
Ut pro se Christus, martyr est effectus,
Aethra petivit.

10. Precetur ipsum pro nostris delictis,
Cui resurgenti exclamavit dicens:
Dominus meus atque Deus meus,
Testis fidelis.

11. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboatur omni
Gloria mundo.

V fol. 8b; P fol. 20a. — Bei Morel p. 170 aus Cod. Rhenovien. 91 saec. 10 nicht ohne Abweichungen M. — 1, 1 concio fidelis M, fidelium VP. In der ersten Strophe haben alle drei sapphischen Verse eine Silbe Überschufs. — 2, 3 confitendo Dominum P. — 4, 1 sqq. Diese ganze Strophe vgl. man bei Morel, dessen Wortstellung die richtigere zu sein scheint, obgleich auch sie nicht einwandfrei ist. — 4, 1 superna missione P. — 5, 1 collapsuri VP, lapsuri M. — 5, 3 aevum revelatione P. — 7, 1 ablutis VP. — 7, 3 vitam acquievit P. — 8, 1 populos P. — 10, 2 resurgente P. — 11, 2 sqq. fehlen P.

8. In sancti Thomae.

1. Sancti Thomae apostoli
Laudes canamus debitas,
Perquam pro Christi nomine
Carnis tormenta sustulit.

2. Dirigitur in Indiam
Praedicans verbum Domini
Miles aulae aethereae,
Firmans culmen orthodoxum.

3. Taetro retrusus carcere
Alma luce ingreditur,
Portae signatae annulo
Patefiunt apostolo.

4. Regis conjux et filia
Ejus adsistunt gloriae
Suisque sacris monitis
Christum hortantur credere.

5. Traditus est militibus
Deum patrem glorificans,
Quod monumentis attritis
Devicit adversarios.

6. Percussus telis quatuor,
Suo decoratus sanguine,
Fidem conservans integram
Aevi complevit terminum.

7. O mira fides apostoli,
Regis diri ex sobole
Post casum ejecit daemonem,
Deum credere compulit.

8. Venite, omnes populi,
Ipsum rogemus subditi,
Ut illibatis precibus
Nostra delicta deleat.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 10a; P fol. 20b. — Ferner: Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. A. — Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. B. — Letzterer enthält nur die neun ersten Zeilen des Liedes. — 2, 1 in India VPA. — 3, 1 Petra retrusus A. — 3, 2 Arma luce A. — 3, 3 Post haec signatae A. — 3, 4 Patefient VP, pathefiant A. — 5, 3 Quod elementis factus sum A. — 5, 4 Ab his binis nunc lanior A. — 6, 2 Suo decoratos V, decorato P, suum decoratum sanguinem A. — 6, 3 Fide fehlt A, ferventer integra A. — 6, 4 Aevi complexi A. — 7, 2 exobole V, diriget sobolem A. — 7, 3 daemonium P, daemonum korrigiert in daemonium V, daemonem A. — 8, 1 Antistes atque populi A. — 8, 3 Tui libatis A. — P. überschreibt das Lied mit: Alium hymnum, V. in Laudibus.

9. In sancti Gregorii.

1. Martyris en Gregorii
Festum sacratum colimus,
Qui rite spretis infimis
Adeptus est sublimia.

2. Hic Spoletano micuit,
Christi splendore rutilus,
Ex genere terrigeno
Concretus, sed nobilium.

3. Quem Flaccus, pellax daemonum
Minister nefandissimus,
Aggreditur certamine
Dolisque minis asperis.

4. Sed hostis cuncta spicula
Frustra feruntur callidi
Nec valent sanctum terrere
Christi vallatum tegmine.

5. Tunc artifex malitiae
Per Flaccum suum militem
Interrogat Gregorium,
Utrumne Christum deneget.

6. Ad haec martyr sanctissimus
Gregorius peralacer
Ovans respondit clarius,
Christum se Deum colere.

7. Torvus ut leo fervidus,
Ut draco quippe callidus,
In sanctum Dei martyrem
Frendebat judex pestifer.

8. Consultibus ast utitur
Tyranni, viri pessimi,
Quo genere supplicii
Perdendus sit Gregorius.

9. Dira percurrit verbera,
Rogis uruntur latera,
Nec frangitur constantia,
Nam additur agonia.

10. Exhinc opaci carceris
Concluditur ergastulo,
In quo solamen coelitus
Accepit Dei famulus.

11. Raptus bachantum furiis,
Jactus pastum leonibus
Restrinxit rictus rabidos,
Ut Danielo contigit.

12. Jam Acherontis vernula
Confusus tot prodigiis
Capite plecti praecipit
Invictum Christi militem.

13. Sic, quae semper optaverat,
Perosa linquens rurica
Tandem mansura gaudia
Nactus est super aethera.

14. Unde jure tripudiat
Spoletana plebecula
In laude tanti martyris,
Quem meruit suscipere.

15. Gregori, martyr maxime,
Ora pro nobis sedule,
Ut tecum in perpetuum
Laetemur ante Dominum.

V fol. 10b; P fol. 21a — 1, 1 1: En martyris? — 2, 4 sed nobilius V. — 4, 2 feruntur callida P. — 4, 3 1: Terrere nec sanctum valent? — 11, 1 bacchantis P. — 13, 2 Per ossa V; perossa P. — 14, 3 In laudem V.

10. In Nativitate DN.

1. Surgentes ad te, Domine,
Atrae noctis silentio
Vigiliis, obsequiis
Patrum sequentes ordinem.

2. Quem nobis dereliquerant
Jure haereditario,
Ministrantes excubiis
Tibi, sancte paraclite.

3. Pari cum patre clarus es,
Cum Christo subtilissimus,
Multisque modis spiritus
Rex mysticus agnosceris.

4. Fragiles carne conspice,
Quos ille antiquissimus
Suis decepit artibus,
Tuis trahe virtutibus.

5. Grex tuus tibi deditus
Nullo teneatur crimine,
Quem tuo, Christe, sanguine
Voluisti redimere.

6. Oves errantes provide,
Pastor bone, piissime,
Ad aulam celsitudinis
Tuis reporta humeris.

7. Tabefactus et saucius
Abscedat princeps daemonum,
Perdat praedam de faucibus
Fur importunus, rabidus.

8. Exsultet Christus Dominus,
Psallat chorus angelicus,
Laudes sonans in organo
Ter sanctus dicat Domino.

9. Gloria tibi dicimus,
Pater, una cum filio,
Simul cum sancto spiritu,
In trina laude personet.

V fol. 12a; P. fol. 24a. — Der seltene Hymnus, der auch in der Mozarabischen Liturgie vorkommt, ist von Mone aus der Trierer Handschrift 1404, die er dem 9. Jahrhundert zuweist, gedruckt I, 310. M. — 1, 4 sequemur M, eine nicht gerechtfertigte Änderung Mones, oder Arevalos? da auch die Trierer Hs. sequentes liest. — 2, 1 dereliquerunt VP. — 2, 3 Ministrantes obsequiis M. — 3, 3 que fehlt M. — 3, 4 Et mysticus agnosceris M. — 4, 1 Fragiles carnes V, fragili carne M. — 5, 2 Nullo teratur M, Änderung Mones, da auch Trier teneatur liest. — 7, 1 Insatiata rabies M. — 8, 3 sonant M. — 8, 4 dicant M, Änderung Mones. — Str. 9 fehlt M.

11. In Nativitate DN.

1. Audi, redemptor gentium,
Natalis tui gloriam,
Bethlem egressus a Deo
Mariae partus virginis.

2. Christe, virtutum Domine,
Non ex virili semine,
Divinitatis unius
Consorsque sancti spiritus.

3. Es potens omnium salus,
In te credentes libera,
Fortis ubique in proelio
Nos peccatores eripe.

4. Genitum Deum ex Deo
Miramur in hoc corpore
Hominem Deo similem,
Mysterium mirabile.

5. Jam nos te sanctum credimus,
Obstupescunt et angeli
Kasto nascentem corpore
Pastorem ex tribu Juda.

6. Lumen refundens perditis
Jesse originem ducis,
Mundus contactu carneo,
Esse quod voluisti, es.

7. Natalis tui gaudium,
Quod homo natus ex Deo,
Omnes fatemur filium,
Regnum paternum permanens.

8. Perennes laudes dicimus
Patri Deo et filio,
Qui est vocatus ex Aegypto
Per suos famulos Deus.

9. Renati sancto spiritu
Lumen videmus muneris,
Si te sequentes Dominum,
Salvi erimus jugiter.

10. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri ac filio
Simul cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 12b; P fol. 24b. — Ferner: Hymni sec. regulam s. Benedicti saec. 10. Cod. Bruxellen. 15117. A. — Hymn. ms. Anglicanus saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. B. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII (daraus bei Stephenson p. 41). C. — Psalt. ms. Monasticum saec. 12. in. Cod. Capit. Vaticani D 156. D. — Brev. ms. Montis Romarici anni 1600. Cod. Parisien. Nouv. acq. 1545. E. — Bei Morel Nr. 10 nach einer Rheinauer Hs. saec. 10/11. M. —

1, 3 Bethleem VMB — 1, 4 partum E; partu M. — 3, 1 Deus potens E. — 3, 2 In te credentium Deus M. — 5, 1 Jam nos ut sancti B, ut sancte M; jamjam nos sanctum A. — 5, 3 nascente M. — 6, 2 origine A. — 6, 3 Mundum M. — 7, 1 Natalis sui M. — 7, 2 Homo natus ex Domino P; Homo natus ex Deo es B — 8, 2 cum filio BM; ac filio A. — 8, 3 Qui es vocatus E; qui evocatus A. — 8 4, Per tuos AC, per tuo E. — 9, 2 muneri M. — 9, 3 Domine C. — Von der Doxologie geben CE nur die erste Zeile, VPBM nur Gloria tibi Domine.

12. In sancti Stephani.

1. Christus est vita veniens in orbem,
Mortis occasum patiens acerbae
Mortuis actu pietatis usu
Vivere donat.

2. Sustulit vulnus removendo mortem,
Mortis auctorem perimendo surgit,
Ad patris dextram repetendo regnat
Sede superna.

3. Hunc sequens primus Stephanus minister,
Mortis illatae titulo decorus,
Quam dedit spirans Domini benignus
Spiritus illi.

4. Vadit exemplo Domini revinctus,
Testibus falsis adopertus innox,
Judicum portat scelerata sanctus
Dicta malorum.

5. Ore scelestos referit malignos
Et probat constans ratione falsos,
Semper indignos Domino polorum
Credere nolle.

6. Saxeo nimbo lapidatus instat,
Paulus est summus lapidantum, servans
Vestes, ut reddat liberos ad ictus
Caede cruentos.

7. Sustinet mortem, rabiem profanam,
Plenus est omni pietate cordis,
Hostibus quaerit veniam misertus
Pectore grato.

8. Imbuit primus homines beatos,
Corde directo, jecore fideli
In fide Christi jugulata telis
Ponere membra.

9. Quaesumus flentes, benedicte prime
Martyr et civis sociate justis,
Coelitus clarae regionis haeres
Inclite pollens.

10. Promptus hinc nostrum facinus remitte.
Tolle languorem, tribue salutem,
Conteras hostem, releva jacentes
Morte subacta.

11. Gloriam psallat chorus et resultet,
Gloriam dicat, canat et revolvat,
Nomine trino, deitate soli
Sidera clament.

V fol. 14b; P fol. 26a. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Aus Cod. Rhenovien. 91. saec. 11. bei Morel p. 308 M. — Die vier letzten Strophen vgl. Analecta II, 37. — 1, 2 occasu VPM. — 1, 3 usus M. — 2, 1 Substulit VP. — 3, 1 Hinc sequens P. — 3, 2 Sortis illatae P; fortis athletae M. — 3, 3 Quem dedit M. — 4, 2 insons M. — 4, 3 portans M. — 5, 1 Ore coelesti M. — 5, 2 Et proba contestans VP. — 6, 1 lapidatur M. — 6, 3 ictum M. — Str. 9 und 10 umgestellt M. — 9, 2 cives P. — 9, 3 Coelitus haeres regionis clarae VP. — 10, 3 Confode hostem VP; releva moerore M. — 11, 1 Gloria psallat P. — 11, 3 Nomini M.

13. In sancti Stephani.

1. Stephano primo martyri
Cantemus canticum novum,
Quod dulce sit psallentibus.
Opem ferat credentibus.

2. Hic primus almo sanguine
Christi secutus gloriam,
Viam salutis ceteris
Amore mortis praebuit.

3. Hic enim per apostolos
Probatur in laudem Dei,
Vexilla mortis rapuit,
Ut praeferretur omnibus.

4. O praeferenda gloria,
O beata victoria,
Hoc meruisse Stephanum,
Ut sequeretur Dominum.

5. Ille levatis oculis
Vidit patrem cum filio,
Monstrans, in coelis vivere,
Quem plebs gaudebat perdere.

6. Judaei magis saeviunt
Saxaque prensa manibus
Conjurant, ut occiderent
Verendum Christi militem.

7. At ille coelum intuens
Tradit beatum spiritum,
Pro persequentum crimine
Precem secundam dirigit.

8. Deus, creator omnium,
Indulge caecis hoc malum
Et hoc nefas, quod adspicis,
Indulge meis precibus.

V fol. 15b; P fol. 27a. — Ferner: Hymn. ms. Capit. Veronen. 109. saec. 11. A. — Hymn. ms. S. Galli? saec. 11. Cod. Berolinen. VIII⁰ 1. B. — 1, 3 Quam dulce sit V; quam dulce est AB. — 1, 4 ferre A, feret B. — 3, 1 Sic enim VP. — 3, 2 in legem Dei P; in laude A. — 6, 2 pressa manibus VP; der schon öfter beobachtete Accusativus absolutus. — 6, 4 Venerandum A; Verum dum VP. — Folgt noch: Gloria tibi Domine VPA und Gloria tibi Domine VB. — Vgl. Mone III. p. 504 sqq. Ich gebe von den Varianten nur die auf unsern Text bezüglichen. Der Hymnus ist mailändischen Ursprungs und die mailändische Fassung die ursprüngliche.

14. In sancti Stephani.

1. Consors levita martyrum
Primum electorum chorus
Stetit Stephanus in fide
Minister altaris sacris.

2. Primus electus munere
Regi Deo effectus est
Jure victor nec impii
Pie levavit nunc preces.

3. Mortem securus per partem
Confessione inclitus,
Quorum sequens confessio
Causam prioris diluit.

4. Quem Saulus stetit exstitit,
Ut eum interficeret,
Saxorum oppressum imbribus
Scutum tectum victoriis.

5. Eratque pulchrum in tempore
Spectaculum triumphalis
Regemque suum militem
Coronam texit se docet.

V fol. 16a; P fol. 27b. — Dies ist einer von jenen Texten, bei denen in Ermanglung besserer Handschriften an eine Heilung der zahllosen Schäden nicht zu denken ist. Ich beschränke mich den überlieferten Text, unverständlich wie er ist, zum Abdrucke zu bringen. 1, 1 levita martyris P. — 4, 4 tectus victoriis V. — 5, 1 Eratque in tempore pulchrum P. — In den Handschriften folgt noch der Anfang der Doxologie: Deo patri in VP und noch dazu Gloria tibi Domine in V. — 1, 2 vermutlich Primus electorum choris zu lesen. — 5, 3 sq. l: Regemque suum militem corona texisse docet?

15. In s. Johannis Evangelistae.

1. Agite omnes diem sacratissimum,
Diem praeclarum, diem celeberrimum,
Diem Johannis, diem natalitium
Evangelistae, diem apostolicum,
In quo e mundo migravit ad Dominum.

2. Hic est, quem Christus ultra omnes socios
Magis dilexit, electus discipulus,
Coeli secreta patefecit largius
Ardua, nimis abdita mortalibus
Hujus praeclaris revelat obtutibus.

3. Hic supra pectus recumbebat Domini,
Perscrutans alta libri evangelici,
Aquilae more volans astra petiit,
Instantis cernens et futura saeculi,
Videns et scribens sensum evangelii.

4. Hic inter plura, quae gessit, miracula
Ligneas virgas congessit in aureas,
Lapides duros in gemmas pulcherrimas
Christi virtute Christique potentia,
Cujus ad nutum patrabat prodigia.

5. Ac Drusianam jam in morte gelidam
Resuscitavit ad vitae confinia,
Non quasi morte sed sopore gravidam,
Precibus fusis seu verbis imperat,
Firmo incessu reverti ad propria.

6. Stacteum post haec juvenem exanimem
Potenter vitae suscitat ad tramitem,
Attico iste satis et Eugenio
Narrat horrenda, quae vidit, in saeculo,
Salutis illos statuens in gaudio.

7. Hausto veneno perstitit immobilis,
Danti venenum dona vitae contulit,
Aristodemum, perfidum pontificem,
Suae protexit indumento tunicae,
Jussit, ut ea mortuos resuscitet.

8. Tunc baptizavit ipsum Aristodemum,
Baptismo lavit consulem pontificum
Omnesque horum parentes et populum.
Hi namque fractis simulacris omnibus
Construunt templum Johannis vocabulo.

9. Huic salvator sanctis cum discipulis
Fulgenti vultu radiis apparuit:
Laborum fructus percepturus speciem
Post diem quintum ad me, inquit, venies,
Lucis aeternae consequeris requiem.

10. Juxta altare dehinc fodi foveam
Jussit quaternis angulis dispositam,
In quam descendit palmas sursum elevans
Precatus laudes fudit diutissimas,
Coelitus illum lux lustrat clarissima.

11. Postea vero inventa est fovea
Manna repleta virtute angelica,
Quod locus ipse gignit usque hodie,
Ibique fiunt virtutes innumerae
Ad laudem Dei magnae et mirabiles.

12. Gloriam patri resonemus jugiter
Et Christo Jesu, laudem usque pariter
Una cum sancto spiritu perenniter;
Trinitas simplex inseparabiliter
Nunc est et erit semper indeficiens.

V fol. 17a; P fol. 29a. — Aus einer Rheinauer Hs. (91) saec. 10/11. bei Morel Nr. 260. M. — 1, 4 et mundo V, a mundo M. — 2, 5 praeclari M. — 3, 1 Sic supra, Fehler des Miniator, M. — 3, 5 evangelicum P. — 4, 1 Sic inter, wie 3, 1 M. — 5, 1 A Drusiana . . . gelida VP. — 5, 3 gravida VP. — 5, 4 seu ist hier zweisilbig, der italienischen Sprachweise entsprechend. — 5, 5 firmo insensu revertit VP. — 6, 5 illo statuens VP. — 7, 2 Dandi VP. — 7, 5 Jussitque ut M — 8, 4 Hic namque P; Inanibus fractis M. — 8, 5 vocabulum M. — 9, 3 percepturos VP. — 9, 4 diem inquit quintum ad me P. — 10, 1 fodere M; fovi P. — 10, 3 In qua P; descendens M; palma rursum P. — 10, 5 Coelitus illud lux lustra M. — Str. 12 fehlt M. — 12, 1 Gloria VP. — 12, 4 Trina simplex P. — 12, 5 est fehlt P.

16. In s. Johannis Evangelistae.

1. Ecce, Johannis, Domini dilecti,
Festa praeclara rutilant in orbe,
Cuncti fideles veneremur apte
Christum laudantes.

2. Quem hic secutus pectore flagranti
Spreto carnali genitore natus
Arte simulque retium vel usu
Obliterato.

3. Haec non exosum lubrica cogentem
Ratus complexum conjugis ut hostem
Tempsit ac illi puriter adhaesit
Virgo perennis.

4. Unde prae cunctis numinis superni
Hauriens alta pectore sagaci
Mystica rite intonat beatus
Evangelista.

5. Exsul ob sui causam vim cogentem
Domitiani Caesaris profani,
Celsa secreta cernit in eodem
Divinitatis.

6. Apostolorum maximus indemnis
Ducitur inde gratia superna
Coetibus plebis populosae magna
Gaudia reddens.

7. Virus nam hausto pristini vigoris
Nil tulit triste, potioris immo
Sisti deinceps visibus tuentum
Contuebatur.

8. Insuper leti legibus subactas
Animas reddit venerandus idem
Vestis contactu propriae veneno
Functis eodem.

9. Lucis minister aquila sublimis
Liquide jubar conspicatur saecli
Ultra creata transvolando scandens
Munere Christi.

10. Vitae fluenta paradisi fonte
Hausit ac mundum praedicando rigat,
Arida quibus pectora virescant
Fructu perenni.

11. Tuba vehemens territat vecordes,
Cum verbum patris semper Christum esse
Mire profatur, Deum apud Deum
Et Deum verbum.

12. A quo procitus compos est effectus,
Coetui fratrum additus est sanctus
In aula poli, dudum ut optavit
Ipse Johannes.

13. Ubi cum Christo sine fine gaudet,
Pro quo contempsit gaudere cum mundo,
Cujus et testis verax ipse manet
In sempiternum.

14. Hinc ad te nostras preces atque vota
Vertimus, sancte suscipe Johannes,
Evangelista Domini benigne,
Noxas delendo.

15. Ut tuis quondam precibus adjuti
Hostibus quoque omnibus devictis
Vitae perennis mereamur esse
Simul haeredes.

16. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat per omnem
Gloria mundum.

V fol. 18b; P fol. 30a. — 1, 1 Johannes Domini dilectus P. — 1, [illegible] rutilans VP. — 1, 3 Cunctis V. — 2, 2 genito renatus P; genitore nati V. — 3, 1 non et osum V; librica P. — 3, 3 pariter P. — 4, 1 Inde prae P. — 5, 1 lies: vi cogente? — 5, 3 Cesa secreta P. — 10, 2 Hauxit V. — 12, [illegible] dudum adoptavit P. — 14, 1 Nunc ad te V. 16, 1 Von der Doxologie nu[illegible] die drei ersten Worte VP.

17. In s. Johannis Evangelistae.

1. Jubilemus carmen dulce
Ore pio, Christicolae,
Christo regi salvatori
Laudes dantes sine fine.

2. Apostolum qui Johannem
Manere virginem fecit
Atque soli prae ceteris
Culmen dedit castitatis.

3. Hic in aurum vertit virgas,
Saxa quoque valde dura
Ope Christi fultus summa
Claras reddidit in gemmas.

4. Post absorptum mortis potum
Artus rexit convalenter,
Reddens vitam jam defunctis
Viris, virus qui hauserant.

5. Te precamur, Deus trine,
Sempiternum almitate,
Dona nobis cum Johanne
Celsa regna possidere.

V fol. 20a; P fol. 31b. — 1, 2 Ore pie VP. — 1, 3 salvatore VP. — 1, 4 Laudes laudantes sine fine VP. — 2, 3 solum V. — 3, 1 Sic in aurum V; vertit frondium virgas VP. — 4, 4 Viris qui auserant P; Virus qui auserant V. — 5, 1 Te deprecamur VP. — 5, 2 Sempiternus almitate VP; lies unitate? —

18. In s. Johannis Evangelistae.

1. Evangelista fulgidus
Et clarus ore apostolus,
Johannes astra dum petit,
Festum dicavit hunc diem.

2. Dilectus omni viscere
Christi, nova dulcedine
Thoro superni principis
Divina pressit pectora.

3. Illic bibens coelestia
Supervolat et sidera,
Dei revelat mystica
Libri fidelis pagina.

4. Cui Mariam provide
Mandat Deus fixus cruci,
Ut in vicem solatii
Mater haberet filium.

5. Surgente post ab inferis
Et stante Christo in littore
Cunctis prius de fratribus
Amans amantem conspicit.

6. Integritate corporis
Et puritate spiritus
Dilectus est a Domino
Plus ceteris apostolis.

7. Vir justus, altus, praepotens,
Exuberans miraculis,
Sancto repletus spiritu
Profunda pandit saeculi.

8. Inter sacros apostolos
Qui plaudit in coelestibus
Aeterna per palatia
Cum rege regum in saecula.

9. Illic ejus precatio
Delicta nostra abluat
Jungatque pro certamine
Coeli supernis civibus.

10. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

P fol. 32a; fehlt in V. — Prosar. et Hymn. ms. Laudunensis saec. 12. Cod. Laudunen. A. — Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. B. — Morel Nr. 259 aus Cod. Rhenov. 91 saec. 10/11. M. — 1, 2 Et clarus honore apostolus M. — 1, 4 hanc diem M. — 2, 3 Choro A. — 2, 4 Conviva

pressit A. — 3, 1 Ille bibens A. — 3, 4 Libris M. — 4, 1 Quem Maria P. — 4, 3 Ut proviso solatium P; ut in vicem solatium M. — 5, 1 Surgentem M. — 5, 2 stantem M. — 5, 4 amante P. — 8, 3 Aeterna praeparata jam P. — 8, 4 regam in gloria AM. — 9, 1 Illic enim PM. — 9, 2 nostra obliteret AM. — 9, 3 post certamina A: per certamina M. — 9, 4 Coelos P. — Str. 10 fehlt M. — Die Melodie bietet A.

19. In s. Johannis Evangelistae.

1. Altissimi apostolum,
Johannem, Dei famulum,
Digno laudemus carmine
Tanto qui fulget nomine.

2. Beatus iste, qui meruit
Solus de sancto pectore
Vitae fluentum lambere,
De quo mundum reficeret.

3. Coeli ad alta praevolans
Arcana verba intonat,
Esse jam in principio
Semper verbum cum Domino.

4. Deus et homo pariter
Manens in uno corpore,
Geminam per substantiam
Operatur mirabiliter.

5. Excelsum evangelium
Pulchro texit eloquio.
Asserens verbum Domini
Carnem sumpsisse hominis.

6. Fugiant omnes haereses
Tanto flagrante lumine,
Ut et perenni gloria
Fides regnet catholica.

7. Gaudet Ephesus civitas
Simul cum omni patria
Ejus fulta praesidio,
Qui est semper cum Domino.

8. Hic est ille fortissimus,
Qui nullo metu territus
Spernit ferventem hominem,
Domitianum principem.

9. Ira commotus tyrannus,
Fremens ut leo dentibus,
Praecepit verbi nuntium
Mergi ferventi dolio.

10. Karitas sancti spiritus
Armat ministrum viribus.
Exin vivente corpore
Amplo ditavit munere.

11. Larga Dei potentia
Percepit beneficia,
Olim quae jam promiserat,
Ipse donec adveniat.

12. Marina per discrimina
Pergit exsul ad insulam,
Illic divina gratia
Cernit magna mysteria.

13. Notat futura omnia
Septem monens ecclesias,
Ut candelabra aurea
Coram Domino splendeant.

14. Orrendas esse tenebras
Doctor benignus praedicat,
Ut pura conscientia
Veram lucem possideant.

15. Progreditur ad Asiam
Corda confirmans dubia,
Ut relinquentes idola
Deo viventi serviant.

16. Quaerit nefanda impius
Contra proferre Cerinthus,
Quem per fidelem famulum
Destruxit Dei filius.

17. Reseravit nam aetheris
Serena valde nimia,
Quae annuente Domino
Ostensa sunt per angelum.

18. Salutis summae gaudio
Mundi replevit ambitum,
Expleto ministerio
Festinat ad coelestia.

19. Thesaurum sancti corporis.
Quod erat templum Domini,
Dum vellet requiescere,
Vivum sepulchro tradidit.

20. Vere post sui terminum
A discipulis quaeritur.
Et non invento corpore
Manna redundat largiter.

21. Xristus virtute maxima,
Qui donat sanctis praemia,
Remunerat discipulum
Sublimis regni solio.

22. Ymnis, venite, dulcibus
Totis canamus nisibus,
Ut nobis indulgentiam
Pastor bonus obtineat.

23. Zelemus verbum Domini,
Qui nos de coelis monuit,
Ut sequentes justitiam
Laeto fruamur tempore.

24. Gloria magna Domino,
Patri, nato, paraclito,
Sit trinitati unicae
Laus nunc et in perpetuum.

P fol. 32b; fehlt V. — Ferner: Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869 A. — 1, 4 Tuo qui fulget A. — 2, 1 Durch Tilgung von qui wird der Überschufs von einer Silbe gehoben. — 2, 3 fluenta P. — 2, 4 De qua P, wonach fluenta als Femininum gebraucht wäre. — 3, 1 ad alta qui volans A. — 3, 2 Arcanum verbum A. — 3, 3 in fehlt P. — 4, 1 homo patitur P. — 4, 2 Gemina P; geminae A; substantia P. — 4, 4 Operans A. — 5, 4 sumpsissem A. — 6, 1 Fugant P. — 6, 3 Ut cum perenni A. — 7, 1 Gaudet et Epheses P. — 8, 1 Hic est vir fortissimus A. — 8, 2 metu teritur P. — 9, 2 Fervens ut P. — 10, 3 Ex ea viventi A; exin intenti P. — 11, 2 Praecepit PA. — 11, 4 adveniam, das Folgende fehlt A. — 13, 1 Nota P. — 13, 4 splendeat P. — 14, 3 conscientiam P. — 15, 4 vivente P. — 17, 2 Lies Secreta valde? — 21, 4 Lies Sublimem? — 24, 1 magni Domino P. — 24, 3 trinitatis P.

20. In ss. Innocentium.

1. Verbum patris, principium,
Proles beata, coelitus,
Narrare quem nemo valet,
Dimissus terris appares.

2. Homo videris, deitas
Manens, apud patrem ut eras,
Omnipotens inspiceris,
Et immortalis cerneris.

3. Tu priscis vaticiniis
Te venturum spoponderas,
Ades medendi pietas,
Cunctorum cura vulnera.

4. Tibi jam prima munera
Dependit Aethiopia,
Bethleem, Judaea patria
Salemque offert eximia.

5. Sanguis pius dum funditur
Natorum ipsorum strage,
Edictum regis pervolans
Occidit infantum agmina.

6. Dicto patratur citius
Herodis saeva jussio,
Abstractos ab uberibus
Allidi solo protinus.

7. Vos etiam sequi semper
Agni refert vestigia,
Quos protulit cruor sacer
Primam praemittens hostiam.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 22 a: P fol. 34 b. — Ferner: Hymn. ms. Capit. Veronen. 109. saec. 11. A. — 1, 1 Verbi patris A. — 2, 4 Et cerneris immortalis VP. Str. 4 steht vor 3 VP. — 3, 1 In priscis P. — 3, 3 Adesse VP. — 4, 1 Sibi jam VP. — 4, 3 Judaeam patriam VP. — 4, 4 lies encennia oder xenia? — 6, 1 patratur ocius P. —

21. In ss. Innocentium.

1. Infantum diem martyrum,
Qui jam pro Christi nomine
Sanctum cruorem fuderunt,
Summis canamus laudibus.

2. Cum rex Herodes impius
Vellet punire Dominum,
Qui propter nostrum omnium
Mundi salutem venerat.

3. A magis se dum conspicit
Illusum, coepit stridere,
Quod cogitatum facinus
Perficere nequiverat.

4. Tunc jubet omnes infantes
Crudeli extingui gladio,
Dum putat inter plurimos
Coelestem regem perdere.

5. Mox ille novas animas
Renatos suo sanguine
Perroseo baptismate
Aeterno regi tradidit.

6. Principia tunc martyrum
Cruor effusus infantum,
Qui lacteis tunc vocibus
Deum coeli testati sunt.

7. Jesus per omnes quaeritur.
In omnibus occiditur,
Ut ipse idem Dominus
Reddat coronam omnibus.

8. Felix est horum gloria
Et nimium felicior,
Qui vix dum mundo nati sunt,
Pro Christo coronati sunt.

9. Gloria tibi, Domine.

V fol. 21 a; P fol. 35 a. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 34. B. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. C. — 1, 2 Qui nam pro Christi V, qui nam Christi P. — 2, 2 puniri AC. — Str. 3 lautet in VP:

Illusus ergo a magis
Coepit fremere ut leo
Corde perdito, quod cogitatum
E manibus amiserat.

4, 1 Hic jubet P; omnem infantiam AC. — 4, 2 Crudeli extorqui (sic) martyrio VP. — Str. 5 fehlt ABC. — 5, 3 Per roseum baptismate VP. — Str. 6 fehlt AC. — 6, 1 Principia tunc bonorum VP. — 6, 2 infantium B; die ganze Zeile: Infantum fuere infantia VP. — 7, 1 Jesus pro cunctis VP. — 8, 3 Qui necdum VPB.

22. In ss. Innocentium.

1. Furens Herodes impie,
Nocere non permitteris,
Scelus, quod exoptaveras,
Tu tuo habes nomini.

2. Quidquid Deus decreverat,
Est prorsus immutabile,
Paras coronam parvulis,
Dum vis necare parvulum.

3. Dei stupenda gratia
Praestat honorem martyrum
Necdum sui capacibus,
Mortemque vita terminat.

4. Dignentur ipsi parvuli
Fovere nos communiter
Precesque nostras infimas
Suis juvent sublimibus.

5. Gloria tibi, Domine.

V fol. 21 b; P fol. 35 b. — Bei Hagenus, Carmina medii aevi, Bernae 1877, p. 109 aus der Berner Handschrift A 90, 19 saec. 10. A. — 1, 1 Fur Herodes VP. — 1, 4 Tuus habet cognominis A. — 2, 1 Quicquod Deus decreverit A. — Str. 3 und 4 fehlen VP. — 5, 1 Praesta pater A.

23. In sancti Silvestri.

1. Silvestri, almi praesulis
Urbis Romae egregii,
Triumphum ore consono
Decantet Christi populus.

2. Quem immanis indolibus,
Truculentus pro Domino
Praefectus tunc Tarquinius
Lacessivit carceribus.

3. Sed persistens immobilis
Vicit athleta nobilis,
Post cujus nequam exitum
Hic pontifex eligitur.

4. Cujus castis affatibus
Constantinus tunc Augustus
Hortatur Christo credere,
Renatus est baptismate.

5. Quem ut linivit chrismate
A morbo elephantiae
Est emundatus illico
Virtute sancti spiritus.

6. Dehinc contra incommodos
Judaeorum philosophos
De coelesti mysterio
Bellans vicit intrepidus.

7. Nam draconis pestiferi
Saevitiam compescuit
Et populos innumeros
Adauxit coeli domino.

8. Nosque a culpae nexibus
Eruat suis precibus,
Qui pro tonantis gloria
Ejus canimus munia.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 22 b; P fol. 35 b; aus ersterem bei Ozanam l. c. und Migne PP. LL. 151, p. 814. — Ferner: Hymn. ms. Capit. Veronen. 109. saec. 11. A. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. B. — Brev. ms. Venetum saec. 14. Cod. Marcian. L I 81. C. — Brev. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Neapolit. VI F 21. D. — Hymn. ms. Campensis anni 1462 Cod. Darmstadien. 521. E. — Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Mediceo-Laurentian. Conv. sup. 457. F. —

1, 2 egregiae P. — 1, 4 Decantent VP; decantat ACF. — 2, 1 Quem in annis indolibus VPAEF; quae in annis etc. C. — 2, 2 Torculentus C. — 3, 1 persistit C. — 3, 3 exitus A. — 4, 3 Hortatus AF. — 5, 2 elephantico C. — 5, 3 Est mundatus EF. — 6, 1 Dein A; Te hinc C; Deinde F. — 6, 4 Bella vicit C; intrepidos E. — 7, 1 draconem pestiferum C. — 7, 4 Adauxit korrigiert in advexit V; Traxitque coeli C. — 8, 1 Nos quoque a culpae VPC; culpis nexibus, Ozanam-Migne. — 8, 2 Eruat sanctus precibus P; Emat suis precibus C; Eruit suis, Ozanam-Migne. — 8, 3 In ejus festo canimus F. — 8, 4 Ejus canamus muniat, darüber korrigiert: annua VP; Canamus ejus annua C; Ejus canimus hymnia E; Hymnum ejus libentius F.

24. In sancti Silvestri.

1. Voce jucunda resonemus omnes,
Laudibus sacris studium ferentes,
Urbis Romanae modulando patrem
  Laude, Silvestrum.

2. Hic pius pastor gregis atque tutor,
Lux fuit caecis baculusque claudis
Ac signa fecit paradisiaca
  Plurima terris.

3. Qui viam cunctis rectissimam monstrat,
Percusso regi reddit sanitatem.
Unde cernentes meruere cordis
  Sumere lumen.

4. Summa virtutum viguit per ipsum,
Claritas cunctum radiando mundum.
Ac sicca corda rigavit fideli
  Christi lavacro.

5. Animas multas conjunxit angelorum
Esse coetumque Dominique templum
Ac decemchordo reboare nablo
  Nocte dieque.

6. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
  Spiritus regnat.

V fol. 23 a; P fol. 36 a; aus V Ozanam l. c. und Migne l. c. M. — 3, 1 monstravit VPM. — 3, 2 reddidit P. — 4, 3 fidele VM, fidelem P. — 5, 1 korrupt: angelorum VPM, 1: junxit? — 5, 2 Esse coetumque VP, Ecclesiae coetumque M. — 5, 3 Ac decem cordo VP. — 5, 4 Noctem diemque VPM. — 6, 1 Gloria patri Deo P, patri als Korrektur oder Glosse über Deo V. — 6, 4 regnet M.

25. In sancti Silvestri.

1. Christe, rex regum, dominator magne,
Patris immensi soboles perennis,
Supplicum vota pariterque odas
  Suscipe clemens.

2. Tu probra mundi noxiaque tergens,
Insuper miro radians splendore,
Tribue clemens bonitatis dona
  Coeli praeclara.

3. E quibus summis veneramur almum,
Urbs magna nobis decus hoc concessit,
Gens Romanorum patris mundi tota
  Cuncta per orbem.

4. Qui postquam sanctis est perfusus undis,
Sacris imbutus literisque doctus,
Spiritu fervens Domino juvante
Cumula semper.

5. Hic recte parcus pater sanctus: inquam,
Stulte hac nocte animam efflabis,
Quare non cessas poena cruciare
Christi cultores?

6. Statimque pastor sanctitate dignus,
Romani tandem populi electus,
Tyranni saeva latitans secessit
Suo cum clero.

7. Horrens Augustus tam immane scelus
Laetas remisit cum matresque natis,
Omnibus donans sua pictate
Commoda vitae.

8. Gratia Christi vere inspiratus
Petrus cum Paulo monuit piscina
Aquarum unda medendique sibi
Salus requirat.

9. Praesul vocatus populi, benignus.
Placitus, clemens exstititque regis,
Illico sancti monstravit liquoris
Christi virtute.

10. Praedicat Christo famulare plebem,
Allevans, moerens, dudum exhortando.
Commoda praestans, jugiter fidelis
Semper orando.

11. Sicque devotus veritatis facta
Crebrius donans famulando poli
Vitae et regnum meruit beatum
Scandere clarus.

12. Gaudet insignis sua plebs sacrata
Romana, plaudit renovata undis,
Quos tuis sanctis meritis antiquis
Fraude devastat.

13. Faveto omnes tibi servientes
Hostis maligni quatiendo fraudes.
Quatenus cuncti mereamur veram
Cernere lucem.

14. Poscimus, alme, nimium beate,
Pro nobis ora Dominum rogando,
Ut mundi mala valeamus omnes
Pellere procul.

15. Sit tibi laus, trinitas immensa,
In qua exsultat nunc coeli caterva.
Nobis ut dones gratiamque veram
Semper in aevum.

V fol. 23b; P fol. 36a; aus V bei Ozanam l. c. und Migne l. c. p. 815 M. — 1, 1 guberna altor (lies gubernator) magne V. — 1, 2 perenni V. — 2, 2 splendorem P. — 2, 4 Praeclara coeli VPM. — 4, 1 profusus M. — 4, 2 Sanctis M. — 4, 4 so VPM. — 5, 1 Ic recte P; Te recte M; lies inquit? — 6, 2 Romanus VP. — 6, 3 Tyrannus VP. — 7, 1 Exhorrens VPM. — 7, 3 Omnibus dona P; donis VM. — 9, 4 Virtute Christi VPM. — 10, 3 fideles VPM. — 12, 2 plaudet VPM. — 12, 3 sq. korrupt. — 13, 3 cunctis VP. — 15, 1 laus wie so oft dreisilbig. — 15, 2 In quo VP.

26. In Octava Domini.

1. Auctor perennis gloriae.
Qui septiformis gratiae
Das spiritum credentibus,
Adsiste mitis omnibus.

2. Expelle morbos corporum.
Mentis remove scandalum,
Exscinde vires criminum,
Fuga dolores cordium.

3. Ut cum preces susceperis
Clemens tuarum plebium,
Reddamus omnes gloriam
Trino Deo per saecula.

4. Octavus horae circulus
Jam vergit omnes instruens.
Diem futuri examinis
Deflere cum suspiriis.

5. Septem dierum cursibus
Nunc tempus omne ducitur,
Octavus ille ultimus
Dies erit judicii.

6. In quo, redemptor quaesumus,
Ne nos in ira arguas,
Sed a sinistra libera,
Ad dexteram nos colloca.

7. Fundere preces tempus est.
Diei cursus admonet,
Canere laudis canticum
Tibi, redemptor omnium.

8. Serenas mentes effice,
Opus honestum perfice.
Preces orantum accipe,
Vitam perennem tribue.

9. Gloria tibi, Domine.

V fol. 24b; P fol. 37a. — 1, 3 Dans VP. — 3, 2 utrarum VP. — 3, 4 Trino Domino VP. — 4, 3 De diem VP.

27. In Epiphania DN.

1. Inluxit orbi jam dies
Corusca tot miraculis,
In quo decursu temporis
Signis Deus se prodidit.

2. Mitis, benignus arbiter
Haec cuncta fecit provide,
Humana mens ne falleret
Sed se colendum crederet.

3. Rogatus est ad nuptias,
Aqua replevit hydrias,
Sermone sui concite
Mutavit unda originem.

4. Stupent fluenta gignere,
Natura quae non contulit,
Pallor ruborem parturit,
Et vina currunt flumine.

5. Johanne baptista sacro
Implente munus debitum,
Jordane mersus hac die
Aquas lavando diluit.

6. Non ipse mundari volens
De ventre natus virginis,
Peccata sed mortalium
Suo fugare lavacro.

7. Dicente patre, quod meus
Dilectus hic est filius,
Sumensque sanctus spiritus
Formam columbae coelitus.

8. Hoc mystico sub nomine
Micat salus ecclesiae,
Persona trina commanet
Unus Deus per omnia.

9. Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

V fol. 27a; P fol. 39a. — Vgl. Mone I, 77 M. — 1, 2 coruscans VP. — 1, 3 decursus P. — 3, 3 Sermones P. — 4, 2 contigit VP. — 4, 4 Vincina currunt flumina VP. — 5, 1 sacrum VP. — 5, 2 Implevit VP. — 6, 2 De ventre matris virginis VP. — 7, 4 Formam advenit coelitus VP. — 9, 1 Nur diese Zeile V. — 9, 4 cuncta laudet saecula P.

28. In ss. Juliani et Basilissae.

1. Artifex poli siderumque fictor,
Arvi patrator pontique locator,
Christe, rex regum, astrifer immense,
Cuncta qui regis.

2. Nomine trino qui ubique pollens,
Te tremit rerum machina cunctarum,
Aether et humus mariaque cuncta,
Sol atque luna.

3. Accipe hymnum, petimus, et carmen,
Tui quae fundunt famuli per annum,
Martyris almi festa recensentes
Nunc Juliani.

4. Cuncta qui sprevit peritura cosmi,
Calcavit mortem signa per stupenda,
Exstitit tuus signifer invictus,
Hostes prosternens.

5. Antiochenae civitatis ortus,
Unicus tantum genitori natus,
Micuit saeclo, tyrannis ut jubar
Luce coruscans.

6. Rhetoricorum studiis refulget,
Cunctos praecellens musicos et scribas,
Physicos namque dialecticosque
Christi sophia.

7. Poteris nutu Basilissae junctus,
Conjugi sacrae, spiritu non carne,
Manens altrici unica ut ipse
Germine claro.

8. Mille devicit Martiani artes,
Praesidis diri, chelydri cruenti,
Maximiani tempore Augusti,
Rabidi regis.

9. Millium mille animas ad Christum
Traxit athleta hostibus devictis,
Machinis cunctis superatis rite
Fidei scuto.

10. Instar et conjux sociavit multos
Civibus sanctis virgines, quas traxit
Ore luporum recusantes nuptum
Christi amore.

11. Namque post omnes obiens sacrata,
Merito sequens gregem, quem ducavit,
Veraque sistens pastrix non metella
Corpore casto.

12. Poena post ampla laureato sponso
Vix unquam cujus valet fari plectro,
Adstruit parem falerata sanctis
Inquiens ita:

13. O care, veni, alti regis jussu,
Hodie palma consummato cursu
Nobiscum frui magno cum triumpho
Vita perenni.

14. Laus sempiterna trino sit et uni,
Tanta qui reddet suis servis dona,
Suo qui ponunt pro amore vitam
Sanguine rubro.

V fol. 29a; P fol. 40b. — 1, 2 Arvae V. — 2, 1 Zu ergänzen es. — 3, 2 quas fundunt VP. — 5, 1 Antiochena civitas ist als Städtename behandelt. — 5, 2 Unicum . . . natum VP. — 7, 1 Poteris VP, Genitivbildung von potis? — 7, 2 Conjugis VP, sacra P, spiritus VP. — 7, 3 altrice unicam P; vgl. 5, 2 — 8, 1 Martiane P. — 8, 2 cruentis VP. — 9, 2 athletas V; hortibus detlictis P. — 10, 3 recusante nuptu VP. — 11, 4 Corpore casto; über casto: sacro VP. — 12, 1 sq. Constr.: Laureato post sponso, cujus poena ampla vix unquam valet fari plectro? — 13, 3 frue VP. — 14, 1 trino fehlt P: uno VP. — 14, 3 vita VP.

29. In ss. Juliani et Basilissae.

1. Fratres, fibrarum carmine
Christi pangamus martyrem
Nunc Julianum caelibem,
Aevum tenentem tenuem.

2. Pudore fretus viscerum,
Carnale arcens vitium,
Cuncta dedignans rurica,
Adeptus est sublimia.

3. Praevaluit ingenio
Falsa decreta principum.
Multos suo auxilio
Choro nectens uranico.

4. Quis amplo valet famine
Verum laudare martyrem,
Omnes qui minas sopiens
Et laqueos pertransiens?

5. Confractos nempe glutinans
Proculque pellens ulcera,
Phantasticos refocillans
Et debiles consolidans.

6. Orbatis fundens lumina,
Patescunt sibi opaca,
Averno trahens animas,
Resuscitans cadavera.

7. Phalangas multas putridas
Demergens idolatricas,
Frigescens ignes validos
Nec sensit frustes frigidos.

8. Bellorum saeva comprimit,
Fossus perdurans ungulis,
Piscis acuti vertice
Permansit magis stabilis.

9. Spirarum et sacrilegos
Mille cultores daemonum
In hora flexo poplite
Illius Christi robore.

10. Mucronis ense desinens
Tripudiantem verticem,
Vernantem flore roseo,
Semperque vivens Domino.

11. Tantorum signis praepotens,
O purpurate belliger,
Tuis adesto famulis
Nunc festa celebrantibus.

12. Trinoque uni Domino
Sit semper jubilatio,
Suos ut jungat famulos
Angelico consortio.

V fol. 30a; P fol. 41b. — 1, 4 tenente VP; oder lies: Aevo tenente tenui? — 4, 3 Omnesque VP, dann müfste sopientem etc. folgen; bei qui . . . sopiens wieder est zu ergänzen. — 5, 3 Phantastico VP. — 7, 3 ignis VP. — 7, 4 lies: fustes rigidos? — 8, 2 Fossis VP. — 8, 3 acutis verticem VP. — 9, 2 Milles VP. — 9, 3 sq. Das Folgende ist offenbar verdorbener Text m ausgefallenem Zeitwort. — 10, 1 Mucrones VP. — 10, 2 Tripudiante P — 10, 3 flores roseo VP.

30. In sancti Mauri monachi.

1. Adest celebritas nobis, carissimi,
Mauri eximii, quae sacris refulget
Ejus dignis meritis
Atque ornat miraculis.

2. Cujus nobilitas ex senatoribus,
Cujus miris claruit actibus,
Cujus vitam patris
Sequendo egit miraculis.

3. Hic est amabilis patris Benedicti
Bonus discipulus, cujus imperio
Cito Placidum
De unda rapuit.

4. Postquam discipulos suos perdocuit
Vitam caelibem agere,
Christi praemisit in regno,
Eos post secutus est.

5. Dona, quae petimus, confessor levita,
Maure, felicibus vivere actibus,
Ut cum sanctis pariter
Esse mereamur.

6. Praesta summe pater patris et unice,
Amborumque simul spiritus, annue,
Qui regnas Deus omni
Unus tempore saeculi.

V fol. 31a; P fol. 42a. — Mit Ausnahme der Doxologie einer der verrottetsten Texte, dem ohne weitere Handschriften nicht zu helfen. Alle Fehler und Lücken sind VP gemeinsam, nur 3, 2 cujus impio P; da ist nichts anders thunlich, als einstweilen den verwilderten Text der Quellen liegen zu lassen wie er liegt. — 1, 4 Lies: Ac ornata miraculis? — 2, 2 Lies: Cujus vita miris?

31. In sancti Mauri.

1. Christe sanctorum decus angelorum
In polo sedes terramque gubernas
Famulis cede fidelique tuo
Plaudere Maure.

2. Odor paternus tradit duodenis
Latice litans puerum abstraxit
Sospiti clodo incolume levat
Meas nabagro.

3. Casus vianti reparato cursim
Viduae prolem solvit a moerore
Equinis lapsus scapula confractus
Famulus reddit.

4. Ores celestos qui probra censentur
Antiquum vasos piaclique multans
Lumina ferri precibusque instat
Animas reddit.

5. Metas contemplans spiramine sancto
Imminens saevis doloris perlatus
Aris applicans in prece reddens
Spiritum Deo.

6. Saeva tyranni facinus alludens
Subsequens poena cernitur obtutus
Inspectus calce ferula percrebo
Ictibus caput.

7. Preces obnixas levitaque tibi
Pangimus praesta nobis per delicta
Veniam dones nostrisque piaclis
Mundes ab omni.

8. Doxa sublimi referamus patri
Pangamus laudes filioque simul
Spiritu sancto tribus honor unus
Cuncta per saecla.

V fol. 31 b; P fol. 42 b. — Auch bei diesem Hymnus gebe ich den Text von VP schlechterdings wie er liegt, ohne jeden Versuch einer Herstellung, die mit diesen beiden Quellen nicht zu erreichen ist. Ich verzeichne nur deren gegenseitige Unterschiede: 1, 3 Famule P; cede soll soviel sein als concede. — 2, 3 Sospitico deincolume P. — 2, 4 So VP; lies: Means ab agro? — 4, 1 Prescelestos P, falsche Initiale. — 4, 2 vasor P. — 5, 2 prolatus P. — 7, 1 qui tibi P. — 8, 1 Voxa V, fehlerhafte Initiale.

32. In sancti Mauri.

1. Confessor Domini, Maure, paterni
Summis pro meritis nominis haeres,
Collibratus ades regis amicis
Cunctis praecipuis omnitenentis.

2. Clemens vise locum, quo puer olim
Obversatus eras dogmate sacro,
Oblatus Domino dote parentum,
Nutritore cluens jam duodennis.

3. Parens imperio curris in undis,
Erepto socio laude bearis,
Primum discipulum sic imitaris,
Qui primus liquidas presserat undas.

4. Claudus te quaerula voce perurgens,
Exhinc nempe tua fert prece gressum,
Virtutum studiis tantus haberis,
Quo magnis patribus par videaris.

5. Te dux eximius ac pater almus
Gallis archiatrum dat animarum,
Hinc jam collacrimant oscula fratrum
Abscessumque tuum flendo susurrant.

6. Annos cum tibi dat aurea libra,
Ad lucis patriam lux tua spirat,
Qua solis radiis cuncta videntis
Perfusus placidis large coruscas.

7. Te nunc suppliciter quaesumus una,
Ut nobis veniam rite preceris,
Evicto stadio quo mereamur
Tecum perpetua sede locari.

8. Praestet altithroni summa potestas,
Quae coeli solio regnat in alto,
Solo velle suo condita servans,
Fixus imperitans cuncta gubernans.

V fol. 32a; P fol. 43a. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. C. — Brev. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. D. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. E. — 1, 3 Collibratis P. — 1, 4 omnitenentis fehlt VP. — Str. 2 lautet nur in E:

Clemens perpetuo vise Casinum,
Qui splendet celebris corpore patris,
In quo sacra tibi lex data constat,
Quam scripsit monachis dextra magistri.

Ich halte diese Fassung für die ursprüngliche. Eine Notwendigkeit sie zu ändern trat ein, als Mummolus und Aigulphus (ca. 606) den Leib des heiligen Benedikt nach Fleury-sur-Loire überführten, der mons Casinus also nicht mehr durch seine Gegenwart glänzte. Ist dem so, so erhalten wir einen wertvollen Anhaltspunkt bezüglich des Alters dieses klassischen Liedes. — 2, 2 Observatus P. — 2, 4 duodenus P. — 3, 1 Parens impio P; cursis VP. — 4, 2 Exin Maure sua E. — 5, 1 eximius te pater E. — 6, 1 Iunos jam tibi dans, mit falscher Initiale VP. — 6, 3 Quam P. — 6, 4 coruscat P. — 8, 1 altithrono PE. — 8, 4 cuncta regendo VP.

33. In sancti Mauri.

1. Sacrae refulgent mystica
Festivitatis gaudia,
Qua conditur coelestibus
Maurus, pater sanctissimus.

2. Hic doctus a cunabulis
Renuntiare terreis
Sectatus est coelestia
Vitam coercens regula.

3. Virtute se jam carneos
Motus refraenans coelicos
Actus reportat munere
Tuo, rex invictissime.

4. Nam jam laborans improba
Fessos obedientia
Artus quieti reddere
Parabat et quiescere.

5. Cum clodus en et auribus
Puer videtur perditus,
Cui mox divini muneris
Plenam salutem contulit.

6. Sic et lavantem fluctibus
Puerum retraxit crinibus
Currens per undam fluminis
Jussu pio boni patris.

7. Cujus recedens spiritus
Cum tenderet coelestibus,
Hic mente vidit lumine
Ejus vitam splendescere.

8. Monstravit inde pluribus
Bellum parare moribus
Et temporum discrimine
Normali vita vivere.

9. Hunc ergo tantum mentibus
Puris precemus saepius,
Ut ejus interventibus
Levemur in coelestibus.

10. Hoc indivisa trinitas,
Hoc alma praestet unitas,
Quae saecla texens saeculi
Gubernat indomabilis.

V fol. 32b; P fol. 43b. — Str. 1, 4, 7, 8 vgl. Analecta hymnica XII, p. 191. A. — 1, 3 conditus P, korrigiert in conditur V. — 2, 4 Vita coercens regulam VP. — 4, 1 laboras VP. — 4, 3 Arctus V. — 4, 4 Parabat requiescere A. — 6, 1 Sic et levantem V. — 7, 3 lumini VP. — 8, 2 fehlt VP, ergänzt nach A. — 9, 3 ejus intuentibus VP.

34. In sancti Severini.

1. Canticum laudis Domino canentes
Hunc diem festum celebremus omnes,
Quo Severinus penetravit almus
Celsa polorum.

2. Quis stilo dives modulansque plectro
Cuncta signorum replicare possit,
Quae potens Christus studiis opimis
Contulit ejus.

3. Inclitus vates nimiumque felix,
Saepius cui Deus intimabat
Tunc ad oppressi populi salutem
Multa futura.

4. Voce praesaga laqueos latronum
Atque praedonum machinas retexens
Valde tutabat monitis supernis
Oppida fessa.

5. Dulce solamen miseris ministrans
Horridam pestem famis amputavit,
Barbara plures feritate victos
Solvit ab hoste.

6. Magne confessor, humilis magister,
Tu quidem normam monachis dedisti,
Calle demonstrans sobrio sequaces
Scandere coelum.

7. In tuis sacris manibus refulsit
Coelitus lumen, refluensque crevit
Ad tuos haustus olei liquamen
Fontis ad instar.

8. Condolens cunctos inopes fovebat,
Languidos sanans relevabat aegros
Omnes, ac tendens salubrem medelam
Sumpsit ab illo.

9. Tuque Silvinum loculo jacentem
Fratribus coram precibus peractis
Morte devicta redire fecisti ad
Gaudia vitae.

10. Cereus flamma fidei cremante
Arguit sanctus pater infideles
Moxque flammescunt deitatis igne
Algida corda.

11. Hujus ad funus veniens sacratum
Mutus accepit modulos loquelae,
Caecus exsultat, procul ambulantes
Cernere notos.

12. Neapolis, gaude, redimita festis,
Plaude coelestem retinens patronum,
Quem tibi summus decus et juvamen
Praestitit auctor.

13. Hujus o clemens meritis creator
Gloriam nobis veniamque confer,
Quo tui cultus super astra semper
Luce fruamur.

14. Gloriam patri resonemus omnes,
Gloriam Christo supplices canamus,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 33a; P fol. 44a. — Aus V bei Ozanam und weiter bei Migne l. c. p. 816 M. — 2, 1 Qui VP. — 10, 1 Cereos VPM. — 10, 3 Nosque flammescunt VP. — 11, 1 sacratus P. — 12, 1 gaudet redimita festa VP. — 12, 3 decet et P. — 14, 1 Von der Doxologie nur eine Zeile VP; ergänzt nach Morel No. 339.

35. In sancti Severini.

1. Gloriam Christo Domino canentes
Hunc diem sacrum placide colamus,
Quo Severini pretiosa membra
Sumpsimus almi.

2. Hoc die sacro Dominus redemptor,
Vita sanctorum, via, salus, virtus,
Contulit nobis decus et salutem
Corpore sancto.

3. Quando infidelis truculentus atrox
Rex Africanus veniens volebat
Italos cunctos gladio cruento
Tradere morti.

4. Sed Deus clemens pietatis auctor
Conterens illum gladio superno
Eruit clare sibi servientes
Signa patrando.

5. Jamque stellarum radii volantes
Aethere toto nimio replerunt,
More pugnantum celeres videntur
Currere contra.

6. Unde gaudendo, populi fideles,
Plaudite Christo Dominum colentes,
Colla qui vestra placidus redemit
Mortis ab ore.

7. Parthenopensis populus, potenter
Plaude, patronum retinendo magnum,
Qui malis pulsis tibi saepe multa
Commoda praestat.

8. Haec domus Christo Domino sacrata
Splendet insignis redoletque valde
De piis magni meritis patroni
Jam Severini.

9. Hic salus aegris datur et medela,
Lumen orbatis, medicina claudis,
Sanitas fessis, fugiunt venena
Daemonis atri.

10. Hic pio Christi famuli precatu
Criminum nexus pereunt atroces
Atque coelestis reparantur alma
Munera vitae.

11. O Dei magnis meritis amice,
Posce coelestem, Severine, regem,
Quo sui regni mereamur omnes
Scandere sedem.

12. Gloriam patri resonemus omnes,
Gloriam Christo supplices canamus,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 34a; P fol. 44b. — 2, 1 Hodie P. — 2, 3 decus consolamen P. - 3, 1 infideles VP. — 6, 1 populus VP. — 6, 3 Colla quod V. — 9, 3 ssi VP. — 10, 4 Munera Christi, korrigiert vitae P. — 12, 1 Doxologie ur begonnen VP.

36. In sancti Sebastiani.

. Martyr Dei egregie,
Intende melos gloriae,
Sebastiane belliger,
Immensi regis signifer.

. Devotos tibi famulos,
Peccati sorde languidos,
Sana, virtutum artifex
Verbique sator multiplex.

3. Linguae torpentis vinculum
Absolve fandi dans donum,
Ut quondam mutae feminae,
Christi ditatus munere.

4. Per sagittarum jacula
Rogamus, patris vernula,
Per rivos tui sanguinis,
Iram remove judicis.

5. Ut tecum laudes perpetim
Christo canamus affatim,
Tuis eruti precibus
A poenis infernalibus

6. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
Per tempora laudabili.

V fol. 35 a; P fol. 45 b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Brev. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. C. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. D. — Hymn. ms. Neapolit. saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. E. — Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. F. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. G. — 3, 1 torbentis P. — 3, 4 ditatur P.

37. In sancti Sebastiani.

1. Sebastiani incliti
Dicatus almo sanguine
Dies refulsit annuus,
Triumphum ejus personet.

2. Diocletiani tempore
Saecli retectus chlamyde
Latebat intus vir sacer,
Christum ferens in pectore.

3. Tunc caecus in custodia
Error tenebat martyres,
Quos sauciare lubricus
Gestiebat anguis callidus.

4. Interritus constantia
Erupit dicens athleta:
Non vos amor retorqueat
Parentum Christi a fide.

5. Mox clarus sacra semina
Horum refudit mentibus,
Firmavit viros in fide,
Exstinxit aevi fomitem.

6. Quorum Tranquillinus pater
Ut Christo corde credidit,
Dolor fugit ex artubus
Ejus medullis insidus.

7. Hic imbuit Chromatium
Proli tonantis credere
Fecitque hunc christicolam
Salute membris reddita.

8. Quos nominatus pestifer
Telorum ictu lacerans
Caedensque viros mactavit,
Junxit polorum incolis.

9. Hinc deprecamur, inclite
Sebastiane signifer,
Ut apud altum judicem
Placatus tu nos adjuves.

10. Oratione sedula
Tua nos illuc eleva,
Quo te nunc cuncti credimus
Esse cum Christo Domino.

11. Gloria patri Domino,
Doxa sit unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 35 b; P fol. 45 b. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. A. — Offic. ms. S. Sebastiani saec. 15. Cod. Neapolit. VI F 8. B. — 3, 1 custodiam A. — 3, 4 callide VA. — 5, 1 Mox clarusque sena A; mox claritatis semina B. — 5, 2 Eorum refudit A. — 6, 3 actubus P. — 6, 4 insidus VPAP; lies vielleicht doch insitus oder insidens? — Str. 7 u. ff. fehlen B. — 8, 1 nominatos A. — Str. 9 und 10 fehlen A. — 11, 1 Deo patri, nur dies A; Laus sit parenti Domino, nur dies B.

38. In sanctae Agnetis.

1. Agnetis festum martyris,
Deo dicatae virginis,
Colamus omnes socii
Carmen canendo seduli.

2. Quam auro texta cyclade
Christus vestitus podere
Sponsam ornavit fulgidam
Donando vestem mysticam.

3. Haec minas sprevit principis,
Poenas derisit corporis,
Haec moechum ducis filium
Vitae donavit mortuum.

4. Haec strinxit luxus juvenum
Dei monstrando nuntium,
In domibus scortantium
Praeclarum cernunt angelum.

5. Psallamus ergo strenui
Laudes ferendo virgini,
Ut nobis coeli principem
Efficiat placabilem.

6. Precamur, virgo fulgida,
Nobis faveto sedula,
Qui tibi melos gloriae
Pangamus omni tempore.

7. Laus patri invisibili,
Laus ejus almo flamini,
Laus sit et unigenito
Orbis terrarum Domino.

V fol. 36 a; P fol. 45 bis a. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Brev. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11/12. Cod. Vatican. 4928. C. — Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. D. — Diurn. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 13 1. F. — Hymn. ms. Florentinus saec. 13. Cod. Mediceo-Laurent. Aedil. 186. E. — Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285. G. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Londinen. Add. 17007. H. — Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. J. — Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. 457. K. — Brev. ms. Benedictinum anni 1476. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 137. L. — Cfr. Morel No. 342.

1, 1 festa L. — 1, 3 omnes servuli G. — 1, 4 sedulo P. — 2, 2 pondere J. — 2, 4 veste mystica G. — 3, 2 Poena VP. — 3, 3 Haec martyr GL; ducis G; dulcis L. — 5, 1 Psallamus omnes strenui G. — 5, 2 Laudis . . virginis VP. — 5, 4 Efficiant VP. — 6, 4 Canamus omni L. — 7, 2 Laudes canamus unico J. — 7, 3 Laus sit unigenito VP; Lausque sit EH; Laus nunc sit G; Laudes amborum flamini J. — 7, 4 Per tempora laudabili J.

39. In sanctae Agnetis.

1. Quae mens recensere audeat,
Quae lingua posset eloqui,
Castum lupanar virginis
Probique poenam in fornice.

2. Saevo tyranni tempore
Silere praecepta est fides,
Puella sermonem Dei
Ferebat, aequalis caro.

3. Agnes puella nomine,
Vultu decora nobili
Genusque pulchra, denique
Decus fuit periculum.

4. Nam persecutor imparem
Tantae puellae spiritum
Mortem pudens prominitans:
Aut fornicare, aut immola.

5. Nec immolabo diis, ait,
Nec fornicabor corpore,
Pudor fidem tuebitur,
Fides pudorem, utrumque Deus.

6. En optio digna idolis,
Ubi probum vas supplicum est,
Virgo in lupanar ducitur
Sanctumque fit per virginem.

7. Ut quisque adit fornicem,
Casto reverti corpore,
Unus furens libidine
In vestibulo concidit.

8. Quaesita causam prodidit,
Adesse virgini angelum,
Rogata vitae reddidit
Gravi peremptum funere.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 37 b; P fol. 46 a. — 1, 2 aeloqui V, aliqui P. — 1, 4 fornicem VP. — 3, 1 Agne puelle VP. — 3, 2 Vultum decora nobile VP. — 4, 2 Tanto puellae VP. — 4, 3 lies: Morti putans? — 6, 4 Sanctum fit lupanar per virginem VP. — 7, 1 adiit VP. — 7, 3 libidinem VP. — 8, 4 peremptus VP. — Der Hymnus erinnert, wie nicht leicht ein anderer, an die poetische Diktion des Ambrosius, womit indes nicht gesagt sein soll, dafs irgend ein Anhalt vorliegt, an seine Urheberschaft zu denken. Das Gegenteil. Einige Stellen bleiben dunkel und sind vielleicht verderbt.

40. In sancti Vincentii.

1. Adest miranda passio
Levitae, sancti martyris,
Cui clara virtute fragrans
Corona vincenti datur.

2. Beatus ille spiritus,
Quem post triumphum proelii,
Post vincla diri carceris
Coelestis aula suscipit.

3. Cuncti mirantur perpetim
Post tot cruorem martyrem,
Quem testularum fragmina
Mucrone acuto vulnerant.

4. Dolore nullo frangitur,
Nullaque poena vincitur,
Flammas ferens per ungulas
Robusta permansit fides.

5. Exhinc reponunt mollibus
Christi fidelem militem,
Carnis relicto pondere
Ad astra migrat spiritus.

6. Feris vesanus imperat
Jactum cadaver mandere,
Custode corvo corporis
Fames lupina pellitur.

7. Gravis tyrannum excitat
Furor jubetque martyrem
Insuto gravi herunculo
Ponti profundo mergere.

8. Honore summo redditur
Christo jubente litori,
Revectus undis lenibus
Praevenit omnes remiges.

9. Exhinc ad coemiterium
Manu fertur psallentium,
In sancto domicilio
Christi reponunt militem.

V fol. 38 a; P fol. 46 b. — Ferner: Psalt. ms. S. Ambrosii Mediolanen. saec. 14/15. Cod. Ambrosian. H 159. inf. A. — In A geht Str. 1 die folgende vorher:

Vincenti, sancti martyris,
Pugnam, triumphum gloriae
Votis refert solemnibus
Anni recurrens orbita.

1, 3 sq. Cui clara virtutibus Datur corona candida. A. — 1, 3 flagrans VPA. — 2, 4 suscepit VPA. — 3, 1 Omnes mirantur VPA; dennoch habe ich Cuncti gesetzt, da der Hymnus augenscheinlich ein ABCdarius ist oder doch war. — 3, 1 mirentur A. — 3, 2 Post tot cruorem VP, ersterer macht dazu die Glosse „i. e. tantum"; Post hunc cruorem A. — 3, 3 Quem testularum agmine VP; Quem teste lare fragmine A. — Str. 6 u. ff. stehen als eigener Hymnus ad Laudes A. — 6, 1 Vesanus foris imperat A; Vesanus imperat feris VP; dennoch stelle ich um, wie im Text, da der ABCdarische Charakter noch durchgeht. — 6, 3 corpore VP. — 6, 4 Famis A. — 7, 2 Christi martyrem VP. — 7, 3 Insuto parvo crunculo A. — 8, 2 Jubente Christo A. — 8, 4 remigans VP. — 9, 2 Manus fertur VPA. — In A folgen noch weitere drei Strophen:

Nobilitatur Hispania
Ut pridem Roma aurea,
Laurentii illa inclita,
Ista Vincentii sanguine.

Quos una fides socios (l. sociat?),
Honor patris et gloria
Et levitarum numeri,
Quae sunt signata angeli.

Omnes venite pariter,
Christum laudemus Dominum,
Per quem vicit Vincentius
Et sanctus papa Valerius.

Vgl. übrigens Migne 86, 1066 sqq., woselbst dieser Hymnus mit Teilen von Peristeph. V verschmolzen ist.

41. In sancti Vincentii.

1. Beatus vir Vincentius,
Vocatus nomen meritis,
Qui fide Christi potitus
Draconem calcat zabulum.

2. In Spania provincia
Habitans in Valentia,
Vitam tenens innoxiam,
Fidus de Christi gloria.

3. Qui plura mirabilia
Fecit fide Christicola,
Pauperibus vel egenis
Ministrans utensilia.

4. Quem reperit per tempora
Persequentium pessima
Pro Christi religione
Nec non fide catholica.

5. Maximiani tempore
Per diversas provincias
Exorta sunt martyria,
Jugulatur ecclesia.

6. Ad ultimum Vincentius
Sanctus deprehensus athleta,
Passus poenas innumeras
Devenit ad sententiam.

7. Obtruncatur ex machaera,
Corpus sancitur in terra,
Et sacra ejus anima
Devenit ad coelestia.

8. Inter sanctorum congrega
Et angelorum agmina
Illic martyr collocatus
Per infinita saecula.

V fol. 38 b; P fol. 47 a. — 2, 3 Vita tenens innoxia VP. — 3, 2 fidem VP. — 4, 3 Christi legione VP. — 4, 4 Nec in fide VP. — 5, 4 Jugulabantur VP. — 6,2 lies deprensus? — 6, 3 poenis P. — 6, 4 sententia VP. — 7, 2 sanccitur P. — 8, 1 congrega VP.

42. In Conversione s. Pauli.

1. Pangamus nunc astrifero
Omnes ore mellifluo,
Rite cui cunctae fabricae
Diversa promant carmina.

2. Polorum quem moventia
Lympharum atque omnia
Arvaeque voce tinnula
Jugi vernant laetitia.

3. Te poscimus, piissime,
Pollutae faucis disjice
Nostri reatum, valeat
Ut Sauli fari carmina.

4. Olim propheta praesagus
Praesignans almo spiritu,
Concretus sui ultimi
Rapacis fore liberi.

5. Germine vero Tarsicus
Signatus invocatio,
Gamalieli traditus
Sophia doctus latius.

6. Hic rudi tirocinio
Minarum spirans stimulo
Vasisque diris satrapum
Nomen falsans deificum.

7. Funestis cum epigrammis
Damascum lustrans satagit,
Arcensque divos famulos
Leo sugillat rabidus.

8. Tantorum caedem Dominus
Non ferens patet omnibus,
Callem sepivit stygicum,
Correxit ita impium.

9. Lanista, quid me lanias,
Bis repetens sic graviter,
Invictum pulses stimulum,
Non eris ultra stolidus.

10. Vibratus alto lumine,
Solo ruens seminecem,
Frustra patescunt oculi,
Rigescunt mox parasites.

11. Erecto tantum vertice:
Quid, inquit, jubes, astrifer?
Nunc urbem, surge, propera
Ibique te consolida.

12. Orbato statim Dominus
Direxit adjutorium,
Sic Ananiae fatus est,
Ut vas electum quaereret.

13. Deo patri sit gloria.

V fol. 39 a; P fol. 47 b. — 2, 1 Lies: Polorum cui? — 6, 1 rude V, rudet P. — 7, 1 Funestus V. — 8, 1 caede VP. — 9, 1 lanies VP. — 9, 4 stolidum VP. — 10, 4 lies paralysi?

43. In Conversione s. Pauli.

1. Nunc laudibus symphonicis
Resultet sexus fragilis,
Conversione annua
Depromat Saulo carmina.

2. Prostratus nempe hodie,
Erectus miro ordine,
Propheta ut praedixerat,
Christi mutatus dextera.

3. Surrexit en apostolus,
Qui erat ante stolidus,
Resuscitatur gratia
Divina, quae prostraverat.

4. Pirata modo cecidit,
Qui demum pastor exstitit,
Recuperatus coelitus
Fenestra coeli factus est.

5. Telluris cuncta climata
Laude Deo hymnifica
Decantent et sublimia,
Quae Paulo rite celebrant.

6. Firmatur doctor gentium,
Qui lapidavit Stephanum,
Judexque saecli factus est,
Qui est elisus graviter.

7. Lucerna mundo micuit,
Ceu splendor fulsit tyrannis,
Apostolorum ultimus
Certavit majus omnibus.

8. Adsistat ut superius,
Nostri precemur subditi,
Opemque ferat omnibus
Nunc festa celebrantibus.

9. Sit trinitati gloria,
Quae verbo fecit omnia,
Laus, decus et imperium
Regnanti in perpetuum.

V fol. 39 b; P fol. 48 a. — 1, 2 sexu fragili. VP. — 1, 4 Saulo korrigiert in Sauli P. — 3, 2 stolidum V. — 3, 3 Resuspiratur VP. — 5, 1 Telluri VP. — 5, 2 Laudes Deo hymnifica VP. — 5, 3 Decantes VP. — 5, 4 Qui Paulo VP; lies Paulum? — 7, 4 majus VP; lies magis? — 8, 2 subdita P. — 9, 1 trinitatis VP. — 9, 2 Qui verbo VP.

44. In Praesentatione BMV.

1. Refulsit almae dies lucis candidus
Partum puellae virginis per aureum,
Quando supernis filius de sedibus
A patre missus homo nasci voluit,
Permansit idem proles alti numinis.

2. Legis sacratae sanctis caeremoniis
Subjectus omnis calamo Mosaico
Dignatur esse, qui regit perfulgidos
In arce patris ordines angelicos,
Coelum, qui terram fundavit ac maria.

3. Postquam puellae dies quadragesimus
Est adimpletus juxta legem Domini,
Maria virgo Jesum sanctum puerum
Ulnis sacratis templi tunc in atriis
Tulit, tremendi genitoris unicum.

4. Mater beata carnis sub velamine
Deum ferebat humeris castissimis,
Dulcia strictis basia sub labiis
Deoque vero homini impresserat,
Ore jubente quo sunt cuncta condita.

5. Duos parentes tulerunt candidulos
Pullos columbae lacteolis plumulis,
Dedere templo par pro eo turturum.
Veluti legis promulgebat sanctio,
Quales perustas consecrarent hostias.

6. Dei sacerdos humilis, mitissimus,
Erat in urbe, justus senex optimus,
Felix beatus Simeon coelifluo
Sacroque plenus adfuit spiramine
Sacra sub aula verbi Dei conscius.

7. Hic namque dudum responsum acceperat
Sacro docente spiritu, quod vinculo
Mortis resolvi non posset de corpore.
Nisi videret Christum vivens Domini,
Quem misit alto genitor de solio.

8. Suscepit namque puerum in manibus
Agens superno genitori gratias,
Ulnis retentans benedixit Dominum,
Amore plenus cordis cum dulcedine,
Addens et alto sermone subintulit:

9. Dimitte tuum, Domine, nunc obsecro,
In pace servum, quia meis merui
Tuum videre salutare visibus,
Quod praeparasti pietate unica
Ante tuorum populorum faciem,

10. Fulgensque lumen gentium in oculis,
Gloriam plebis Israelis germinis;
Positus hic est in ruinam scandali
Et in salutem Jacob stirpis aureae,
Donec secreta revelentur cordium.

11. Ipsius, inquit, tuam, sancta genitrix,
Transibit ictus gladii per animam;
Servabat casto mystica sub pectore
Maria verba conferens alacriter,
Dictis supernis credula fideliter.

12. Doxa sit patri per immensa saecula
Et Jesu Christo, patris unigenito,
Decus, potestas, virtus super aethera,
Sancto per omne saeculum paraclito
Laus infinita, honor et imperium.

V fol. 41 b; P fol. 49 b. — Bei Dümmler, Poetae Latini aevi Carolini I, p. 138. D. — 1, 2 post aureum D. — 2, 1 Regis sacrato P. — 2, 2 Subjectus omnia VP; omni D. — 5, 3 Dedero VP. — 5, 5 per istas VP. — 7, 2 Sancto D. — 7, 3 possit D. — 8, 5 sermones VP. — 9, 3 Videre tuum D. — 10, 2 plebi D, gegen Luc. 2, 32. — 11, 2 per nimiam VP.

45. In Praesentatione BMV.

1. Illuminavit hunc diem
Claritas veri luminis,
Quo lucis apparuerat
Cunctis in orbe populis.

2. Optima forma carminis
Percurrat laudem cantici,
Veri regis adventui
Occurrant reges obviam.

3. Splendida dextra cereis
Et caritate fulgidi
Hymnum canant in organis
Vocibusque mellifluis.

4. Simeonis egregium
Personent ore canticum,
Quod prosit audientibus,
Augeat lumen mentibus.

5. Israelis ex prosapia
Ortus stirpe dignissima
Commorans Hierosolyma,
Urbe Deo sanctissima.

6. Erat justus et innocens,
Sedulus Deo serviens,
Spiritus sancti gratiam
Timoratus acceperat.

7. Acceperat a spiritu
Responsum fidelissimo,
A morte fore liberum,
Donec videret Dominum.

8. Cumque Christum inducerent
Parentes, ut perficerent
Secundum legis monita,
Ut Moyses statuerat:

9. Iste a sancto spiritu
Venit in templum monitus
Sacrisque ulnis Dominum
Bajulat Dei filium.

10. Tunc offeruntur munera
Per parentes jam mystica,
Par turturum volantium
Columbarumque parium.

11. Insuper beatissimus
Simeon promit canticum
Afflatu sancti spiritus
Virtuteque coelestium:

12. Nunc me jam, Deus, famulum
Absolve ab ergastulo
Carnis et ire praecipe
In pacis contubernium

13. Secundum verbi gratiam,
Sicut ante promiseras,
Cernentem cum laetitia
Te tua in praesentia.

14. Per lumen mentis gentium
Revelasti mirificum,
Israel plebi gratia
Sit per aeterna saecula.

15. Deo patri perpetua
Maneat laudis unitas,
Filioque sit claritas
Per spiritus potentiam.

V fol. 43 b; P fol. 51 a. — 2, 4 regis VP. — 5, 1 Isrelis P, ein Zeichen, dafs das Wort dreisilbig zu nehmen. — 5, 3 Hierusolymam V, Hierosolymam P. — 5, 4 Urbem . . . sanctissimam VP. — 6, 3 gratia VP. — 11, 4 virtutemque VP. — 12, 3 praecipis VP. — 13, 1 gratia P. — 13, 2 promiserat VP.

46. In sanctae Agathae.

1. Triumphum sacrae virginis,
Sanctae Agathae, psallimus,
Generosa prosapia
Claris ortae natalibus.

2. Dum consularis letifer
Quintianus Sicaniae
Dicatae famam audiens
Agathae Dei famulae,

3. Ignescit ira saeviens,
Grassatur furor praesulis,
Artari fecit virginem,
Sisti tribunal praecipit.

4. Venam requirit generis,
Conditionis stemmata,
Probatur casta, nobilis
Praerogativa sanguinis.

5. Infestus ad supplicia
Saevos motus exaggerat,
Colaphis caedit faciem
Mutare mentem gestiens.

6. Libens tormenta suscipit,
Responsis hostem superat,
Ferus patrat piaculum
Nefandi causa criminis.

7. Extortam per supplicia
Mamillam excidi jubet,
Infausto verbo inrogat
Confusionis opprobria:

8. Crudelis, dire, impie,
Hoc alumento altus es,
Damnasti mammam virginis.
Quam, improbe, tu suxeras.

9. Arma tyrannus gravia,
Testas acutas, suggerit,
Foratum ut aculeis
Corpus vexetur stimulis.

10. Post mortem sanctae martyris
Dapes cunctaqua praedia
Avarus adire quaerit;
Dum transvadaret remeo,

11. Invadunt duo pariter
Frementes equi impium,
Calce morsuque lacerant,
Merserunt unda fluminis.

12. Votis ergo solemnibus
Sacrata festa annua
Colamus mente subdita
Canentes ejus merita.

13. Deo patri sit gloria.

V fol. 44 a; P fol. 51 b. — Ferner Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. A. — Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. B. — 1, 3 Quae generosa AB. — 2, 3 Dicata AB. — 2, 4 Deo A. — 3, 2 furor impius A. — 3, 4 praecepit A; praecepit tribunal VP. — 4, 1 Penam P, falsche Initiale; requirens A. — 4, 2 Conditione stimate A, conditionis stegmate B, conditionis aestimat VP. — 4, 3 Profata casta A. — 5, 2 mr[illegible]us exagerans B: Seomutus et aggerat A. — 5, 3 caedens faciem B; caedi faciens VP. — 6, 1 suscepit AB. — 6, 2 Respondit hoste A. — 6, 3 parat VP. — 7, 1 Et torta A. — 7, 2 Mamilla A; Papillam jubet exc[illegible]di B. — 7, 3 verba A; in fato verba B. — 8, 1 dure A. — 8, 2 alimentum altum est A; ali[illegible]us es B. — 8, 3 Amputasti. — 8, 4 Quam in crepudiis suxeras AB. — 9, 1 tyranni VPA. — 9, 2 agutas A; subjicit AB. — 9, 3 Furatum ut aguleis A. — 9, 4 vexatur VP; vexatum A. — 10, 2 Dabis A; victaque praedia VP. — 10, 3 quaeris A. — 10, 4 transvaderet VP; transvacaret semitum A. — Str. 11 fehlt VPB. — 11, 2 Frementis A. — 11, 3 morsumque A. — 12, 1 Vota ergo solemnia VP. — 12, 2 annue AB. — 12, 3 Canamus B; — subditi B. — 12, 4 Ejus laudantes merita.

47. In s. Scholasticae.

1. Hodie sacratissima
Virgo Christi Scholastica
Membella linquens terrea
Coelorum scandit ardua.

2. Quam spiritus paraclitus
Tantis ditavit opibus,
Ut ejus cor mundissimum
Templum foret gratissimum.

3. Cujus frater dulcissimus,
Cunctis pollet virtutibus,
Illam decrevit propere
Semel in anno visere.

4. Descendit ergo solito
Die quadam diluculo,
Quo caritatis xenia
Sorori ferret annua.

5. Post dulcia colloquia
Nec non et vitae pascua
Refectionis mensula
Sobria fert convivia.

6. Virgo fratrem et devotius
Summis implorat precibus,
Quo secum pernox maneat
Panemque coeli praebeat.

7. Ad haec frater egregius:
Absit hoc, inquit, longius,
Ut extra cellam maneam
Curamque fratrum negligam.

8. Sed caritas in virgine
Majore fervens caumate,
Caput acclinat manibus,
Christum rogat enixius.

9. Tunc subito tonitrua
Plenaque metu fulgura
Erumpunt atque pluvias
Mundo spargunt horrificas.

10. Sic frater mansit invitus
Totamque noctem laudibus
Expenderat coelestibus,
Soror triumphat precibus.

11. At pater permagnificus
Ad cellam redit ocius,
Ubi cernit post triduum
Sanctae sororis obitum.

12. Perfusus ergo gaudio
Visum narrat continuo,
Hanc in columbae specie
Coelorum alta petere.

13. Hinc statim jussit fratribus,
Quo maturarent ocius
Sacrum corpus adducere
Ejusque tumba condere.

14. Jam nos, o virgo nobilis,
Tuis commenda meritis,
Ut post emensum stadium
Regni sumamus bravium.

15. Laus illi et victoria,
Qui te elegit gratia,
Assumpsit et cum gloria
Per infinita saecula.

V fol. 45 a; P fol. 53 b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Benevent. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. B. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. C. — Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. D. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barbarin. XI 171. E.

1, 3 Mens bella P. — 2, 2 ditatis V; ditatus P. — 3, 1 dulcissimum VP. — 4, 3 quod caritati E. — 4, 4 ferret animae E. — 5, 4 Sobrie E; fert civia VP. — 7, 3 maneat P. — 7, 4 negligat P. — 8, 1 in virginem VP. — 8, 2 Majores VP. — 8, 3 acclinans E. — 9, 1 Tum E. — 11, 1 pater semper magnificus E. — 11, 3 Ibi cernit E. — Str. 13 und 14 sind in VP in eine verschmolzen:

Hinc corpus jussit adducere
Ejusque tumbae condere,
Jam nos, o virgo nobilis,
Tuum sumamus bravium.

Auf diesen Hymnus folgt in VP der Hymnus Hunc soror sacra, der indes nur ein Bruchstück von Nr. 53 ist.

48. In Cathedra s. Petri.

1. Beatus Christi famulus,
Sanctus Petrus apostolus
Insignis atque precibus
Christi amore ignitus.

2. Qui ponti juxta litora
Christi occurrit gratiae,
Mox debriato spiritu
Corde reliquit saeculum.

3. Cui conjunxit socium
Christus valde egregium,
Paulum vere praecipuum,
Virtutis magnae thesaurum.

4. In sede quoque optima
Sedit post Antiochiam,
Romam, urbem ditissimam,
Scandit pro Christi gratia.

5. O Petre, pastor ovium,
Exaudi preces supplicum
Raptosque nos a tartaro
Reddas polorum Domino.

6. Ut tecum in perpetuum
Nos collaudemus Dominum,
Qui suo sacro sanguine
Genus humanum redemit.

7. Cuncti dicamus gloriam
Deo fideli pectore,
Sit nato ac paraclito
Et honor in perpetuum.

V fol. 46b; P fol. 54a. — 2, 1 litore P. — 2, 2 gratiam P. — Nach Str. 4 Deo patri V mit fehlendem Rest. — 7, 1 gloria. — Die vier ersten Strophen dieses Hymnus stehen mit bedeutenden Abweichungen aus Cod. Rhenov. 91 bei Mone No. 242, aus dem Hymnar von Moissac in Heft II dieser Sammlung p. 88. Dort schliefst das Lied mit Str. 4 wie V, hier folgen drei ganz andere Strophen als die der Handschrift P. — Str. 1—4 sind einem langen Liede auf sämtliche Apostel entlehnt, welches sich in Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10 in. findet.

49. In sancti Gregorii.

1. Sancti Gregorii praesulis
Hymnum Christo referimus,
Qui contempsit saeculum,
Mercatus Christi praemium.

2. Qui in adolescentia
Praecepta Dei tenuit
Stipemque largam jugiter
Erogavit pauperibus.

3. Instat doctrina orthodoxa
Digna sortitus praemia
Pastorque verus populo
Summus sacerdos rutilat.

4. Crebris quoque jejuniis
Carnis repulit vitia,
Saepe docendo populum
Destruxit mundi idola.

5. Magnus existens medicus
Infirma sanans corpora,
Devote salvans animas
Possessas a diabolo.

6. Tanta repletus gratia
Obviam Christo abiit
Et nobis semper maxima
Ostendit mirabilia.

7. Rogemus ergo, populi,
Pontificem Gregorium,
Ut ejus interventibus
Laetemur in coelestibus.

8. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

P fol. 54a. — Der Hymnus fehlt in V. — 1, 1 Gregori Hs; die Schreibung zeigt an, wie zu lesen (vgl. Analecta III, p. 12, n. 1). — 1, 3 fehlt eine Silbe am Versmafse. — Von der Doxologie nur der Anfang; das weitere ergänzt aus dem Hymnus Evangelista fulgidus, No. 18.

50. In sancti Gregorii.

1. Claret sacrata jam dies,
Quo urbis Romae pontifex
Polum solutus ex carne
Gregorius petierat.

2. Tunc magis altum moribus
Doctrinaque egregium
A pubertatis tempore
Almum gerebat spiritum.

3. O magnum decus ecclesiae,
O sacerdotum gloria,
Dum gregi praestat pabulum,
Tecta pandit mysteria.

4. Fulgent verbis et sensibus
Ejus dogmata omnia,
Sancti ut credant spiritus
Donum fuisse maximum.

5. Praebent salutis copiam
Sale praecepta condita
Et munus magnum populis
Rigans corda mysteriis.

6. Gessit et curam pastoris,
Ut gentibus ferret opem,
Anglos convertit ad fidem
Addens plebem ecclesiae.

7. Nam ejus inter caetera
Virtutum et documenta,
Quod gessit post obitum
Suum Romae ad spelaeum:

8. Quidam caecus, a parvulo
Suo privatus lumine,
Antrum excubat avidius,
Lumen requirit perditum.

9. Sed virtus alma protinus
Favet poscenti anxie,
Suis reddit obtutibus
Lucis munera ocius.

10. Cujus sane ut precibus
Juvemur omnes poscamus,
Ut coeli aulam propere
Valeamus penetrare.

11. Deo patri sit gloria.

V fol. 46b; P fol. 54b. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI. G 29. A. — Bei Morel No. 430 aus Cod. Renovien. 91. M. — 1, 2 pontifex Romae M. — 1, 3 e carne AM. — 2, 1 Nunc M; almum moribus A. — 2, 2 Doctrinamque egregius VP. — 3, 1 O magnum lesen sämtliche Handschriften, obschon das O überzählig ist und aus 3, 2 hereingekommen scheint. — 3, 3 gregis A. — 4, 1 Fulget A. — 4, 3 Sanctum ut credant spiritum A; Sancti ut credat M. — 5, 3 magnum munus AM; populum M. — 6, 1 Pastoris cessit et curam M. — Str. 7. ff. fehlen A. — 7, 1 Jam ejus M. — 8, 2 privato VP. — 8, 4 requiret VP; requirunt M. — 9, 1 Securus alma P; alma proditus M. — 9, 2 Fave VP; fovet M. — 10, 2 Jubemur VPM.

51. In sancti Gregorii.

1. Magnus miles mirabilis,
Multis effulgens meritis,
Gregorius cum Domino
Gaudet perenni praemio.

2. Carnis terens incendia
Corde credidit Domino,
Contempsit cuncta caduca
Caritatis officio.

3. Legis praecepta Domini
Laetus implevit opere,
Largus libens, lucifluus
Laudabatur in meritis.

4. Qui ante consueverat
Rostra vestire ac gemmas.
Post vili tectus stragulo
Ministrabat pauperibus.

5. Fecit namque convertere
Agellem, Anglorum principem,
Ejusque cunctum populum
Ad Christum regem omnium.

6. Rexit namque ecclesiam
In pace apostolica
Cathedra sedens Romana
Gregorius terrigena.

7. Post mortem sui corporis
Caeco reddidit oculos,
Cujus a pueritia
Lumen amissum fuerat.

8. Ipsius nos auxilium
Deprecemur perpetuum,
Ut meramur dicere
Fine sine cum gaudio:

9. Gloria patri ingenito,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 47a; P fol. 55a. — 1, 4 praemia VP. — 6, 1 ecclesia V. — 6, 3 Romanam VP.

52. In sancti Gregorii.

1. Norma sanctorum, decus et corona,
Servulis nobis tribue Gregorii,
Praesulis sancti, placide trophaeum
Pangere festum.

2. Daemonem fecit penitus silere,
Ejus omnino stolidum ministrum
Traxit ad Christum studuitque lymphis
Tingere sacris.

3. Transtulit montem procul atque sanctam
Ad Dei cultum populo fideli,
Mons ubi dudum fuerat, paravit
Coelitus aulam.

4. Grande sic saxum removens stupendum
Edidit signum subitoque stagnum
Efficit siccum faciens quietos
Fodere fratres.

5. Exitus clausit fluvii nocentes
Virga, quam fixit sacer et sacerdos,
Nec satos stravit hominum labores
Aequoris unda.

6. Mira majestas, opifex potestas,
Aridum lignum memorata virga
Nempe radicem generans refulsit
Nobilis arbor.

7. Vir Dei, postquam tenebris retentos
Duxit ad lucem monuitque plebem,
Astra conscendens retinet superni
Gaudia regni.

8. Hujus, o clemens, meritis opimis,
Christe, da nobis veniam, precamur,
Ut frui tandem mereamur omnes
Arce polorum.

9. Sit laus regi, decus et honestas,
Qui supra coelum residens creator
Cuncta, quae fecit, jugiter gubernat,
Trinus et unus.

P fol. 55b; fehlt in V. — Wie der Inhalt zeigt, ist aber das Lied nicht auf Gregorius Theologus, sondern auf den Thaumaturgen dieses Namens gedichtet. — 1, 2 Gregori, nach der Aussprache. – 7, 3 retinent. — 9, 1 laus ist zweisilbig zu nehmen wie des öftern, oder statt dessen salus zu setzen.

53. In sancti Benedicti.

1. Christe, sanctorum decus atque virtus,
Vita et forma, via, lux et auctor,
Supplicum vota pariterque hymnum
Suscipe clemens.

2. Qui tuum dudum Benedictum ad te
Attrahens mire segregasti mundo,
Ut probra mundi reprobare discens
Te sequeretur.

3. Cujus devotum animum pueri
Gratia praestas fidei valere,
Qua valens mira precibus peregit
Mente fideli.

4. Dein extendens pedem in remotis
Ardua scandit cruciare malens
Corporis artus juvenilis ardens
Casto amore.

5. Imbuit post hinc homines beatos,
Regulis artis animos retundi
Et jugo semper domini polorum
Subdere colla.

6. E quibus Maurus sedulus minister
Gurgite ductum Placidum puerum
Obsequens patri latice levatum
Aequore traxit.

7. In quibus ipse via vitae clarens
Artibus sanctis docet admonendo,
Sic Dei jussis libere parendo
Mente subesse.
8. Pauperum cuncta pietate gliscens
Usibus praebens fidei calore
Instruit corda ambigua sequentum
Fidere semper.
9. Quod probans factis fidei vigore
Fratribus junctis, precibus refusis
Vas redundare oleo fluente
Illico pandit.
10. Usibus justis pietate instans,
Christe, fidendo fidei calore,
Te precans certus animam reduxit
Corpore functi.
11. Hunc soror sacra nimium sequendo
Tardius visum retinere malens,
Imbre obtento valide fluente
Artius vinxit.
12. Triduum postque residens beatus
Cernit ejusdem animam sororis
Celsa secreta petere volucris
Pernicitate.
13. Inde gaudendo fratribus vocatis
Corpus afferri tumulo humandum
Praecipit dudum sibi praeparato,
Mox secuturus.
14. Praescius posthinc finis adfuturi
Promptus insistit tumulum parare,
Gratia sumpta animum remisit
Aethre locandum.
15. Cujus ad coelum via clara fulgens
Angelo teste Benedicti esse,
Auribus fratrum resonare visa est
Voce sonora.
16. Hujus, o Christe, meritis, precamur,
Arceas iram, tribuas favorem,
Gratiam praestes veniamque nobis
Mitis ad omnes.
17. Praebe, oramus, Deus, magne rector,
Ut fides nostra vitiis resistat
Atque virtutum studiis ministret
Pectore puro.

18. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 47b und 46a; P fol. 56b und 53b. — Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Brev. ms. Montis Amiati saec. 10/11. Cod. Casanaten. B II 1 (1907) B. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. C. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. D. — Psalt. ms. Beneventanum saec. 12. Cod. Neapolitan. VI F 2 E. — Hymn. ms. Casinensis saec. 15. Cod. Casinen. 869 F. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. G. — Cod. Hamburgen. 1568 saec. 15. H. — Hymn. ms. Monasticus saec. 12. in. Cod. Capit. Vaticani D 156. J.

Alle diese Quellen enthalten den ganzen Hymnus in seiner ursprünglichen, unverkürzten Form, in welcher er in keiner der neueren hymnologischen Sammlungen sich findet, obschon VP, wie vorersichtlich, ihn teilen und die zweite Hälfte zum Feste der hl. Scholastica bieten. Die kürzere Fassung, die zwischen 9, 8, 6 und 5 Strophen schwankt, ist häufig gedruckt (Kürze halber verweise ich auf Chevalier), u. a. im zweiten Bande dieser Sammlung S. 40. Diese kürzere Fassung findet sich in zahlreichen Handschriften und älteren Drucken; so Brev. ms. Hispanicum saec. 11/12. Cod. Londinen. Add. 30848. — Nocturnale Bobbiense saec. 11/12. Cod. Taurinen. E II 10. — Brev. Martinsbergense imp. 1506, hier zum Feste des hl. Maurus.

H begleitet den Hymnus mit folgender Rubrik: „In festivitate sancti Mauri et S. Scholasticae, ita tamen, quod ubicunque circa unum versum (d. h. Strophe) steterit m vel s secundum hoc cantetur de uno. Ille versus, ubi steterit m, cantatur de sancto Mauro, et ubi steterit s, de sancta Scholastica.“ Der Buchstabe m findet sich bei den Strophen 1. 2. 5. 16. 17. 18; Der Buchstabe s bei den Strophen 1. 2. 4. 7. 8. 9. 10. 16. 17. 18.

2, 3 Ut prava mundi DH. — Str. 3 fehlt H. — 3, 1 devotum animam V. — 3, 2 praestans VG. — 3, 3 mire VG. — 4, 1 Deinde tendens H. — 4, 2 scandens H. — 5, 2 arctis V. — 11, 3 Imbre obtentum VP; imbre ostendo G; imbris optentu D. — 12, 4 Pernicitatem VP. — 13, 1 Unde DH. — 13, 2 humando VP. — 13, 3 praeparatum G. — 15, 1 Hujus H. — 16, 3 praestans H. — 17, 1 alme rector H.

54. In sancti Benedicti.

1. Omnes venite monachi per orbem,
Christum laudantes, almum creatorem,
Qui nobis dedit vitae sacrae normam
Hunc Benedictum.

2. Hoc, pater sancte Benedicte, tuis
Annue cunctis filiis per orbem,
Ut penetrare mereantur tecum
Coelica regna.

3. Ut tuae vitae, Benedicte, laudes
Nunc tui digne famuli canamus,
Cordis impuri maculam tuopte
Solve precatu.

4. Tu monachorum pater et magister
Caelibem vitam sacer edidisti
Atque doctrinae documenta signis
Ipse probasti.

5. O nimis felix pater alme semper,
Angelis vita, spiritu prophetis,
Patribus signis, Domini ministris
Par documentis.

6. Est satis sanctis aliis venire
Et suos Christo animas lucrari,
Tu, pater alme, gregem tenens tantum
Appetis astra.

7. Castra per orbem cantibus resultant,
Et tuis scriptis animae lucrantur,
Inter has et nos simul adnotari,
Sancte, precamur.

8. Hoc pater praestet, hoc idem parentis
Unicus natus sibi comperennis,
Hoc sacer flatus, Deus unus omni
Tempore saecli.

V fol. 50a; P fol. 58b. — Str. 3 u. ff. vgl. Analecta II, 103 sq. Str. 7, 1 sq. ist daselbst verändert, offenbar wegen des passivisch gebrauchten lucrari.

55. Tempore Quadragesimali.

1. Insigne sanctum tempus acceptabile,
Adsunt salutis dies venerabiles,
Plenis olivo sponso cum lampadibus
Curramus omnes obviam palmifero
Mundi superbo superato principe.

2. Caste pieque vivamus ac sobrie
Soli tremendo servientes Domino,
De corde puro totisque praecordiis
Laudes feramus Trinitati unicae,
Quae nos redemit pretioso sanguine.

3. A paradisi laetabundis gaudiis
Nos traxit olim ciborum cupiditas,
Portas polorum dulcedo gluttifera
Clauserat alta dispensante gratia,
Quae nos reduxit ad coelorum limina.

4. Nos laeta caro traxit de paradiso,
Misit in hujus saeculi exsilium,
In lacrimarum valle delitescimus,
Diris ligati peccatorum vinculis;
Afflicta modo reducat ad sidera.

5. Jejuniorum sunt sacrata tempora,
In quibus hostis bellum movet invidus,
Ne sanctitatis cumulentur merita,
Tentationum infigit aculeos,
Quos sola sedat singularis bonitas.

6. Parcitas vincit vitiorum agmina
Divinitatis suffragante gratia,
Resistit irae, abdicat libidinem,
Dat castitati triumphale praemium,
Cingit corona virginalem verticem.

7. Moyses, electus Domini tirunculus,
Montis sub antro quadraginta dierum
Jejuniorum consecravit ferias,
Ut possit almo legem scriptam digito
Sancta sub aura leniter suscipere.

8. Propheta sanctus, Helias abstinuit
Continuatis totidemque diebus,
Jonas dicavit triduani temporis
Ninivitarum celebre jejunium,
Detersit omne criminis piaculum.

9. Fons pietatis, infinita bonitas,
Suscepta carne quadraginta diebus
Jesus redemptor ore nullo pertulit
Potum cibumque, sacravit jejunium
A spiritali fame nos eripiens.

10. Gloria tibi sit, pater ingenite,
Sit nato tibi virtus et imperium,
Sancto simulque potestas spiritui,
Sit trinitati salus individuae,
Manens et regnans per immensa saecula.

V fol. 54b; P fol. 65a. — Ferner: Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10. in A; hienach bei Dümmler, Rhythmorum ecclesiasticorum aevi Carolini specimen (Halis 1881) p. 20 sq. D. Der Vergleich der beiden Texte wird lehren, dafs Dümmlers sämtliche Konjektural-Ergänzungen sich als irrig erweisen.

1, 5 Mundi trophaeo superato principe A. — 2, 1 Casto pieque A. — 2, 2 serviamus A. — 2, 3 totis cum praecordiis A. — 2, 4 Trinitatis unicae VP; Dei sapientiae A; letzteres ist dogmatisch geläufiger, weshalb es mir als eine Verbesserung des ersteren erscheint. Man begreift leicht die Veränderung jener Lesart in diese: das Umgekehrte wäre schwer verständlich.

3, 5 Qui nos reduxit A. — 4, 3 valle directi sumus VP. — 4, 4 Diris diligati A. — 4, 5 revehit ad sidera A. — 5, 2 movit VPA. — 5, 4 infligit A. — 6, 1 Jejunia vincit A; Jejunium vincit D; vitiorum milia A. — 6, 2 Divina caro AD, simulos. — 6, 4 castitatis A. — 6, 5 Cinxit VP. — 7, 2 Petrae sub antro A. — 7, 4 almam legem scriptam digitos VP; D: „post a deest verbum, deo addidi;" die Zuthat ist überflüssig, denn im Brüsseler Codex fehlt nichts; er liest: Ut possit almo legem scriptam digito. — 7, 5 Sancta sub aure V: sub ture A; D verbessert sancta sub nube, was irrig ist. — 8, 1 Helias sustinuit AD. — 8, 3 Jonas diacum triduam A, D vermutet statt diacum: spatium. — 9, 3 ore nullus pertulit AD. — 9, 4 Potu ciboque VP. — 9, 5 fame fehlt A; D ergänzt morte, was verzeihlich, aber eben doch nicht das rechte ist. Die Doxologie lautet in A:

Gloria Deo sit patri perenniter,
Sit semper honor alti nati [sic] nominis,
Virtus, potestas sanctoque spiritui,
Sit trinitati decus et imperium
Per infinita saeculorum saecula.

56. Tempore Quadragesimali.

1. Post matutinas laudes,
Quas trinitati psallimus,
Psallamus, rursus admonet
Verus pater familias.

2. Simus semper solliciti,
Ne praetereat opus Dei,
Sed oremus sedule
Sicut docet apostolus.

3. Psallamus mente Domino,
Psallamus simul spiritu,
Ne vaga mens in turpibus
Inertes tegat animos.

4. Sed septies in hac die
Dicamus laudes Domino,
Divinitati perpetim
Debitam demus gloriam.

5. Gloria sit Deo patri,
Gloria unigenito,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 56a; P fol. 66f. — Ferner: Hymn. ms. Capit. Veronen. 109 saec. 11. A. — Vgl. Daniel I, 33. — 2, 2 lies pereat? — Ad Primam A, ist die richtige Bezeichnung des Liedes, wie aus 1, 1 hervorgeht.

57. Tempore Quadragesimali.

1. Deus candorum luminis,
Quaesumus, sancte spiritus,
Adesto te precantibus,
Qui es benignus et pius.

2. Tu solis ortum dirigis
Et nobis donas gaudium,
Tu respice nos, Domine,
Qui es defensor omnium.

3. Te ergo, Christe, quaesumus,
Ut nostra cures vulnera,
Qui es cum patre filius
Manens ac sancto spiritu.

V fol. 56a; P fol. 66b. — 2, 2 nobis dona VP. — Ad Primam.

58. Tempore Quadragesimali.

1. En tempus acceptabile,
Salutis en adsunt dies,
Quibus queat propensius
Luens piare crimina.

2. Signabat hos olim sacer
Inculta ruris permeans
Moyses, reatum subdidit,
Cum flendo lavit, agminis.

3. Nec dispar hujus exstitit,
Quem vexit ardens quadriga,
Rerumque nil minus sator
Telluris indutus stola.

4. Quapropter omnes supplices
Mentes simulque corporis
Humo reflexo poplite
Rigemus ora fletibus.

5. Omnis voluptas sit procul,
Teratur ardenter caro,
Qua viva fiat hostia,
Nec desit alma largitas.

6. Jejuniorum muniis
Languor levatur intimus,
Torpor fugatur spiritus,
Abstrusa cernuntur palam.

7. Sint templa noxarum licet,
Quae corda foedant, ulcera,
Per hoc medelam vehitur
Pius pater amplissimam.

8. Jesu, misertus anxia
Audi precantum pectora,
Disrumpe culparum globos,
Confer serenus gratiam.

9. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

V fol. 58a; P fol. 68a. — 1, 2 que ad VP. — 1, 4 piari VP. — 2, 2 permeat P. — 2, 4 acminis V. — 3, 3 minus sacer P. — 3, 4 inditus es stola VP. — 4, 4 Rogemus ora P. — 6, 2 lavatur VP. — 6, 3 fugatos P. — 7, 3 vehitur VP, jedenfalls irrtümlich. — 7, 4 amplissimas VP. — 8, 1 misertus sanctia VP. — 9, 2 sqq. fehlen V.

59. Tempore Quadragesimali.

Ad Completorium.

1. Cum jejunasset Dominus
Vel quadraginta diebus,
Postea esuriit,
Satan ei adfuit.

2. Recede, draco impie,
Et vade in exsilio,
Ubi non cadet pluvia
Nec gratia coelestia.

3. Bethleem, optima civitas,
Ubi Christus natus apparuerat,
Ut ipse venit, quem docet,
Quem adoravit plurima.

4. Dicite, filii Nazareth,
Ubi salvator natus est,
Ut populum redimeret,
Diabolum confringeret.

5. Johannes dicet Domino
Jordane viso flumine
Percussit petram Dominus
Fluxerunt aquae maribus.

6. Lignum crucis patibulum,
In quo pependit Dominus,
Tertia die surrexit
Pro nobis peccatoribus.

7. Dum transeunt in Syriis
Et justi morant Domino,
Tua luce magnalia
Totum mundum illuminant.

8. Illumina nos, Domine,
Ad te clamamus hodie,
Nos de terra petimus,
Tu de coelo exaudi nos.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 58b; P fol. 68b. — Bei der schlechten Überlieferung des Liedes und der völligen Übereinstimmung beider Quellen, belasse ich den Text wie er vorliegt, mit nur folgenden Ausnahmen: 1, 2 diebus et noctibus VP. — 4, 1 fili VP. — 5, 1 Johannem VP. — 5, 2 Jordanem VP. — 5, 3 petra VP. — 6, 2 Dominum VP. — 7, 2 Et justus morant P; juti morant V.

60. Tempore Quadragesimali.

1. Quae lingua carnis eloquens
Summi tonantis pignoris
Alti potest digne * *
Laudes profari debitas?

2. Excelsus ipse arbiter
Ut nostra passus crimina
Vestire formam servuli,
Qui visus ut homo est.

3. Perpessus indigne pius
Flagris reus ut caeditur,
Poenas subiit arboris,
Saxi copertus tegmine.

4. Victor trucem absorbens necem
Momordit ima tartari,
Caput draconis conterens
Vexit suos in aethera.

5. Vivit perenne in polis
Nostrum quod hausit hic Deus,
Mysterium mirabile
Hoc obstupescunt et angeli.

6. Haec vera sophia est Dei,
Patris parili lumine
Cum spiritu paraclito
Per saecla regnans omnia.

7. Laetemur omnes in Jesu
Ejus redempti sanguine,
Hymnis canentes mysticis,
Vivamus ut perenniter.

8. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

V fol. 60b; P fol. 74a. — 1, 1 carnis loquens VP. — 1, 2 fehlen zwei Silben. — 2, 1 Et celsus V. — 2, 4 fehlt eine Silbe am Vers; lies homo fuit? — 3, 1 Lies indigna? — 3, 3 Poena subiit arbori VP. — 5, 2 Nostrum qui auxit P, quod ausit V. — Die Aufschrift bezeichnet das schlecht überlieferte Lied als „Hymnum novum"; von der Doxologie nur die ersten Worte, das Weitere ergänzt wie bei No. 18.

61. Dominica Palmarum.

In Laudibus.

1. Celsae salutis gaudia
Mundus fidelis jubilet,
Jesus, redemptor omnium,
Mortis peremit principem.

2. Venit Deus humillimus
Pullo jugalis residens,
Adire Hierosolymam
Dignatus orbis conditor.

3. Palmae et olivae surculos
Coetus viando deferens:
Hosanna David filio,
Claris frequentat vocibus.

4. Videlicet cognoverat,
Quod mitis agnus necteret
Trucem leonem vinculis
Pacemque mundo redderet.

5. Ingressus aulam nobilem
Flagris rejecit perfidos,
Orationis aedibus
Merces vetabat fieri.

6. Quis non stupescat audiens
Tantum Dei miraculum?
Plus istud est mirabile
Quam suscitasset mortuos.

7. Quis imperator belliger
Ausus patrare talia,
Ni summa virtus coelitus
Templo profanos pelleret?

8. Huic ergo summo principi
Curramus omnes obviam,
Melos canentes gloriae
Palmas geramus sobrias.

9. Cursusque nostros lubricos
Donis beatis subleva,
Grates ut omni tempore
Tibi feramus debitas.

10. Laus sempiternae gloriae
Sit trinitati unicae,
Patri, nato, paraclito,
In saeculorum saecula.

V fol. 64b; P fol. 77a. — Ferner: Brev. ms. S. Eutychii apud Nursiam saec. 12. Cod. Vallicellan B 13. A. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. B. — Bei Morel No. 37 aus Cod. Rhenovien. 82 saec. 10. M.

1, 1 Celsa M; gaudio B. — 1, 2 rubilet P. — 2, 4 Dignatur M, wohl Korrektur des Herausgebers. — 3, 1 Palmas et olivae V; Palmas, olivae BM. — 5, 2 Flagrisque VP. — 6, 1 obstupescat VP. — 8, 3 canamus B. — 9, 1 Cursosque VP.

62. Tempore Passionis.

1. Pio feramus pectore
Grates superno nomini,
Qui crucis in patibulo
Pendens redemit saeculum.

2. Pastor benignus perditam
Ovem sanare venerat,
Quam dente lupus invido
Mactavit olim perfidus.

3. Hunc plebs superba respuens
Legis tenensque litteram
Deum nolebat credere
Venisse nos redimere.

4. Cum multa signa mystice
Die gerebat Sabbati,
Jesus se Dei filium
Dicebat esse unicum.

5. Exinde namque principes
Nefandae gentis cogitant,
Tenere illum qualiter
Aut morti possint tradere.

6. Coepit denique Dominus
Docere sic discipulos:
Filium, ecce, hominis
Multa oportet perpeti.

7. Tunc unus ex duodecim,
Summus quoque discipulus,
Audivit hoc et pactus est,
Illum ut eis traderet.

8. Post haec domum discubuit
Jesus Simonis, mulier
Nardi pistici optimi
Pedes perunxit Domini.

9. Prima die de azymis
Dixit Jesus discipulis:
Hoc pascha desiderio
Desideravi sumere.

10. Ego ut agnus innocens
Vado, vae illi homini,
Melius illi fuerat,
Si non fuisset genitus.

11. Hymnum libatum exiit
Oliveti in verticem,
Orare patrem coeperat
Talem sermonem postulans:

12. Hunc, pater alme, calicem
Transfer, si potest fieri,
Et si non potest, pater mi,
Tua voluntas maneat.

13. Gloria patri Domino,
Gloria Jesu tradito,
Gloria sit paraclito
Et nunc et in perpetuum.

V fol. 65a; P fol. 77a. — 3, 2 tenesque VP. — 11, 1 Vgl. Analecta hymnica VII, p. 14, sub 8.

63. Tempore Passionis.

1. Cum ascendisset Dominus
Super crucis patibulum,
Obscurat lumen sidera,
Tenebrae replent saeculum.

2. Judaei per arundinem
Dantes ei poculum
Acetum et fel mixtum
Propinantes Domino.

3. Emisit namque spiritum,
Mors mortem vicit omnium,
Sepultus est in tumulo
Adam requirens optimus.

4. Descendit ad inferos,
Confregit portas aereas
Et omne claustrum ferreum,
Ingressus est in tenebras.

5. Refulsit lux in tenebris
Sicut sole meridie,
Vidit Adam in vinculis
Cum omnibus suis sociis.

6. Exclamans Adam cum lacrimis:
Subveni nobis, Domine,
Eripe nos de vinculis,
Quis tenemur in tenebris.

7. Jussu protinus Domini
Soluta sunt jam vincula,
Et catenae cadentium
Confractae sunt ut glacies.

8. Ad catenarum sonitus
Totus contremuit infernus
Et suo viso Domino
Tremens ejus judicio.

9. Liberavit Dominus
Adam cum suis omnibus,
Reduxit eos de inferis
Paradisum restituens.

10. Rediens ad tumulum,
Ejus revolvens lapidem,
Suum suscitans, corpore
Christus resurgens integer

11. Ascendit Christus Dominus
Super coelorum sidera,
Patris ascendens dexteram,
Cum quo regnat in saecula.

V fol. 66 b; P fol. 78 a. — 1, 1 Dum ascendisset V. — 1, 3 Vielleicht zu lesen obscurant, obgleich auch der überlieferte Text einen guten Sinn bietet. — 2, 1 arundine V. — 2, 3 mixtuum VP. — 2, 4 Dominum P. — 4, 3 omne claustra ferrea VP. — 4, 4 tenebris VP. — 6, 4 Quos tenemus in VP. — 7, 1 Jusso protinus Domino VP. — 10, 3 sq. ist wohl verderbt, obschon es eine gezwungene Interpretation auch so zuläfst, weshalb nichts geändert ist; nur 10, 4 Christus statt Christum VP.

64. In Resurrectione DN.

1. Refulget omnis luce mundus aurea,
Perfusus aether inrorat dulcedinem,
Astra, jucunda coeli luminaria,
Cingit per omne decus radiantia,
Distillat aer balsamorum guttulas.

2. Occasus, ortus, aquilo, septentrio,
Tellusque pontus, oceani limites,
Lati polorum jubilate cardines,
Fontes aquarum, flumina labentia,
Gaudete, campi, montium cacumina.

3. Surrexit, ecce, Dominus ab inferis,
Devicta morte cum triumpho rediit,
Victor iniquum spoliavit tartarum,
Claustra gehennae fregit et chyrographum
Mortis cruore diluit rosifluo.

4. Sol, schema mundi, decus coeli rutilum,
Delusit omne saeculum meridie,
Texit globorum lampades nigredine,
Coelum tabescit, taetra nocte territum,
Languit orbis obsitus caligine.

5. Expavit arvum, tremuere maria,
Velum rescissum templi mox per medium,
Fissae deinde patuerunt silices,
Multa piorum surrexerunt corpora
De monumentis, dudum qui dormierant.

6. Ut vidit anguis immolatum vespere
Corporis almi sanctum sacrificium,
Quod mane coelum replevit odoribus,
Dolore multo saucius increpuit
Percussus agni mansueti vulnere.

7. Vidit in ara sacram crucis hostiam,
Sanguinis undam, laticem de latere
Sancto fluentem, saeculi qui crimina
Diluit, alti paradisi gaudia
Data latroni, frustra collo sibilat.

8. Felix refulsit tristia post sabbati
Dies sereno perlustrata lumine,
Quae sola cunctis antecellit diebus,
In qua redemptor surrexit a mortuis
Mundi superbo superato principe.
9. Venit Maria Magdalene sabbato,
Maria venit altera diluculo,
Ad monumentum portantes aromata,
Ut venientes corpus sacratissimum
Christi linirent redolenti chrismate.
10. Concussa tellus ab imo resiliit,
Terrore pulsa riguerunt marmora,
Invasit horror mulieres pavidas,
Ab ore namque monumenti lapidem
Dum sanctus ovans angelus revolveret.
11. Flentes at illae loquebantur mutuo:
Quis a sepulchri clauso nobis ostio
Magnum removet lapidem, quo Zmyrnea
Tingatur unda corpus, aromaticis
Litum respiret pretiosis roribus?
12. Angelus, ecce, Domini praefulgidus
Sedens in albis revoluto lapide
Illas refovit talibus alloquiis:
Quid vos in antris viventem cum mortuis
Quaeritis? ipse surrexit, ut dixerat.
13. En ecce locus, ubi fuit positus
Dominus, ite dicite discipulis:
Surrexit autem, Galilaeam petiit,
Destruxit eum, qui mortis imperium
Habebat, ante sicut ipse dixerat.
14. Ibant alacri pectore feliciter,
Occurrit illis Jesus, mundi gloria,
Mitis suavis ac desiderabilis,
Totus benignus, dulce desiderium,
Salus perennis aeternorum civium.
15. Spes namque mundi salutaris unica,
Fons, vita, virtus, sempiterna veritas,
Pietas ardens, omnis consolatio,
Vultu sereno solis super radio
Dicit: Avete, sanctis mulieribus.
16. Mors inimica se perisse doleat,
Mortua vita mortis regnum diripit,
Mors ultra illi jam non dominabitur,
Ovem reduxit ad ovile perditam,
In cruce totum renovavit saeculum.

17. Sit tibi Deo patri laus et gloria,
Sit crucifixo virtus et imperium
Sanctoque simul potestas spiritui,
Sit trinitati salus individuae
Per cuncta semper saeculorum saecula.

V fol. 72a; P fol. 85b. — Ferner: Cod. Capit. Veronen. 90 saec. 9. A. — Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134 B. — Der Hymnus ist mehrmals ediert, so unvollständig von Mone I, 186 sqq. M, zuletzt von Dümmler, Poetae Latini Aevi Carolini I p. 137. sq. unter Paulini Aquileiensis carmina dubia D.

1, 1 Refulsit VP; refulgit MD. Str. 1 und 2 fehlen B. — 1, 2 Perfusus aer inrorant VP. — 1, 3 jucundis coelum luminariis AMD. — 2, 1 Ortus, occasus AM, septendrion A. — 2, 5 Plaudete manu montium AM. — 3, 1 Surrexit enim M. — Strophe 4 fehlt VP. — 4, 1 Sed scema mundi A; Si (l: sol) luminare schema mundi candidum B. — 4, 2 Diluxit omne D. — 4, 3 lampadis AB. — 4, 4 territas A. — 4, 5 Languit omnis mundus sub caligine BD. — 5, 1 Expavit arva A, vermutlich die ursprüngliche Lesart. — 5, 2 Velum scissum A, scissum est B, rescissum est M, recisum D. — 5, 4 corpora surrexerant M. — 5, 5 monumentis suis quae VP, dudum quae B. — 6, 1 Ut vidit agnum immolatum VP. — 6, 3 Qui manet coelum A. — 6, 4 Dolore multos A. — 6, 5 Perfusus agnus mansuetus VP, Perculsus M. — Str. 6, 7, 8 fehlen B. — 7, 1 in ara sacra VP; aram sacram A. — 7, 2 unda A; lancea de latere VP; latices de A. — 7, 3 fluente saeculique VP. — 7, 4 Abluit MD. — 7, 5 fracta colla sibilat A; fractus colla MD. — 8, 1 tristitias post sabbati VP; tristia post sabbato A, tristia post sabbata MD. — 8, 2 Dies serena A. — 8, 3 cunctis antefertur A. — 9, 2 Altera simul Maria diluculo M. — 9, 3 Ut valde mane portantes VPBMD; die Lesart von A empfiehlt sich wegen Marc. 16, 1. — 9, 5 redolente VPB. — Str. 10 und 11 fehlen VPB. — 10, 2 Terre pulsari aguerunt A. — 10, 3 pavidus. — 11, 1 Flente at A. — 11, 2 sepulchro MD. — 11, 3 Magno removet lapide A, magno removit lapide MD; bezieht sich auf Marc. XVI, 3. — 11, 4 Tinguatur dae A. — 11, 5 respiret pretiosioribus A. — 12, 3 refovet B; talibus illas refovet alloquiis M. — 12, 4 Quem vos in antris VP; Quid mulieres viventem V. — 12, 5 ipsum B. — 13, 2 Citius ite VP. — 13, 3 Gallilaeam abiit B — 13, 5 ante sicuti praedixerat B; Habebat ibi vos eum videbitis A. — Str. 14 u. 15 fehlen VPMD. — 14, 3 suavis pius amor saeculi B. — 15, 2 sempiterna deitas B. — 15, 5 Habete sanctis A. — In der Handschrift A folgen noch weitere Strophen, die hier fortbleiben, damit sich der Text nicht allzuweit von VP verirre. — 16, 2 vitam A. — 16, 3 ultra jam non illi VP. — 16, 4 ovilem A. — 17, 2 decus ac imperium B. — 17, 3 Sancto simulque VP. — 17, 4 virtus individua A.

65. In Resurrectione DN.

1. Laetare, coelum desuper,
Et plaude, tellus ac mare,
Christus resurgens post crucem
Vitam dedit mortalibus.

2. Jam tempus acceptum redit,
Dies salutis cernitur,
Quo mundus agni sanguine
Refulsit a nigredine.

3. Crux namque sacratissima
Ligni prioris vulnera
In patris nostri semine
Sanavit hostem saucians.

4. Mors illa, mortis passio,
Est criminis remissio,
Illaesa virtus permanet,
Victus dedit victoriam.

5. Miretur omne saeculum
Crucis triumphum mysticae,
Haec signa congruentia
Velut trophaeum praesto sunt.

6. Sol namque, magnum luminar
Horas dierum permeans,
Viso novo mysterio
Decepit orbem territus.

7. Velans caput caligine
Exstinxit omnem lampadem,
Errare noctem passus est
Meridiano tempore.

8. Finduntur et fortes petrae,
Hiantur antra plurima,
Defuncta surgunt corpora,
Vita redduntur mortui.

9. Immitis ille tartarus
Ad se trahentis omnia
Praesentiam non sustinens
Animas sanctas reddidit.

10. Nostrae fuit gustus spei
Hic, ut fideles crederent,
Se posse post resurgere
Vitam beatam sumere.

11. Nunc ergo pascha candidum
Causa bonorum talium
Colamus omnes strenue
Tantis renatis fratribus.

12. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

13. Gloria tibi, Domine.

V fol. 73a; P fol. 86b. — 3, 3 In prece nostro semine VP. — 5, 1 omnem saeculum VP. — 5, 3 Haec est signa VP. — 9, 1 ille tartarum V. — 10, 4 beatam surgere P.

66. In sancti Georgii.

1. Gesta sanctorum martyrum
Meminisse jucundum est
Et in eorum laudibus
Deo canere gloriam.

2. Christi miles Georgius
Ortus est Cappadociae,
Qui vana mundi respuens
Mercatus est coelestia.

3. Pecuniam, quam tulerat
Propter honorem fragilem,
Fide repletus Domini
Stipem dedit pauperibus.

4. Tunc compulsus a principe,
Saxis vota persolvere,
Quae ille per fidem Christi
Profundum mersit abyssi.

5. Ira accensus tyrannus
Poenam invexit martyri
Flagella saeva, carceres,
Seras sive sartagines.

6. Quos ille non contremuit
Confortatus in Domino,
Sed magis tunc in populo
Fructus divinos intulit.

7. Reginam Alexandriam
Vocavit ad martyrium,
Contempsit mundi thesauros,
Dei coronam meruit.

8. Bis ternis annis et uno
Mundi triumphat principem,
Cervice caesa gladio
Migravit ad coelestia.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 75a; P fol. 88a. — Ferner Manuale ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambrosian. s. n. A. — Hymn. ms. S. Jacobi in Pontida saec. 11. Cod. Vatican. 82. B. — Man. ms. Vallis Travaglia saec. 11. Cod. Capit. Mediolanen. s. n. C. — Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. D. — Hymn. ms. Ambrosianus saec. 14. Cod. Berolinen. Ham. 544. E. — Vgl. Daniel I, 98; Mone III, 315.

1, 1 Festa sanctorum VP. — 1, 2 Meminere VPD. — 2, 1 Miles Christi VPD. — 2, 2 Ortus ex Cappadocia VPD. — 2, 3 respuit E. — 3, 3 Fidem VP; fuit repletus E. — 4, 1 a judice VPD. — 4, 2 Saxis ut vota solveret VPD. — 4, 3 pro fide VP. — 5, 1 Ira accinctus VP; iram accinctus D. — 5, 3 Flagellat eum carcere D; Flagellis diro carcere VP. — 5, 3 Ac ferrea sartagine VP; Erea quoque sartagine D. — 5, 4 Rota acutis gladiis VP, Rotae acutis D. — 6, 1 Quae ille VP. — 6, 4 Divinum fructum inserit VPD. — 7, 1 Regina Alexandriae VP. — 7, 2 Vocavit VP. — 7, 3 thesaurum VPD. — 8, 1 Bis ternos annos D. — 8, 3 Cervice cessat D.

67. In s. Marci Evangelistae.

1. Festum beati martyris
Odis colamus consonis,
Quem misit orbi provida
Regis superna gratia.

2. Hunc in quaternis vultibus
Propheta quondam praescius
Vidit leonis inclitam
Mysteriarchi formulam.

3. Missus superno munere
Terras in Alexandriae,
Doctis refulsit incolis
Evangelista nobilis.

4. Spargendo plebi lucida
Verbo salutis spermata
Pro regis alti nomine
Fit laureatus sanguine.

5. Cujus sacratis artubus
Salutis auctor omnium
Christus moderno tempore
Compsit solum Germaniae.

6. Laetare, felix Augia,
Honore tanto praedita,
Tuum fovens carum solo,
Habes patronum quem polo.

7. Te, Marce, voto supplici
Culpis rogamus perditi,
Tuis benigne servulis
Laxa malum peccaminis.

8. Sit trinitati gloria
Et laus honoris maxima,
Quae dat coronam martyri,
Nunc et per omne saeculum.

V fol. 76a; P fol. 88b. — Ferner Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. N. — 2, 4 Mysterii archis VP; Mysteriiarchi N. — 3, 2 Terra in VP. — 7, 1 vota P. — 8, 3 martyribus VPN.

68. In s. Marci Evangelistae.

1. Jam nunc per omne lux refulget saeculum,
Lux illa, patris quae lucet de solio,
Quae fons, origo, splendor lucis aureae
Habensque semper lumen indeficiens
Coelum serenat, arcens mundi tenebras.

2. Hujus sacrato lucis de vibramine
Suscepit almum radium sub pectore
Marcus beatus, doctor evangelicus,
Factus lucerna more tanti luminis,
Ardens fugavit saeculi caliginem.

3. Septem columnis una de candidulis,
Aureis septem unum de candelabris,
Cingit qui totum mundum claro sidere,
Ecclesiarum nititur sub culmine,
Sustentat altae fundamenta fabricae.

4. Quantum quod olim viderat Hiezechiel,
Propheta sanctus, animal lectissimum,
Vidit Johannes ceu Christi recubitor
Leonis hoc et typice sub specie
Clamore multo per deserta frendere.

5. Sic a beato Petro missus adiit
Aquilejensem dudum famosissimam
Urbem, sacrati verbi pullulantia
Disseminavit sata, quo centuplices
Fructus ad alta vexit felix horrea.

6. Christi dicavit mox ibi ecclesiam,
Nam fundamentum fidei fortissimum
Fixerat unum petram super limpidam,
Quam flumen undans nec ventorum fulmina
Quassare posset, torrentes nec pluviae.

7. Deinde rursus cum corona rediens
Athleta Christi compta pulchris liliis
Mixtumque palmis, lauro atque rosulis
Portabat gaudens diadema vertice,
Ingressus urbem Romam Christo comite.

8. His ita gestis pergit Alexandriam
Sancto repletus spiritu, laetissimos
Fines per omnes jugiter Memphiticos
Patris tremendi praedicabat unicum
Venisse mundi pro salute filium.

9. Turba crudelis Christi circa militem
Tumens parabat tormentorum spicula,
Vinxit catenis, transfixit aculeis,
Dilaniando flagris sacra viscera,
Carceris umbras misit ad phantasticas.

10. Primus superni nominis notitiam
Dedit in urbem Marcus Alexandriam,
Christi dicavit mox ibi basilicam,
Quam expiavit pretioso sanguine,
Vallavit almae fidei munimine.

11. Gloria patri, decus et imperium,
Sit, nate, semper tibi super sidera
Honor, potestas sanctoque spiritui,
Sit trinitati virtus individuae
Per infinita saeculorum saecula.

V fol. 76a; P fol. 89a. — Aus ersterer bei Dümmler Poetae Latini aevi Carolini I, 140, unter Paulini Aquilejensis carmina dubia. D. — 1, 3 splendorem VP. — 3, 3 Cingitque D. — 4, 1 Hiesechiel P. — 4, 3 seu D. — 5, 4 sato quo VP; satoque D. — 7, 1 remeans D. — 9, 4 sancta viscera D. — 11, 1 Gloriam VP. — 11, 4 trinitatis VP.

69. In s. Juvenalis Episcopi.

1. Clarescat terris Juvenalis gloria,
Coelorum sanctis qui exsultat coetibus,
Sacratis cujus membris Narni civitas
Tuta refulget.

2. Protulit istum Africa divinitus,
Virum prudentem, moribus mitissimum,
Scripturae sacrae cultorem egregium,
Mente decorum.

3. Divina tantum novit providentia,
Fertilem esse illum sine fructibus,
Romam coegit properare coelitus
Remige Christo.

4. Ecce matrona pulchra Philadelphia
Tunc Juvenalem suscepit hospitio,
Anxia semper fratrum Christi gloria,
Nomen adimplens.

5. Haec ut cognovit hospitis clementiam,
Submissa prece Romano pontifici
Eum sacrari postulat episcopum
Narni ferendum.

6. Ubi deorum nefandorum idola
Celebrant cives, Jovis et Mercurii,
Martis, Saturni et Minervae, Veneris,
Lumine capti.

7. Ingressus cumque Christi patet famulus
Urbi errore jam deceptae, deviae
Clarum ostendit veritatis pervium
Iter Olympi.

8. Stravit culturam idolorum sordidam
Fractis lapillis Christi jussu solido,
Abrahae multos excitavit filios
Ore venusto.

9. Te, Juvenalis, te submissis precibus
Omnes oramus, ut pro nobis Dominum
Christum exores, qui nos omnes liberet
Morte secunda.

8. Faucibus amplis terra hostes sorbuit,
Dathan ut olim, Abiron ut legimus,
Domino semper fuisse obnoxios
More superbo.

9. Turbine venti procellosi nubibus
Nautasque prece Juvenalis liberat,
Magistrum sequens, qui clientes eruit
Peste marina.

10. Te, Juvenalis, te submissis precibus
Omnes oramus, ut pro nobis Dominum
Christum exores, qui nos omnes liberet
Morte secunda.

11. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 78b; P fol. 90b. — 2, 1 Christi P. — 2, 2 mirus P. — 2, 3 terram VP. — 3, 2 turba VP. — 5, 1 suis VP. — 6, 4 David amorem VP. — 7, 1 calicem VP. — 7, 2 famulator VP. — 7, 3 Turba VP. — 8, 4 superbos V. — 9, 1 procellos in nubibus VP. — 9, 2 Nauta qui prece VP, Juvenalem P.

72. In Inventione s. Crucis.

1. Arbor salve sanctissima,
Beata crux, cum gloria
Celso sacrata sanguine,
Dicata Christi ubere.

2. Electa cunctis credulis
Fuisti olim formula,
Gignis nunc mundo gratias,
Homines coelos sublevans.

3. In te pendentem credimus
Flagellatumque colimus,
Lugemus lata lateris,
Manuum, pedum vulnera.

4. Nostrique passi principis
Ob nos rubentem faciem;
Per te ipse nos liberet,
Qui per lignum cecidimus.

5. Rectis fide tu murus es,
Signum datum timentibus,
Tu thau signatum frontibus
Victrixque signum saeculi.

6. Nos te precamur, fulgida
Arbor crucis sanctissima,
Ut iram tanti vindicis
Removeas ac mitiges.

7. Deo patri sit gloria.

V fol. 80a; fehlt P. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. A. — Brev. ms. Romano-Francisean. saec. 15. Cod. Angelic. C V 12. B. — 1, 4 Christi verbere B. — 2, 2 olim formido B; Olim fuisti A. — 2, 3 Gignis nec B. — 2, 4 ad coelos sublevas B. — 3, 2 Famulatumque colimus B. — 3, 3 Lugemus plagas lateris A. — 3, 4 Manuumque pedum B. — 4, 4 per lignum credimus B. — 5, 1 tu munus es B; Leti fidei tumulum A. — 5, 2 Sed signum docti mentibus A. — 5, 3 thau signum frontibus B; Tuta ut signatum V. — 5, 4 Victrumque V, victrisque A. — 6, 2 sanctissime V. — 6, 3 tanti judicis B. — 7, 1 Sit patri laus ingenito B.

73. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Illuminavit hunc diem
Rerum creator omnium
Festivitate maxima,
Quae nunc jucunda ducitur.

2. Templum dicavit coelitus
Ejus perennis gloria
Honore in archangeli
Hoc Michaelis annuo.

3. Volvente cursu rediens
Celebritatis inclitum
Altare quo templum simul
Hoc dedicatum splenduit.

4. Haec aula coeli janua,
Hic panis almus vescitur,
Hic sanguis agni sumitur,
Hic abluuntur crimina.

5. Hic vota redduntur pia,
Quae sacer ipse suscipit
Christi minister Michael
Ejusque fert obtutibus.

6. Summi tonantis nuntius,
Dignum gerens officium,
Orationes omnium
Offert Deo fidelium.

7. Archangelorum primus est,
Princeps Dei exercitus,
Plebem regit catholicam
Per cuncta mundi climata.

8. Vicit draconem perfidum,
Jecit polo superbiam,
Venturus est in saeculo
Ponere finem Antichristo.

9. Deo patri sit gloria,
Sit semper unigenito
Sanctoque sit spiritui
Per saeculorum saecula.

V fol. 81a; P fol. 92b. — Ferner: Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. A. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. B. — Hymn. ms. Beneventanus saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. C. — Brev. ms. Hispanicum saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Londinen. Add. 30848. D. — Brev. ms. Casinense saec. 14. Cod. Casinen. 34. E. — Psalt. ms. Coelestin. in Gentilino saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Avenionen. s. n. F. — Brev. ms. Coelestin. saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Mazarin. 359 (763) G. — Brev. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 1277. H.

2, 4 annua D. — 3, 1 Solvente cursu F. — 6, 1 tonantis unicus H. — 8, 3 in saecula P. — 9, 2 sqq. nur in D; die übrigen Handschriften nur 9, 1. — Vgl. Morel S. 71.

74. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Mysteriorum singnifer
Coelestium, archangele,
Te supplicantes quaesumus,
Ut nos placatus visites.

2. Ipse cum sanctis angelis,
Cum justis, cum apostolis
Inlustra locum jugiter,
Quo nunc orantes degimus.

3. Castissimorum omnium
Doctorum ac pontificum
Pro nobis preces profluas
Devotus offer Domino.

4. Hostem repellat ut saevum
Opemque pacis dirigat,
Et nostra simul pectora
Fides perfecta muniat.

5. Ascendant nostrae protinus
Ad thronum voces gloriae,
Mentesque nostras erigat,
Qui sede splendet fulgida.

6. Hic virtus ejus maneat,
Hic firma flagret caritas,
Hic ad salutis commoda
Suis occurrat famulis.

7. Errores omnes auferat
Vagosque sensus corrigat
Et dirigat vestigia
Nostra pacis per semitam.

8. Lucis in arce fulgida
Haec sacra scribat carmina,
Nostraque simul nomina
In libro vitae conserat.

V fol. 81 b; P fol. 93a. — Ferner: Antiph. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambros. s. n. A. — Antiph. ms. Ambrosianum saec. 10. Cod. Ambros. T 103 sup. B. — Hymn. ms. S. Jacobi in Pontida saec. 11. Cod. Vatican. 82. C. — Man. ms. Vallis Travaglia saec. 11. Cod. Capit. Mediolan. s. n. D. — Man. ms. Ambrosianum anni 1193. Cod. Ambros. J 27 sup. E — 4, 4 perfecta maneat. C.

75. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Coelestium te signifer
Mysteriorum poscimus,
O Michael archangele,
Placatus ut nos visites.

2. Et cum beatis angelis
Cunctisque coeli civibus
Custodias a noxiis
Tranquilla praebens tempora.

3. Dignare nobis sedule
Christi precari gratiam,
Ipsi quoque conspicuo
Offerre voces supplicum.

4. Infundat almus spiritus
Ut dona nostris mentibus
Dans calle nobis culmina
Recto polorum scandere.

5. Pellens et hostis scandala
Nos pace junctos muniat
Et nostra semper pectora
Armet fide rectissima.

6. Erroris actus auferat,
Sensus vagos et corrigat,
Mentesque nostras erigat,
Quo vita perpes permanet.

7. Sic nostra scribi nomina
Concedat in coelestibus,
Ut nulla nos contagia
A lucis aula separent.

8. Hic vera flagret caritas,
Hic sancta sit concordia,
Ut cum salutis commodo
Nos cuncta captent prospera.

9. Hic sanctitas et veritas
Omnisque virtus fulgeat,
Hic deleantur crimina
Et daemonum temptamina.

10. Hic Michael fortissimus
Et dans medelam Raphael
Nos cum choris coelestibus.
Ad protegendum praesto sint.

11. Rex angelorum, quaesumus,
Haec vota laudum suscipe
Et cum triumpho gloriae
Nos angelis intersere.

12. Sit trinitati unicae
Virtus, potestas, gloria,
Quam cuncti laudant angeli
Per saeculorum saecula.

V fol. 82a; P fol. 93b. — 1, 4 Placatus tu nos P. — 2, 3 a noxias VP. — 3, 2 precare VP. — 5, 2 pace vinctos V. — 6, 4 permaneat P. — 7, 1 scribi omnia P. — 8, 1 Hic vero P. — 8, 3 commoda VP. — 12, 1 trinitatis VP.

76. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Alme rex archangelorum,
bellicosum principem
Cum caterva Michaelem
deprecamur, coelitus

2. Expugnans ut pellat hostem
fraudulentum callide,
Grassantem nos ad nocendum
hujus mundi principem.

3. Intus, extra, hic ubique
casto corde et corpore
Lucis Michael minister
mundet nos et muniat.

4. Regno reddat nos superno,
sanctorum consortio,
Tanta sancti Michaelis
juvetque precatio.

5. Christe, te in tuis sanctis
collaudamus angelis,
Qui cum patre ac spiritu
regnas in perpetuum.

V fol. 82b; P fol. 94a. — 4, 2 sanctorumque VP. — 4, 4 jubetque VP. — 5, 4 regnans V, regnansque P.

77. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Sancte Michael archangele,
Suppliciter te petimus,
Ut nos indignos adjuves
Tuis orationibus.

2. Tibi flectimus genua
Propter nostra nunc scelera,
Tu semper pio animo
Digneris nos suscipere.

3. Agnoscimus nostra crimina,
Inde petimus veniam,
Rogamus, ut nos adjuves
Jacentes in periculo.

4. Hostis antiquus vigilat,
Ut per fraudem decipiat,
Sed tua sancta oratio
Ejus excludat aditum.

5. Perfidus ille doleat
Et tu laetus congaudeas
Depulso adversario,
Qui vult nocere famulos.

6. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

V fol. 83a; P fol. 94a. — Brev. ms. Novocomense anni 1420 Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. A. — 1, 2 Te supplices deposcimus A. — 2, 2 Nunc propter nostra A. — 2, 4 recipere A. — 3, 2 Ideo petimus VP. — Str. 4 und 5 stellen VP um: die Stellung in A entspricht indes besser der Gedankenfolge. — 4, 2 Ut nos per fraudem VP. — 4, 4 excludat abditum VP. — 5, 2 Tu semper laetus gaudeas A; laetus congaudeat VP. — 5, 3 Depulsos adversarios VP; expulso adversario A. — 5, 4 Nos tuos salva famulos A; nocere famulos VP, was ich belasse nach Anal. hymn. VII, p. 13, sub 5. — Die Doxologie ergänzt nach No. 18.

78. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Unitas in trinitate,
te deprecor, Domine,
Ut me semper trahas totum
tibi votum vovere.

2. In trinitate spes mea
fixa, non in homine,
Sed archangelum deprecor
Michaelem nomine,

3. Ut sit obvius ac missus
   mihi Deo donante
   Hora exitus de vita
   ista atque corpore.

4. Ne me ducat in amarum
   minister inergiae,
   Ipse princeps tenebrarum
   atque pes superbiae,

5. Adjutorium succurrat
   Michael archangelus
   Ad me hora, qua gaudebunt
   justi atque angeli.

6. Adjuvet me sanctus Michael
   diebus ac noctibus,
   Ut me ponat in bonorum
   sanctorum consortibus.

7. Illum rogo, ne dimittat
   mihi truces species
   Inimici, sed deducat,
   ubi regni requies.

8. Sanctus Michael intercedat
   adjutor probabilis
   Pro me, quia sum peccator
   actu atque fragilis.

9. Sanctus Michael me defendat
   semper suis precibus
   Anima egrediente
   cum sanctorum milibus.

10. Sanctus Gabriel, Raphael
    atque omnes angeli,
    Intercedant pro me semper
    simul et archangeli.

11. Aeterni possunt praestare
    regis regna aurea,
    Ut possideam cum Christo
    paradisi gaudia.

12. Antichristi interfector,
    Michael, miles maximus,
    Ut faciat mecum lucem
    suum prope proximum.

13. Via, veritas et vita,
    principalis puritas,
    Parce mihi, ne oblita
    trinitatis unitas.

14. Gloria sit semper Deo
    patri atque filio
    Una cum sancto spiritu
    in uno concilio.

V fol. 83 b; P fol. 94 b. — Vgl. Mone I, 450, der das Lied aus Cod. Augien. 221 M abdruckt mit der Bemerkung: „vorletztes Blatt aus dem 8. Jahrhundert, von fränkischer Hand, aber von einem irischen Dichter.“ Dafs der Hymnus mit den altirischen manche Ähnlichkeit hat, ist unverkennbar; aber mit solcher Bestimmtheit läfst sich doch der irische Ursprung schwer behaupten. Das Lied ist offenbar zunächst für die Privatandacht geschrieben. Bei Aufnahme in das Hymnar sind in P sämtliche Einzahlformen des Pronomens und Verbums in den Plural versetzt, wodurch das Versmafs verdorben ist; dasselbe ist in V der Fall, welches indes stets über dem Plural die Einzahl, über nos, me, nobis mihi schreibt u. s. f. Nach jeder Strophe kehrt als Rundreim die Anrufung wieder: Michael, archangele Dei omnipotentis.

1, 2 ssq. fehlen M; deprecamur VP. — 1, 3 nos VP; trahans V. — 2, 1 nostra VP. — 2, 3 deprecamur VP. — 3, 1 admissum VP. — 3, 2 nobis VP; Deo doctore M, vielleicht zu lesen datore? — 4, 1 nos VP. — 5, 1 In adjutorium nobis (mihi) succurrat VP. — 5, 3 Ad nos VP. — 6, 1 Adjuvet nos VP; der Name Michael ist hier, 8, 1 sowie 9, 1 und 12, 2 offenbar zweisilbig gemessen, 2, 4 und 5, 2 dagegen dreisilbig. — 6, 3 ut nos VP. — 7, 1 rogamus ne dimittas VP. — 7, 2 nobis trucem specie VP. — 8, 3 Pro nobis P, pro nos V; sumus peccatores VP. — 8, 4 actu fehlt M. — 9, 1 nos VP. — 9, 3 animas egredientes VP. — 10, 1 Sanctus Gabriel, sanctus Raphael VPM; hier ist entweder auch Gabriel und Raphael zweisilbig zu nehmen, oder was wahrscheinlicher, das zweite sanctus zu tilgen. — 10, 3 pro nobis VP. — 11, 1 Aeterna VP: aeterne M. — 11, 2 regis regni curia M. — 11, 3 possideamus VP. — Str. 12 und 13 fehlen M. — 12, 1 Antichristus V. — Lies: suam prope proximus? — 13, 3 nobis VP. — 14, 4 consilio M.

79. In Dedicatione s. Michaelis.

1. Centies mille legionum angeli
Concentu plaudunt et canora jubilant,
Christe Jesu, alpha et ω omnipotens,
Sepultus olim et vivens in saecula,
Testis fidelis et verum principium.

2. Qui mundi hujus dejecisti principem,
Redimens orbem tuo almo sanguine,
Sanctus et verus, genitus ingenito,
Reserans clausa et aperta obstruens,
Faciens Deo regnum sacerdotio.

3. Tu verus agnus, solus sine macula,
Solus egressus ab arce dominica,
Qui dextra patris collocatus solio,
Similis Jaspis et Sardino lapidi,
Iris per gyrum et Smaragdus circuit.

4. Tu, Dei pignus hominisque filius,
Septies librum signatum signaculis
Solvere illum dignior repertus es,
Agnus occisus, septem pollens cornibus,
Septeno fulgens et lumine flammeo.

5. De throno produnt fulgura tonitrua,
Septem ardentes ante thronum lampades,
Septem ubique missi Dei spiritus,
Septemque stellae micant agni dextera,
Septem cui adstant candelabra aurea.

6. Sedentes circum quater seni primates,
Amicti cuncti niveis cycladibus
Et laureati diademis aureis,
Aureas vehunt fialas aromatis,
Aureis psallunt modulis et citharis.

7. Est ante thronum nitens mare vitreum,
Bis binae formae item animalium,
Homo per genus, leo voce perstrepens,
Juvencus ore promens sacerdotium,
Petens ad astra more volans aquilae.

8. Quatuor formis senae alae singulis,
Ante et retro cuncta plena oculis,
Vigilant semper et dormire nesciunt,
Vicissim sanctus ter clamantes jugiter
Illi, qui erat et est et venturus est.

9. Gloria patri, laus sapientiae,
Agno sedenti super thronum gloriae,
Cum patre regnat et cum sancto spiritu,
Connexa simul una sancta deitas
Per infinita saeculorum saecula.

V fol. 84a mit Neumen; P fol. 95a. — 1, 2 plaudent VP. — 2, 3 genitus ab ingenito VP. — 2, 5 regni V. — 3, 3 dextram V. — 3, 4 Simul Jaspis P; lapide P, lapidum V. — 3, 5 Smaragdum circuis VP. — 4, 5 luminis VP. — 5, 1 produnt VP. man möchte prodeunt mit Synicese vermuten. — 6, 5 psallent V, psallant P. — 7, 2 bini fores idem P. — 7, 4 promet V. — 8, 1 senis alis VP. — 8, 5 Ille VP. — 9, 1 patris V; laus, entweder zweisilbig, oder salus zu lesen, oder sit zu ergänzen. Vgl. Apoc. IV, 1 sqq.

80. In sancti Flaviani.

1. Alme confessor, summi regis praesul,
Audique voces famuli tuorum
Te flagitantes.

2. Fide praeclarus, candidus in vita,
Praedicator verus, quam spirans illi dedit
Spiritus sanctus.

3. O bone pastor, Flaviane sacer,
Protege plebem tibi quae commissa,
Athleta Dei.

4. Hostesque tuos undique confligunt,
Nos sine viri, vernulasque tuos
Adjuva, pater.

5. Haereticorum tu sprevisti dogma
Et confutasti uticeque praebet,
O pater sancte.

6. Gaudium intra dominique tui
Commissas tibi oves repraesenta,
Fidelis serve.

7. Pro Christo passus vilia fuisti,
Ibi in carne vitamque finisti
Coelos receptus.

8. Apruticnse decoravit tellus,
Noluit Deus proprio frustrare
Nobis patrono.

9. Qui quondam erat, manet urbis praesul,
Nobis coruscant miracula sepulchris
Deo juvante.

10. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super coeli residensque throno
Trinus et unus.

V fol. 85a; P fol. 96b. — Aus ersterem nach Ozanam bei Migne l. c. p. 819. M. — 1, 2 vocis VP; im übrigen mufs das rätselhafte famuli tuorum belassen werden. — 1, 3 Reflagitantes P. — 2, 1 Fides V. — 2, 2 Sowie der Vers überliefert ist, hat jede Vershälfte eine Silbe zu viel und ist überdies unverständlich. Tilgt man das tautologische spirans und stellt die Vershälften um, erhält man einen richtigen Vers und einen acceptabeln Sinn:

Quam illi dedit praedicator verus.

3, 2 plebe V; tibique commissa VP. — 3, 3 Athletas Dei VP. — 4, 1 Hostemqui P; hostemque V. — 4, 2 viri, Ablativ Singular von vis? — 4, 2 vernulosque P, vernuloque V. — 5, 1 dogmas VP. — 5, 2 uticeque unverständlich; uticeque probat M. irrig, da V praebet bietet. — 6, 1 Gaudium intrat dominique tuis VP. — 7, 1 passus filium fuisti VP. — 7, 2 Ibi dem Sinne nach wohl gleich hic zu nehmen. — 7, 3 Coelos statt in coelos; receptos VP. — 8, 1 decoravi VP; das Neutrum tellus dürfte nicht zu umschiffen sein. — 8, 2 propria VP; für frustrare nobis verweise ich auf Analecta VII, p. 12 sub 3 und p. 13 sub 5. — 9, 2 curuscat VP; der Vers hat eine Silbe zuviel. — 10, 1 Sit laus illi VP; ich setze salus, weil die Doxologie offenbar dem Hymnus Iste confessor entlehnt ist. Der Umstand wirft Licht auf die Entstehung dieser sapphischen Strophe mit nur zwei sapphischen Zeilen. Ward das Lied auf den Hymnus Iste confessor und zwar auf die Melodie Analecta hymnica II p. 108, sub VI, gedichtet, so erklärt sich, da die erste Melodiephrase zweimal wörtlich sich wiederholt, dafs man diese Repetition aufgebend auf diese verstümmelte sapphische Strophe verfiel.

81. In Ascensione DN.

1. Funeris victor triduo resurgens
Sustulit sanctos Erebo retentos,
Coelicas illis tribuens benignus
Scandere sedes.

2. Ut homo verus liquido patescat,
Mandit et potat, tibi namque vulnus
Mentis ut curet, reserata Thomae
Stigmata pandit.

3. Ut Deus scandit nitidus triumphis,
Regna stellati penetrans Olympi,
Omnibus nobis solidam reliquit
Spemque fidemque.

4. Clarus ad dextram residens paternam
Regnat aequalis patri atque compar
Spiritus sancti, sibi servientes
Protegit omnes.

5. Quid tibi dignum fecimus, redemptor,
Cor quidem nostrum lubricat profanum,
Supplices tantum labiis litamus
Pectoris hymnum.

6. Tu tamen gratus placidusque sumens
Noxias mentis remove figuras,
Nesciam mortis tribuendo vitam
Consule nobis.

7. Una majestas, parilis potestas,
Vita communis, sociale sceptrum,
Deus excelsus, Deus absque cursu
Temporis exstas.

8. Laus, honor, virtus tibi sit perennis,
Qui bonus solus bonitate vera,
Deus, excelsa bonitate regnas
Trinus et unus.

V fol. 87 b; P fol. 99 a. — 2, 4 pandat VP. — 6, 3 Nescias P. — 7, 1 parili VP. — 7, 4 exstat VP.

82. In Festo Pentecostes.

1. Anni peractis mensibus
Tanta recurrunt gaudia
Votisque dudum credulis
Optatus advenit dies.

2. In quo spiritus Domini
Terras replevit gaudiis,
Coelestis adventus sui
Mundo decurrunt lumina.

3. Sic namque filius Dei
Apostolis spoponderat,
Celsum petisset cum polum,
Missurum sanctum spiritum.

4. Quod est probatum testibus,
Apostolorum vocibus,
Cum sint diversis oribus.
Variis locuti gentibus.

5. Tanto redempto munere
Patris et nati spiritus,
Juges agamus gratias
Deo perenni saeculo.

V fol. 89 b; P fol. 102 a. — Ferner Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vespas. D XII A; bei Stephenson, Latin Hymns of the Anglo-Saxon Church p. 95. — 1, 3 credulos VP. — 2, 3 Coelestia adventus A. — 4, 1 Quod ex probatum VP. — 5, 1 Tanti VP. — 5, 2 spiritum VP.

83. In Festo Pentecostes.

1. Et hoc supernum munus est
Quod lingua linguis militat,
Quis non tonantis praemia
Per dona ejusdem proferat?

2. Facit, loquendo qui sapit,
Dignum loquatur ut Deo,
Infundit ecce spiritus
Et ora rursus instruit.

3. Intrat veterno pectora
Eviscerata nubilo,
In hoc apostolis die
Dum verba verbum dividit.

4. Sermone mundi praepotens
Et corda mundi concutit,
Summis feratur laudibus,
Univit ora gentium

5. Thrax, Gallus, Indus unus est,
Quod blanda ludit Graecia,
Quod saevit atrox Barbarus,
Stridor Canopi murmurat,

6. Quod lingua latrat Parthica,
Pectus replevit hospitum,
Mundi ad salutem curritur
Nolente mundo tot viis.

7. Quae sacra nunc remissio
Paschalis instar gratiae,
Dum mysticam septemplici
Ornat coronam munere.

8. Augmenta plenitudinis
Opus ministrat divitis,
Nunc mente et voce psallitur,
Ut nostra debet mens Deo.

V fol. 90a; P fol. 102a. — Der Hymnus ist von Ennodius Ticinensis, unter dessen Werken er steht, Migne PP. LL. 63, p. 328. M; Corp. Scriptt. Eccl. VI, 544. H; Mon. Germ. Auctt. Ant. VII, 251. G. — 1, 2 linguis lingua M; militans P. — 1, 4 praeferat HG. — 2, 1 Facit loquentem quem capit VP. — 2, 2 Digne P. — 3, 1 veterna VP. — 3, 2 Et viscerata P. — 4, 2 contulit HG. — 4, 3 Summi M. — 4, 4 Homo habet ora gentium. MHG. — Tunc Gallus. P. — 5, 2 barbarum HG. — 5. 4 Canopis P; murmuris HG. — 6, 2 replevit hispidum VP. — 7, 1 Quod sacra MH; Quid! sacra G. — 7, 2 instat H. — 7, 4 muneris P. — 8, 2 Opes ministrant diviti MHG. — 8, 4 Hoc nostra vox et mens Deo MHG.

84. In sancti Erasmi.

1. Apologetici martyrem faminis Erasmum venerandum promptione alacri Christicolarum phalanx felix attollere gaudeat.

2. Bella quam plurima congerens Stygicus et anguis edax quem contra ruunt fribula est sine vi protrita quoque per laxa cuncta libant.

3. Caelebs isque fugosa terens amphibola dantur quis eona quaerit at potitus et his praemia bibrans retinet atque clara data.

4. Diocletiani jussa probra refutans infausti caesaris praesul namque beatus eremum inde petens latuit semotus a turba.

5. Erasmus clarus qua divinis pollens excubiis hic lictus humanis angelica nam gaudet sibi solatia fore quippe ministrata.

6. Felicia dona rite tenens quod sprevisti vana summe martyr atque gloriose supernis compos refulgens perenni plaudis in aula.

7. Gaudia nempe tua manent nunquam finienda per aevum felix agonista multum ac praedicande sacer meritis da teneamus ea.

8. Gloria magna sit Deo patri ac filio spirituique perinde sacro perpes potestas per omnia saecula saeculorum. Amen.

V fol. 90b; P fol. 102b. — 1, 3 proptione V. — 2, 2 stygicos P. — 2, 4 sine vim V — 3, 1 Celebsisque V; celebs hisque P. — 3, 2 Amfibilla, ursprünglich amfibula P, anfibula V. — 5, 3 angelicam VP. 5, 5 Fora quippe V; foraque perpe ministrata P.

Dies ist insofern von allen Hymnen des Hymnars der am traurigsten überlieferte, als es mir nicht einmal gelungen ist, das Metrum zu eruieren, in dem er geschrieben. Dies ist um so auffallender, als die beiden folgenden Hymnen, welche das Alphabet unseres Abcdarius zu Ende führen, recht anständig überliefert sind und eine, wenn nicht fehlerfreie, so doch erträgliche Rhythmik der Betonung erkennen lassen. Auch kann die Verwüstung, welche die Federn der Kopisten angerichtet haben, eine so gewaltige nicht sein, da es sonst unerklärlich wäre, wie die Silbenzahl in sämtlichen Strophen die gleiche bleiben konnte. Sämtliche Strophen haben nämlich 42 Silben, nur Str. 2 und 3 haben 41, Str. 7 43. Es kommt hinzu, dafs die Doxologie einem anderen bekannten Hymnus, es ist das Lied: Martyris ecce dies Agathae, eine ganze Zeile wörtlich entlehnt:

Spirituique proinde sacro,

ein Metrum, das indes nicht durchführbar erscheint. Ich habe mich begnügt, den korrupten Text abzudrucken, es findigeren Geistern überlassend, das verschüttete Metrum auszugraben.

85. In sancti Erasmi.

1. Hostem humani generis,
Erasme beatissime,
Mire bellans deviceras,
Superna tecum gratia.

2. Infima quia spreveras
Carnis ac desideria
Calcando ad perpetua
Sic pervenisti gaudia.

3. Katervis hinc aethereis
Admixtus jam tripudias
Feliciter cum Domino
Saecla per et innumera.

4. Laetaris pro quo jugiter
Athleta devotissime,
Adeptus, quae cupieras,
Falsa spernendo numina.

5. Martyr Christi sanctissime
Supernorumque socie,
Perosa temnens rurica
Migrasti ad sublimia.

6. Nec valuere vincere
Tormenta cuncta carnea,
Nec trux serpens et lividus
Tui ademit gaudia.

7. O exoptanda gloria,
O Erasmi victoria,
O felix certe gratia
Et martyris constantia.

8. Poena quem nulla superat,
Flagra neque conterritant,
Impetret suis precibus
Nobis aeterna gaudia.

9. Quod ipse Christus annuat,
Cum patre et sancto spiritu
Qui dominatur omnia
Per saeculorum saecula.

V fol. 91a; P fol. 103a. — 2, 1 Infirma P. — 2, 3 ac perpetua P. — 3, 4 saecla paret P; pe ret V. — 4, 3 quod cupieras V. — 5, 3 perhosam V. — 6, 3 libidus VP. — 7, 3 felix cete VP. — 8, 1 Poena quam VP. — Der Hymnus fährt im Alphabet fort, wo der vorige aufhört.

86. In sancti Erasmi.

1. Rex metuende, omnium creator,
Festa sacrata martyris Erasmi
Rite colentes tuere benignus
Sede de sacra.

2. Salus aeterna, spes et lux beata,
Vita cunctorum, splendor angelorum,
Martyris hujus, da, ut mereamur
Praemia digna.

3. Te, praesul sancte, Erasme benigne,
Poscimus adsis postulans tonantem,
Nobis ut ipse tribuat misertus
Regna superna.

4. Ut tuis quondam meritis adjuti
Coetibus almis sociemur atque
Odas aeterno concinamus regi
Voce beata.

5. Xriste, redemtor omniumque sator,
Pius et clemens moderator orbis,
Conferas nobis precibus Erasmi
Gaudia summa.

6. Ymnus ut noster semper sit acceptus
Ipsi, quo nostri faveat misertus
Hic et ubique rite tribuendo
Praemia magna.

7. Zelus amarus furor quoque omnis,
Pestis et lues animaeque languor
Procul a nobis sistere cogantur
Saecla per cuncta.

8. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboatur omni
Gloria mundo.

V fol. 91 b; P fol. 103 b. — 3, 2 Poscimus adsiste P. — 5, 3 Conferat VP. — 6, 3 rue tribuendo P.

87. In sancti Viti.

1. Ad Viti beatissimi
Gloriam, Christi martyris,
Aequum fratrum fidelium
Decantet coetus labium.

2. Spiritus sancti gratia
Repletus in infantia
Ad instar coepit procerum
Salutem dare populo.

3. Quem suus Ylas genitor
Blandis mulcens affatibus
Cogit Vitum sanctissimum
Dei negare filium.

4. Sed armis tectus fidei
Promissa sprevit tyranni
Tenellus in martyrio
Devotus puer nimium.

5. Funestus tunc deicolam
Pater verum exagitans
Puellarum adspectibus,
Ejus ut flectat animum.

6. Ubi extemplo coelicus
Chorus venit angelicus,
Quem pestifer adspiciens
Ylas privatur lumine.

7. Qui dum dolore nimio
Se vocitaret miserum,
Medelam puer Domini
Misertus patri intulit.

8. Hinc tentus est ab impio
Diocletiano misero,
Sauciatus extorquitur,
Feris vorandus traditur.

9. Sed athleta pulcherrimus
Sustinens imperterritus
Per tormentorum genera
Reddidit Deo animam.

10. Nunc Christi patientiam
Precemur cum Crescentia
Atque Modesto martyre,
Vivamus ut perenniter.

11. Deo patri sit gloria.

V fol. 92 a; P fol. 104 a. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. A. — 1, 2 Christum V. — 1, 3 Equo A. — 3, 1 suum Ylas genitor P; suum Ylas pater V. — 3, 3 Conat A, virum sanctissimum P. — Vor Str. 4 divisio A. — 5, 1 deicola V. — 6, 1 Ibi P; coelitus A. — 6, 4 Ylas patus lumine V. — 8, 1 Hic tentus A. — 10, 1 Hunc A; patientia VP.

88. In sancti Viti.

1. Alma beati martyris
Viti canamus trophaea,
Hymnis venite dulcibus
Celebrare solemnia.

2. Dona divini spiritus
Septenis hausit fontibus,
Christi repletus gratia
Contempsit mundi culmina

3. Caecus amisso lumine
Ylas videndo agmina
Cum Vito in cubiculo,
Repleto sancto spiritu,

4. Provolutus vestigiis
Infantis rogat merita,
Ut ei, quod amiserat,
Lumen donaret pristinum.

5. Hoc audiens almificus
Vitus patri addiderat:
Si pompis abrenuntias,
Magna videbis lumina.

6. Durissimus in labiis
Fatetur: Abrenuntio;
Puer agnoscens omnia
Dat patri indulgentiam.

7. Imperatoris filium
Nequam vexabat spiritus,
Sed Viti verbo territus
Illum reliquit protinus.

8. Cuncta cucurrit fortiter,
Vincla, flagella, carcerem,
Beatus Vitus inclitam
Coelo reddidit animam.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 92b; P fol. 104a. — 6, 2 Fatentur VP. — Ein sehr viel längerer Hymnus gleichen Anfangs, dem der vorstehende entlehnt scheint, findet sich in anderen Quellen und ist zum Teil bei Morel p. 326 sq. abgedruckt. Ich lasse denselben hier nachfolgen.

88 b. In sancti Viti.

1. Alma beati martyris
Viti canamus trophaea,
Hymnis venite dulcibus
Celebrare solemnia,

2. Gaudete, cuncti creduli,
Discusso corde crimine,
Nunc festa Viti gaudia
Laetis canamus mentibus.

3. Dona divini spiritus
Septenis hausit fontibus,
Christi repletus gratia
Contempsit mundi crimina.

4. Affertur ante tribunal
Valeriani Caesaris,
Fatur constanti pectore
Simulacra contemnere.

5. Tyrannus jussit crudelis,
Vesano fervens spiritu,
Membra sacrati corporis
Crudis torquere cestibus.

6. Repente clamat carnifex
Motus profanis ausibus,
Percussus atro vulnere
Fatetur manum perdere.

7. Pronus precatur veniam,
Infantis optat gratiam,
Dans Vitus indulgentiam
Salutem reddit pristinam.

8. Caecus amisso lumine
Clara cum vidit agmina,
Puero in cubiculo
Fulgentem sanctum spiritum.

9. Provolutus vestigio
Infantis rogat merita,
Ut ei, quod amiserat,
Lumen donaret pristinum.

10. Hoc audiens almificus
Vitus patri addiderat:
Si pompis abrenuntias,
Magna videbis lumina.

11. Durissimus in labiis
Fatetur: Abrenuntio;
Puer agnoscens omnia
Dat patri indulgentiam.

12. Crudelem cogit impius
Suo minari genito,
Illum eduxit angelus
Excelsi cum paraclito.

13. Imperatoris filium
Nequam vexabat spiritus,
Sed Viti verbo territus
Illum reliquit protinus.

14. Fornacis aestus fervidos
Calcavit ardens spiritu,
Sed nec vel filum tegminis
Flammarum gurges attigit.

15. Ictum mucronis algidi
Et os leonis horridi,
Rimosa rogi fulmina
Vitus vicit feliciter.

16. Dumque mucrone figitur
Membrorum fractis motibus,
Pro Christo fundens sanguinem
Coelum remisit spiritum.

17. Modestus cum Crescentia
Infantis pro militia
Socius fuit vinculis
Sancto plenus spiramine.

18. Post crucis altae insignia,
Ferri, ferarum vulnera
Cum Christo, quem dilexerat,
Triumphas nunc in gloria.

19. Nunc, Christe, te deposcimus,
Ejus nos rege precibus,
Ipsius ut oracula
Hostis depellant jacula.

20. Laus patri sit altissimo
Virtus ejusque filio
Spirituique gloria
Per infinita saecula.

Hymn. ms. S. Scholasticae Casinen. saec. 15. Cod. Casinen. 869. A. — Hymn. ms. Capit. Veronen. 109 saec. 11. B. — Str. 1 bis 7 einschliefslich bei Morel l. c. aus Cod. Rhenovien. 97 saec. 11. M.

1, 3 Hymnis canamus dulcibus M, wo canamus ersichtlich aus 1, 2 heruntergerutscht ist. — 1, 4 celebrantes M. — 2, 1 cunctis A. — 2, 2 cordis A. — 2, 3 festis A. — 3, 1 divina A. — 3, 2 auxit fontium A. — 4, 1 Aufertur A, offertur M. — 4, 3 Fantur A. — 4, 4 Se simulacra temnere M. — 5, 1 Tyrannus crudelis jusserat A. — 5, 2 Vexano B. — 5, 4 torquere quaesibus A. — 6, 2 Metus profanis auxibus A. — 6, 3 Perculsus M. — 6, 4 manus A. — 7, 3 Dat Vitus M. — Nach Str. 7 folgen in B Str. 19 und 20 und schliefst damit der erste Hymnus. Str. 8—12 fehlen, und mit Str. 13 beginnt ein neuer ad Nocturnum überschriebener Hymnus. Str. 8—12 stehen also nur in A, in dessen Text die notwendigsten Korrekturen aus der vorigen Nummer übernommen sind. — 8, 1 amissus A. — 9, 1 vestigia A, eine Lesart, die an sich nicht abzuweisen. — 9, 2 Infantis precat monita A. — 9, 3 quod promiserat A. — 10, 3 und 11, 1 sq. fehlen A, welches 10, 1—3 und 11, 1—2 in eine fünfzeilige Strophe ohne Sinn zusammenzieht. — 11, 4 Dans A. — 12, 2 Suis minare gemitum A. — 12, 3 duxit A. — 13, 1 filius A. — 13, 3 Vitus verbum A. — 14, 1 aestus fert Vitus A. — 14, 2 ardens spiritus A. — 14, 3 Sed ne vel ligni tegimus A. — 15, 3 Rimos rupit flamina A. — 15, 4 Vitus vicit fidei A. — 16, 1 Demum catasta fugitur A. — 16, 2 fractis nutibus A. — Str. 17 fehlt B. — 17, 4 Sanctum plenus A. — 18, 1 alta A. — 18, 3 Triumphatus in gloria A. — 18, 4 Locatur Christi gremio A. — Str. 19 fehlt A. — 19, 3 oraculo B. — Statt Str. 20 hat A folgende Doxologie:

Deo patri cum filio
Simulque sancto spiritu
Honor, potestas, gloria
Aeterna et in saecula.

89. In Nativitate s. Johannis B.

1. Praeco praeclarus sacer et propheta,
Regis aeterni paranymphus almus
Voxque clamantis, Domino potenter
Dirige callem.

2. Qui redemptorem digito notasti,
Rite tollentem scelus omne mundi,
Intimans, agnum pietate cunctum
Solvere mundum.

3. Tuque sensisti reboare patrem,
Spiritum supra volitare sanctum,
Dum creatorem meruisti in undis
Tingere Christum.

4. Teque splendentem fieri lucernam
Angelo teste decus et Eliae
Credimus natum, prece hodierna
Quem colit orbis.

5. Ecce poscentem pie cerne plebem
Facque rogantes bene nos parentem
Sorte clementi munerave lucis
Sumere vota.

6. Angelus cum tu vocitaris alti,
Jure formantem rogita tonantem,
Quatenus sanctis sociemur astris
Arce polorum.

7. Hocque tu praesta, genitor superne,
Nate supremi, dator ac redemptor,
Spiritus rector tribuat, precamur,
Omne per aevum.

V fol. 93b; P fol. 107a. — Ferner Hymn. ms. Capit. Veronen. 109. saec. 11. A. — Hymn. ms. Hermetisvillanus anni 1553. Cod. Griesen. 23. B. — B hat nur Str. 1 und 2, 6 und 7 und stimmt mit Daniel I, 267, nur dafs letzterer von der Doxologie blofs den Anfang hat. — 5, 2 regnantem A. — 5, 3 munerare A. —

90. In ss. Johannis et Pauli.

1. Decus sanctorum martyrumque norma,
Cui sophia jugiter redundat
Sidera poli ceu arena ponti,
Rex alme Deus.

2. Suscipe clemens odas, simul hymnum
Poplite flexo famuli jucundum,
Tibi quas fundunt spatium per anni
Festa rotantes.

3. Almi Johannis inclitique Pauli;
Cuncta spernentes peritura mundi,
Tuo ponentes pro amore vitam
Fide robusta.

4. Aula nutriti Constantini magni,
Caesaris clari Christique cultoris,
Toto cum corde tibi famulantes
Cursu felici.

5. Vicerunt mille Juliani artes,
Colubri diri, callidi, cruenti,
Framea tua latius protecti,
Galea simul.

6. Saevi verterunt Gallicani mentem,
Christi virtute bellum revincentes
Regem adversum liberis cum suis
Nexos dedentes.

7. Atque post amplas Thraciarum turbas
Scytharum atque subjugarunt Christo,
Vana linquentes idolaque cuncta,
Lympha perloti.

8. Ipsius namque virgines sacratas
Proles divinis monitis traxerunt
Ore luporum nuptum recusantes
Casto amore.

9. Sanguine rubri desinunt in hora
Opaca noctis respuentes Jovem,
Veri resistunt fidei cultores
Robore divo.

10. Hostium minas omnium revincunt,
Glutinant aegros daemonesque sectant
Rigidos funus respirantes aura
Flamine alto.

11. Petimus modo, alti regis valvas
Coeli secreta penetrantes alma,
Munite malis parvam nunc phalanga
Semper ubique.

12. Nostra qui cupit recensere festa,
Nimis ovanter recolente diem,
Qua una vota geminata fide
Morte subistis.

13. Martyrum flores virginumque pares,
Sancte Johannes, Paule nimis clare,
Omnes fovete, petimus, calcantes
Limina vestra.

14. Gloriam summo referamus patri,
Filio simul flaminique almo,
Laus, decus atque commune trophaeum
In sempiternum.

V fol. 96a; P fol. 107b. — 1, 2 redundant VP. — 3, 1 Johanni P. — 4, 4 Cursu fideli VP, darüber felici V. — 5, 2 cruentis VP. — 6, 1 mentes VP. — 6, 2 virtutem V. — 7, 3 Vanas linquentes idolasque VP. — 8, 3 nuptu VP. — 9, 1 rubra VP; ora P. — 9, 2 Opacem noctis VP; der Accent würde gewinnen durch die Umstellung: Noctis opaca. — 9, 3 Verique VP. — 10, 2 lies secant? — 11, 3 parva P; phalangas VP. — 12, 1 Nostram V; festam V. — 12, 2 ovantes VP. — 14, 1 Gloria VP.

91. In ss. Johannis et Pauli.

1. Sanctorum laudes celebret
Nunc sexus omnis pariter
Triumphum atque martyrum
Per anni promat circulum.

2. Astra jucundent fulgida,
Cuncta resultent rurica,
Gerentes vitae spiritum
Paulum collaudent inclitum.

3. Aequo peracto ordine
Johannem rite jubilent,
Perosa qui labentia
Spreverunt ut quisquilia.

4. Alma concreti moenia,
Orbis totius domina,
Divo refecti flamine
Cosmi vibrarunt limites.

5. Aliti aula regia,
Sophiae docti famina,
Minas vicerunt aspera
Sequentes Christum Dominum.

6. Ultro praeberunt capita
Mucronis ad supplicia
Temnentes jussa Caesaris
Juliani sacrilegi.

7. Chelydri cum versutia
Egisti quod, apostata,
Coenandi hora clancule
Christi secasti martyres.

8. Nec signum super faciem
Arvae liquisti rabide,
Ut Christianis tolleres
Suffragatores milites.

9. Quorum post necem Stygici
Facta notarunt picei,
Prodigiaque nomina
Resospitantes corpora.

10. Polorum ergo lumina,
O rosas odoriferas,
Vestris nos almis precibus
Sanctorum jungat coetibus.

11. Hoc praestet summa trinitas,
Simplex concedat unitas,
Cui honor et imperium
Permanet in perpetuum.

V fol. 96b; P fol. 108b. — 1, 4 promat carminum P. — 2, 1 jucundet VP. — 2, 2 resultet VP. — 3, 4 Terrerunt ut quisquilia VP. — 4, 3 refarti V. — 5, 3 l.: asperas? — 7, 1 cum fehlt V. — 9, 2 pycei P. — 10, 3 nos fehlt P. — 10, 4 Dem Satze fehlt sein Subjekt, als welches Gott zu ergänzen scheint.

92. In ss. Petri et Pauli.

Ad Vesperas.

1. Praelata mundi culmina,
Celsa fide micantia,
Ecclesiae fundamina
De fonte vitae proflua.

2. Petrus, cui laus ex fide est,
Paulus, cui laus in dogmate,
Coeli replevit circulum,
Canamus ore consono.

3. Primus potentis gloriae
Fixit freto vestigia
Et vasta per volumina
Planta cucurrit pendula.

4. Qui mortuorum funera
Verbo salubri suscitat,
Et dum via perambulat,
Sanabat umbra corpora.

5. Conclavi cujus fulgida
Poli patescit janua
Ac militum post proelia
Ducit superna ad praemia.

6. Paulus tubae praeconio
Christi tonat mysteria,
Omnes trahens ad baptismum
Doctor fidelis gentium.

7. Qui adhuc superstes corpore
Secreta coeli circuit
Et aure raptus audivit,
Quod fari non praevaluit.

8. Sic iste fixus per crucem,
Recisus ille verticem,
Uterque per victoriam
Coeli sedent cum principe.

9. Sit, Christe, rex piissime,
Tibi patrique gloria
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

V fol. 98a; P fol. 111b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 420. A. — 1, 2 fides VP. — 2, 1 Petrum A. — 2, 2 Paulum A. — 3, 1 potenti A. — 3, 2 fretus VP. — 4, 4 Sanavit A. — 5, 1 Conclavi vinclis fulgida VP. — 6, 2 mysterium VP. — 7, 1 adhuc superest V. — 8, 2 iste A.

93. In ss. Petri et Pauli.

1. Utraque pars psallentium
Aptatae vocis precibus
Pangat lingua eximios
Petrum Paulumque apostolos.

2. Cum meritis praecipuus
Petrus praecellat omnibus,
Repagula aetherea
Ejus traduntur manibus.

3. Nec impar quippe moribus
Saulus mutato nomine
Est vas electum Domini,
Doctor effectus gentium.

4. Petrus namque celerius
Iter carpens lymphaticum
Dextra levatus Domini
Calcavit freta pelagi.

5. Sic Paulus per naufragium
Lintre advectus tellure
Virtute fretus Domini
Rogo projecit viperam.

6. Cum jam exuta corpore
Dorcas cubabat grabato,
Petrus orando Dominum
Jussit puellam surgere.

7. Paulus namque exanimem
Patroclum cernens juvenem,
Sibi allato corpore
Jubet repente surgere.

8. Artatus saevis vinculis
Petrus projectus carcere
Ingrediente angelo
Pergit soluto compede.

9. Rursus nam Paulus et Silas,
In carceris custodia
Dum Christum laudant vocibus,
A vinculis soluti sunt.

10. Contracto namque quaerulo
Auri negat suffragium,
Sed jam in Christi nomine
Salutem praebet homini.

11. Sic pythonissae daemonem
Paulus ab ore pepulit,
Ne trux prolixis artibus
Magis falleret homines.

12. Miranda fides protinus
Aptavit quos virtutibus,
Athletae in certamine
Mundi triumphant principes.

13. Nam Petrus fixus stipite
Poli in regno traditur,
Magus disrupto corpore
Inferni fines penetrat.

14. Paulus truncato capite
Ad aethra scandit protinus,
Nero disruptus febribus
Perenni poena luitur.

15. Quibus relato tempore
Post anni metas circuli
Vota solventes supplices
Christum oremus jugiter.

16. Cum judex in examine
Mundum punire venerit,
Horum per tanta merita
Nobis succurrat omnibus.

17. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

V fol. 100a; P fol. 112a. — 1, 3 Pangit VP. — 4, 2 lymphaticus P. — 5, 2 Lintre adductus P. — 9, 1 Rursum P; Paulum et Silam P. — 11, 1 daemone VP. — 12, 3 A lege in certamine P, Allege V. — 14, 3 disruptis P.

94. In ss. Petri et Pauli.

1. Christe, rex clemens pietatis auctor,
Perditi saecli reparator alme,
Confer, oramus, luculenta Petri
Pangere festa.

2. Qui tuis dictis nimis obsequendo,
Corde te Christum Dominum colendo
Claviger regni meruit polorum
Esse beatus.

3. Petre tu clemens, pius ac benignus,
Aequoris fluctus super ambulasti
Gressibus firmis Domini benigna
Voce vocatus.

4. Voce tu Christi super universos
Princeps es factus placidusque pastor,
Januam coeli reserare justis
Clave salutis.

5. Nam tuo jussu precibusque sacris
Claudus exsultat, Tabita resurgens
Atque gaudendo rediit cruentae
Mortis ab ore.

6. Tu Dei summi Dominum fatendo
Filium Christum Petrus es vocatus
A petra Christo, nitidam super quam
Ponere aulam.

7. Ad tuam vocem pariter fideles
Milia Christo tria crediderunt,
Ad viam lucis pariterque vitam
Rite sequuntur.

8. Simonis fraudem pariterque dogma
Dogmate Christi jugulans necasti
Atque cum Paulo socio volantem
Praecipitasti.

9. Principis saevi truculenta dicta
Jure calcando cruce sublevatus
Vertice verso Domini subisti
Regna beatus.

10. O nimis magne Petre tuque Paule,
Poscite Deum Dominum, precamur,
Ut sui regni capiamus omnes
Gaudia vitae.

11. Gloriam Patri resonemus omnes,
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 101b; P fol. 112b. — 1, 1 Christe rex saecli P. — 4, 1 Christe VP. — 4, 2 et factus VP. — 4, 3 Janua VP. — 6, 1 Domino VP. — 7, 1 infideles VP. — 8, 1 fraude P; dogma fehlt V. — 8, 2 Te Christi jugum pie non negasti P. — 9, 1 Principis servi P.

95. In sancti Pauli.

1. Exsultet orbis ambitus
Pauli triumpho nobili,
Jussu Neronis pessimi
Ferro caput cui tollitur.

2. Sed non dolens vir inclitus,
Poenas luens indebitas,
Gavisus inde plectitur,
Summum caput qui possidet.

3. Olim lupus nigredine,
Horror fuerat pessimus,
Nunc candens agni vellere,
Vincens nives et lilia.

4. Fundendo juge sanguinem
Serto rosarum fulgido
Ornatus his similiter
Dei potitur praemio.

5. Apostolus est gentium,
Electionis vasculum,
Vocatus ut novissimus,
Primus refulgens actibus.

6. Tulit labores fortiter
Christum per orbem praedicans,
Palmam dies hic attulit,
Coeli subit cum verticem.

7. Gaudete, gentes, granditer,
Si plena sunt, et gaudia
Doctorem tantum praedicant,
Vos aula coeli suscipit.

8. Oremus illum cernui
Nobis patronum fieri,
Cujus rogatus praevalet
Onus levare criminum.

9. Omnis honor et gloria
Tibi patri cum filio,
Sancto simul cum spiritu
In saeculorum saecula.

V fol. 101a; P fol. 113a. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. A. — 1, 2 nobilis A. — 2, 4 Summus A. — 3, 4 Vincens nive sedilia VP, revincens nive sedilia A. — 4, 1 jugi VPA; sanguine A. — 4, 2 Fertur rosarum fulgidum VPA. — 4, 4 Dei potitum VPA, promemus V, promimus P, praemium A. — 5, 1 Apostolis ex gentium VPA. — 5, 2 vasculo VPA. — 6, 1 labore P. — 7, 4 Nos aula VA. — 8, 3 rogatu VPA. — 8, 4 lavare P. — 9, 2 Sit tibi VPA; pater cum VA. —

96. In sancti Quirici.

1. Almi triumphum Quirici
Nec non Julittae pangimus
Festa sacrata annua
Horum beatis meritis.

2. Claro quidem de genere
Ortique de Iconio
Caerimonias uberrimas
Custodiunt mirificas.

3. Ira exarsit praesidis
In illo nempe tempore,
Cunctis et jubet idolis
Immolare sacrilegis.

4. Sed fortis Christi famulus
Jussa nefanda respuit
Robusto quoque pectore
Dicta funesta judicis.

5. Jussit tyrannus ictibus
Hos verberari graviter,
Cuncto nudari tegmine,
Prunis cremari corpora.

6. His sanctis in incendium
Ad concremandum traditis,
Rore et sancti spiritus
Caro frigescit illico.

7. Ubi impetus denique
Ignis furentis deficit,
In ima atri carceris
Illos retrudi praecipit.

8. Post haec Christi infantulus
In loco, ubi clausus est,
Quater convertit populos
Centenos procul dubio.

9. Conjunxit unus exitus
Parili quoque merito,
Mucrone tunc occisi sunt,
Nunc vibrant in coelestibus.

10. Gentes, gaudete pariter,
Nobis sint plena gaudia,
Martyres jam tripudiant
Coelica inter agmina.

11. Illos oremus cernui,
Nos refoveant jugiter,
Quorum rogatus praevalet
Onus relevare noxiae.

12. Omnis honor et gloria
Tibi aeterno Domino,
Nunc referamus seduli
In saeculorum saecula.

V fol. 102a; P fol. 114b. — 1, 2 Nec non et VP. — 3, 3 Cunctis ut jubet P; ut juberet V. — 5, 3 Cunctis mundari tegmine VP. — 9, 2 Pari P. — 11, 4 zu noxia vgl. Analecta VII, 11 sub 1.

97. In sancti Alexii.

1. Cantemus omnes arbitro,
Summi parentis unico
Nato, perenni carmine
Coelestis hymnum gloriae.

2. Justum suum qui moribus
Ornavit ac virtutibus,
Alexium fortissimum,
Athletam almum, inclitum.

3. Qui cuncta mundi prospera,
Matris, patris consortia,
Casta quoque connubia,
Substantiarum copiam,

4. Vernaculorum plurima
Dimisit ac palatia,
Longe secando aequora
Exsul petivit Syriam.

5. Semel quoque et bis octies
Currente sole circulum
Vitam peregit pauperem
Jejuniis et frigore.

6. Quo nam latere non valens
Descendit ratem flumine,
Sed coelitus spiramine
Ad patriam vir redditur.

7. Lustri quoque et bis octies
Annorum agens circulos
Patri domo incognitus
Servorum atra sustinet.

8. Sed cum diem sciret sibi
Adesse, in qua spiritum
Deo daret, scripsit brevem,
Qua plebibus post notuit.

9. Precemur hinc omnes simul
Deum per hunc, ut deleat
Nostra cunctorum horrida
Delicta vel piacula.

10. Honor, salus et gloria
Semper patri et filio
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

V fol. 102b; P fol. 115b. — 1, 1 arbitri VP. — 1, 2 unici VP. — 3, 3 Casto quoque connubio VP. — 4, 4 Syria VP. — 5, 2 sola VP. — 5, 3 Vita VP. — 6, 2 flumine fehlt V. — 6, 4 patriam sui redditur P. — 7, 1 Lustro V. — 7, 2 circulo VP. — 7, 3 incognito P. — 8, 1 cum die P, crevit sibi VP. — 8, 2 Adesset P; spiritus VP. — 8, 4 Quam P. — 9, 4 vel paucula VP. — 10, 1 Honor, laus VP.

98. In sancti Apollinaris.

1. Festa sacrati praesulis,
Apollinaris martyris,
Anni recursa orbita
Celebrare jucundum est.

2. A Petro missus principe
Ravennam urbem adiit,
Virtus quidem praenuntians
Ante ingressum patuit.

3. Nam Irenaei filio
Dudum orbato lumine
Nubem squamosam detegens
Clara refulsit visio.

4. Thecla, matrona nobilis,
Conjux tribuni militis,
Per annos curva plurimos,
Gressus recepit pristinos.

5. Nec tecta diu gratia
Signorum fama latuit,
Fertur ad aures tyranni,
Saturnini tunc judicis.

6. Saeva cujus rapacitas
Grassatur circa martyrem,
Telis perfossum gravibus
Seminecem expositum.

7. Extemplo Bonifatius,
Cives Classis, obmutuit,
Indita verba labiis
Loquendi usum meruit.

8. Inter eadem famina
Perrexit ad Aemiliam,
Signis ditatus optimis
Salutem aegris reddidit.

9. Rufi domo patricii
Filia morbo languida,
Morte praeventa subita,
Pestem exclusit luridam.

10. Precamur ergo subditi
Merita tanti praesulis,
Ut nos a culpae vinculo
Eruat suis precibus.

11. Deo patri sit gloria.

V fol. 104b; P fol. 115b. — Ferner: Brev. ms. Benedictinum saec. 11. Cod. Vallicellan. B 79. A. — Hymn. ms. Beneventanus saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Hymn. ms. Casinensis. saec. 11. ex. Cod. Casinen. 559. C. — Brev. ms. Florentinum saec. 13. Cod. Mediceo-Laurentian. Aedil. 131. add. saec. 14. D. — Hymn. ms. S. Scholasticae Casinensis saec. 15. Cod. Casinen. 869. E. — Aus V abgedruckt von Ozanam und Migne, l. c. 822. M.

1, 1 sacrata DM. — 2, 1 misso P. — 2, 2 Ravenna P. — 2, 3 Virtus quamque A. — 3, 1 filium PAD. — 3, 2 orbatum PAD. — 3, 3 Nubes squamosa A; squabosam D. — 3, 4 refulsit caecitas PAD. — 4, 4 resumpsit AD. — 5, 1 Haec PAD; Thecla V; Theclae PAM; gratiam VP; gratiae A. — 6, 2 Crassata VPA; juxta martyrem A. — 6, 4 Saevi necemque D. — 7, 1 Extimplo VA; exemplo Bonifacii P. — 7, 3 Inclita PD. — 7, 4 Loquendi usu animae D. — 9, 1 domum V; domi A. — 9, 3 Mortem praevenit P, subdita A. — 10, 1 sqq. nur in B. — 11, 1 Praesta pater piissime B.

99. In sancti Apollinaris.

1. Apollinaris beate,
audi supplicum voces,
Natam Christi sicut Rufi
suscitasti Domini
Per virtutem, nos reforma
Tua prece sedula.

2. Quibus primum Jesu nomen
Intulisti praeclue
Accolis tunc Ravenatum,
deposce, charismatum
Donis semper ut persistant
divina per munera.

3. Metalli nam diri simul
passus es supplicium
Exsiliique, nosmet cunctos
solve tuos famulos
Precibus fusis ad Christum
vinculis peccaminum.

4. Fraude hostis veternosi
paradisi gaudiis
Exsules, praestante Christo
qui fuimus Domino
Interventu tuo reducti,
persistamus securi.

5. Flagris graviter es caesus
plebe infidelium
Fractus saeva, hinc precamur,
nostrorum ut vulnerum
Cicatrices prece cures,
insulcate maxime.

6. Equulei nam suspensor
daemone corripitur
Saevissimo, tu fuisti
cum passus a perfidis,
Nos laqueo tu peccati,
dissolve suffragiis.

7. Gloriam canamus patri
filioque parili,
Spiritui sancto simul
medullis praecordium
Indefesse nunc et semper
immensa per saecula.

V fol. 105a; P fol. 115b. — Brev. ms. Benedictinum saec. 11. Cod. Vallicellan. B 79. A. — 1, 3 Nata A. — 1, 6 sedulam A. — 2, 1 Quique primum A. — 3, 1 dira P. — 3, 3 exilique V gemäfs der Aussprache. — 4, 6 persistamus sed jugi A. — 5, 1 graviter esce fusa VP; exutus A. — 5, 3 saeva es precamur A. — 5, 5 preces VP. — 5, 6 praesul ipse maxime VP. — 6, 1 Equuleo nam suspensus A; Tunc equulei suspensor VP. — 6, 3 sq. tu fuisti qui eras a perfidis A; tu cum patereris V, cum pateris a perfidis P. — 6, 5 sq. Nos laqueo tu suspensus A; Nos itaque ocius peccati dissolve suffragiis VP. — 7, 1 Gloria VP. — 7, 5 Indefessa VP; semper fehlt VP.

100. In sancti Apollinaris.

1. Sacri, Christe, pontificis,
Apollinaris martyris
Festum sacratum colimus,
Ut solvas nos criminibus.

2. Os saxo hujus caesum est,
Ne tuas laudes promeret,
Corda nostra tu saxea
Ejus prece mollifica.

3. Calibri pressus pondere,
Obscuro clausus carcere,
Ipsius tu suffragiis
Solve vincla peccaminis.

4. Caecatum Tauri filium
Tuo curavit nomine,
Nostras tu mentes pollere
Fac lumine scientiae.

5. Caesus hinc a tortoribus
Usque necis confinium,
Precatu ejus animae
Purgentur nostra crimina.

6. Sic tua fretus gratia
Pervenit ad coelestia
Cum quo, impar sit meritum
Licet, largire praemium.

7. Praestet hoc trina deitas
Simplexque una trinitas,
Cujus honor et gloria
Manet per cuncta saecula.

V fol. 105b; P fol. 116a. — Hymn. ms. Capit. Veronen. 109 saec. 11. A. — Brev. ms. Benedictinum saec. 11. Cod. Vallicellan. B 79. B. — 1, 1 Christi PA. — 1, 4 solvat B. — 2, 2 Ne tuis laudes VP; tibi laudes A. — 3, 1 Calibis V, Talibus P, Calibi A. — 4, 1 Nomine Tauri filium B. — 4, 2 Tuo curavit caecatum B. — 6, 1 Hic tua B. — 7, 1 Instet hoc B. — 7, 4 cuncta tempora A.

101. In ss. Nazarii et Celsi.

1. Angusta vitae tempora
Parvis coacta terminis
Mors sancta donat crescere,
Aeterna finis praeparat.

2. De fruge casuum venit,
Quod surgat humanum genus,
Stirpe bona Nazarium
De morte lumen addidit.

3. Nerone felix principe
Diversa perpessus mala
Lustravit orbem non gravi
Pavore cordis algidus.

4. Sed ut profanis inderet,
Quo calle conscendant polos,
Verus magister actibus
Exempla, non verbis dedit.

5. Nam ductor ille fortis est,
Qui bella viribus docet,
Quem dicta militem trahent,
Si dux gerendis abstinet?

6. Ventosa linguae hortatio,
Quae forma praestat, non habet,
Sed postquam magna semina
Scribente terru sarculo.

7. Glebis refundit optimis,
Mediolanum mox petit,
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam repulit.

8. Qui sede non digno jacens
Vatem tremendus mox monet,
Ut clara rursus munera
Mundo perfusus adderet.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 106a; P fol. 116b. — Der Hymnus ist von Ennodius; Migne 63, 331. M; Mon. Germ. Auctt. ant. VII, 254. G; Corp. Scriptt. eccl. VI, 550. H. — 1, 3 dona VP. — 1, 4 fines M. — 2, 3 In stirpe Nazarius bona MGH. — 3, 1 infelix VP. — 3, 4 algide P. — 4, 1 ut indire profanus P; profanus indire V. — 4, 2 Quod calle conscendat polum VP. — 5, 3 dictam V: tradunt V, trahunt MH, trahant G. — 6, 1 lingua VP. — 6, 2 Qua V, quod M, praestet VP. — 6, 4 Scribentem VP; terram GH. — 7, 1 Glevis V, optimus VP. — 7, 2 Mediolanium G; petiit VP. — 8, 3 refusus MGH.

102. In sancti Xysti.

1. Magni palmam certaminis
Invicta fides contulit,
Pro Christo dimicantibus
De coelo datur calculus.

2. Sic fortis Xystus athleta
Petri sequens martyrium
Ornavit mox ecclesiam
Confessionis titulo.

3. Ortus Athenis et altus
Philosophorum studiis
Mutavit artem artium
Praeceptor apostolicus.

4. Nam carnifex tyrannidis
Fremens ut leo rabiens
Advectans secum martyres
Abdon et Sennen perimit.

5. Dein ad Xystum properans
Vincla, catenas, carcerem
Minatur, interniciem
Gladiali sententia.

6. Tunc pius ille pontifex
Accersiens Laurentium,
Levitae fidelissimo
Commendavit ecclesiam.

7. Uterque consecuti sunt
Agonis sui bravium,
Ensis atque craticulae
Coronam dedit passio.

8. Jungamur ergo, socii,
Hymnum gerentes Domino,
Ut horum interventibus
Nostra purgentur crimina.

V 107b; P 118a. — Ferner: Hymn. ms. S. Jacobi in Pontida saec. 11. Cod. Vatican. 82. A. — Manuale ms. Vallis Travaglia saec. 11. Cod. Capit. Mediolanen. s. n. B. — Man. ms. Ecclesiae Cisnusculi saec. 12. Cod. Ambrosian. I 55. sup. C. — Hymn. ms. S. Georgii in Palatio saec. 13. Cod. Ambrosian. E 71b inf. D. — Man. ms. Mediolanense anni 1188. Cod. Ambrosian. A 189 inf. E. — Hymn. ms. Mediolanensis saec. 14. Cod. Berolinen. Ham. 544. F. — Vgl. Mone III, 564. M. —

2, 2 sequens martyria VP. — 2, 3 sq. und 3, 1 sq. fehlen VP. — 3, 3 artem artubus VP. — 4, 1 tyrannicus F. — 4, 2 rabidus F; rugiens M. — 4, 3 Adversus sanctos martyres VP. — 4, 4 Et vult senem perimere VP. — 5, 3 Minatur et perniciem VP. — Nach Str. 6 in VP:

Beati Sixti levita
Christi minister factus est,
Per caecos atque debiles
Totum thesaurum distrahens.

7, 1 Utrique F. — 7, 3 Extenso in craticula VP; et craticulae A; et craticula F. — 8, 1 Pangamus ergo VP. — 8, 2 canentes VP. — 8, 3 Ut horum sanctis precibus VP. — 8, 4 Nos purget a criminibus VP.

103. In sancti Laurentii.

1. Devota mente, socii,
Preces fundamus martyri,
Quo nobis coeli dominum
Poscat favere placidum.

2. Laurenti, martyr inclite,
Sacrato comptus sanguine,
Profanum spernens judicem,
Xystum secutus praesulem,

3. Cavernas atri carceris
Milleque poenas corporis
Ac minas trucis aucupis
Temnis, athleta nobilis.

4. Carpuntur sacra viscera,
Saeva persultant verbera,
Suspenditur craticula,
Subduntur et incendia.

5. Sed fortis Christi signifer
Talia perfert alacer
Interritusque funestum
Verbis lacessit Decium:

6. Quid furis, hostis impie,
Christumne putas vincere,
Qui suo pio militi
Tyrannum subdit saeculi?

7. Per poenas tui corporis
Perque squalorem carceris
Rogamus, martyr inclite,
Nobis misellis annue.

8. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laus sit amborum flamini
Per saecula laudabili.

V fol. 108a; P fol. 119b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod. Roman. 175, Farfen. 4. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43 C. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. D. — Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 420. E. — Hymn. ms. Capit. Veronen. 109. saec. 11. F. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. G. — Hymn. ms. Monasticus saec. 12. in. Cod. Capit. Vatican. D 156. H. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. J. — Vgl. Morel l. c. 262.

3, 2 Nullaeque poenas VP. — 6, 1 furit F. — 6, 2 Christum reputas vincere B. — 6, 3 pio fehlt B.

104. In Assumptione BMV.

1. Qui possit amplo famine praepotens
Digne fateri praemia virginis,
Per quam veternae sub laqueo necis
Orbi retento reddita vita est?

2. Haec virga Jesse, virgo puerpera,
Hortus superno germine consitus,
Signatus alto munere fons sacer
Mundum beavit viscere caelibi.

3. Hausto maligni primus ut occidit
Virus chelydri terrigenum parens,
Hinc lapsa pestis per genus irrepens
Cunctum profundo vulnere perculit.

4. Rerum misertus sed sator inscia
Cernens piacli viscera virginis
His ferre mortis crimine languido
Mandat salutis gaudia saeculo.

5. Missus ab astris Gabriel innubae
Aeterna portat nuntia virgini,
Verbo tumescit latior aethere
Alvus replentem saecula continens.

6. Intacta mater virgoque fit parens,
Orbis creator ortus in orbe est,
Hostis pavendi sceptra remota sunt,
Toto refulsit lux nova saeculo.

7. Sic virginalis vincula permanent,
Prodit pudoris dum thalamo potens,
Mansere clausae artius ut fores
Intrante Deo quas sera vinxerat.

8. Hoc signat aedis janua non patens,
Quam celsa vatis visio prodidit,
Soli tremendo pervia principi,
Mansura nempe clausa perenniter.

9. Sit trinitati gloria unicae,
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans quae Deus unus est
Per cuncta semper saecula saeculi.

V fol. 110b; P fol. 121b. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 420. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI G 31. C. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. D. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. E. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. F. — Hymn. ms. Monasticus saec. 12. in. Cod. Capit. Vatican. D 156. G. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. H. Das Lied findet sich bei Morel p. 111. nach Brev. ms. Farfense saec. 13. Cod. Vallicellan. C 93. M und unter Pauli Diaconi Carmina dubia bei Dümmler Poetae Latini aevi Carolini p. 84. sq. J.

1, 3 veterno M. — 2, 1 Hac virga M; virga puerpera VP. — 2, 2 conscitus M. — 2, 3 Signatus fehlt M. — 2, 4 viscera VPM. — 3, 1 Astu M. — 3, 2 Virus fehlt M. — 3, 4 venere percutit M. — 4, 3 inferre M. — 5, 1 Emissus astris BEF. — 5, 2 virginis VPM. — 5, 4 Alvus repente VPM; replente B. — 7, 2 Prodis F. — 7, 4 Intrante demum BEF; seras junxerat VP. — 8, 1 hedis VP; Edis M. — 8, 4 clausa prehenditur M. — 9, 3 qui Deus M. — 9, 4 saeculi fehlt M.

105. In Assumptione BMV.

1. Nunc tibi, virgo virginum,
Laudes ferimus carminum
Teque coeli dominam
Resultat haec plebecula.

2. Tu porta domus fulgida,
Egressionis inscia,
Tu virga fructu florida
Virgoque nato gravida.

3. Te nostra sonant carmina,
Te angelorum agmina,
Infernus tibi ululat,
Fretumque maris intonat.

4. Lacta, regina, parvulum,
Aeterni regis filium,
Lacta sacrato ubere,
Qui te concessit vivere.

5. Tu clara stirpe regia
Jureque mundi domina,
Desideratum omnibus
Tu protulisti gentibus.

6. O stella maris fulgida,
Absolve plebis crimina,
Fletus quoque supplicum
Immuta dando gaudium.

7. Laus patri invisibili,
Laus ejus almo flamini,
Lausque sit unigenito
Orbis terrarum Domino.

V fol. 111b; P fol. 122a. — Ferner Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. C. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. D. — Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 420. E. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. F. — Brev. ms. Casinense. saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. G. — Hymn. ms. Monasticus saec. 12. in Cod. Capit. Vaticani D 156. H. — Brev. ms. Farfense saec. 13. Cod. Vallicellan. C. 93. J. — Vgl. Stephenson l. c. p. 152.
2, 3 Et virga VDF; fructus P. — 2, 4 Virgaque D; nato gaudia P. — 3, 4 Fretuque P; fretumque matris D. — 6, 3 supplicantum D. — 6, 4 Minuta dando P; immutando da D; immunda dando G. — 7, 3 que fehlt D.

106. In Assumptione BMV.

1. Ad laudem sanctae Mariae,
Aeternae sacrae virginis,
Hymnum novum cum gloria
Laeti canamus Domino.

2. Quae pro salute saeculi
Et libertate populi
Jam mundi ab initio
Electa est a Domino.

3. Non est in mundo similis
Inventa sanctae virginis,
Quia per ipsam Dominus
Descendens liberavit nos.

4. Cum esset ancilla humilis,
Facta est mater Domini,
O quam beata virgo est,
Quae tantam meruit gratiam.

5. Tunc portabat in utero,
Qui matrem non corruperat,
Lactabat mater filium,
Quem agnoscebat Dominum.

6. De patre sine semine,
De matre sine conjuge
Deum de Deo genitum,
Patri aequalem filium.

7. Credant Judaei increduli,
Credant, qui nolunt credere,
Nos trinitatem credimus,
Venturum mundi judicem.

8. Venite, omnes populi,
Rogemus matrem Domini,
Ut ipsa nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

9. Gloria tibi, Domine.

V fol. 110a; P fol. 122b. — Ferner Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506 A. — Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod. Roman. 175 Farfen. 4. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. C. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E. 43. D. — Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 420. E. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 585. F. — Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. G. — cfr. Morel l. c. 112.

2, 3 Mundi et ab initio G. — 3, 2 sanctae Mariae virginis V. — 4, 1 esset ancilla Dei G. — 5, 1 Hunc portabat V. — 5, 2 Quem mater non corruperat G. — 5, 3 Lactabat fehlt G; matrem G. — Str. 5 und 6 umgestellt V. — 6, 1 sine conjuge G. — 6, 2 sine semine G.

107. In Assumptione BMV.

1. Maria, mater Domini,
Aeterni patris filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

2. Deum de Deo genitum
Tu genuisti filium,
Qui non habet initium,
Ex te sumpsit exordium.

3. Nam partum admirabilem
Semperque collaudabilem
Olim prophetae consonant,
Et facta sunt oracula.

4. Ave, Maria inclita,
Tu plena omni gratia,
Concipies per spiritum,
Tu genuisti filium.

5. Qui totum mundum condidit,
In te formatus exstitit,
Quem totus mundus non capit,.
In tuo ventre jacuit.

6. O admiranda trinitas
Et veneranda unitas,
Quae semper es laudabilis
Et tamen ineffabilis.

7. O virgo beatissima.
Per cuncta semper saecula,
Electa Dei genitrix
Et facta es per ordinem.

8. Per Gabriel archangelum
De coelo venit nuntius,
Angelus quidem de coelo
Pronuntians de filio.

9. Deus et homo nascitur,
Unus est Christus Dominus,
Jesus, redemptor omnium
Salvator atque gentium.

10. Qui nos de suo sanguine
Redempti sumus, omnibus
Ille pro nobis mortuus,
Et nos per ipsum vivimus.

11. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 112a; P fol. 123a. — Ferner: Brev. ms. S. Laurentii in Verano(?) saec. 11. Cod. Vatican. 7018. A. — In kürzerer Form bei Stephenson l. c. 109. S.

1, 2 filium P. — 2, 1 genitus VP. — 3, 1 Hunc partum S; admirabile A. — 3, 2 Te semper collaudabilem VP; semperque collaudabile A. — 3, 3 consonent P; consonet V; consono S. — 3, 4 Affati sunt oraculo S. — Str. 4 fehlt A. — 4, 2 plena Dei gratia V. — 5, 1 Qui totus mundus VP. — 5, 2 formatum A. — 5, 3 Qui totus mundus VP; Qui totum mundum A. — Str. 6 fehlt S. — 6, 3 Quem semper est A. — 7, 4 facta est V; statt dieser Strophe steht in A die folgende:

Maria de Judaea nata
A Domino est vocata,
Quando fuerat vocata,
A Joseph fuit desponsata.

8, 1 archangelus VP; Gabrielem A. — 8, 2 nuntium S. — 8, 3 Angelis VPA; qui de coelo VP; Electum Dei filium S. — 8, 4 Dei filio VP; Effatus est per ordinem S. — Str. 9 lautet in VP:

Benedicta erit
Et benedicta erit
Et benedicta erit
Inter omnes mulieres.

In S verläuft das Lied von hier an völlig abweichend. Str. 9 fehlt; statt ihrer folgen Str. 4 und 7, die oben fehlten und abweichend also lauten:

Ave, Maria inclita,
Tu plena Dei gratia,
Concipies per spiritum
Et generabis filium.

O virgo beatissima
Per cuncta semper saecula
Et tu miranda nimium
Et nunc et in perpetuum.

Hierauf folgt St. 5. — Str. 10 lautet in S:

Hunc nobis nasci profuit,
Amore (l: a morte?) nos eripuit,
Pro nobis ipse mortuus
Et nos per ipsum vivimus.

Das läfst fast eine Veränderung der unverstandenen Verse 10, 1 u. 2 vermuten, in denen VP und A wörtlich übereinstimmen. — 10, 3 est mortuus A; mortuum VP.

108. In sancti Cyriaci.

1. Hymnum canamus, socii,
Devota mente seduli
Festumque pii martyris
Odis canamus consonis.

2. Qui spreto mundi principe
Christi ditatus munere
Per sanguinis commercia
Aeterna tulit praemia.

3. Hunc laureati proceres
Rite sequuntur alacres,
Quos ille ductor praevius
Ad aethra duxit coelitus.

4. Nunc, Cyriace, inclite
Nos adjuva precamine,
Junctus catervae martyrum
Pro nobis ora Dominum.

5. Ut tuis fulti precibus
Vitemus omne facinus,
Mundi temnamus noxia,
Coeli sequamur gaudia.

6. Ne veniente Domino
Dierum in novissimo
In tartara cum reprobis
Voce damnemur judicis.

7. Laus trinitati debita,
Honor, potestas, gloria
Perenniter sit omnia
In saeculorum saecula.

V fol. 112 b; P fol. 123 b. — Ferner: Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. A. — Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. 524, als de sancto Fidele B. — Aus Cod. Rhenovien. 91. saec. 11. bei Morel l. c. 220. M. — 1, 3 Festum Fidelis martyris B. — 1, 4 colamus ABM. — 2, 2 ditatur A; dicatus. M. — 3, 1 Nunc laureati VPM, laureatum A; die ganze Strophe fehlt B. — 4, 1 Tunc Cyriace M; Martyr Fidelis inclite B. — 4, 3 sq. Tuisque sanctis precibus Deum fac nobis placidum B. — 5, 1 fulti meritis B. — 5, 2 Purgemur cunctis vitiis B. — 5, 3 vitemus noxia B. — 5, 4 sequamus P. — Str. 6 fehlt B, statt dessen:

Fidelis invictissime
Et palaestrita eximie,
Tua prece sanctissima
Nostra mundentur scelera.

7, 4 Per saeculorum B; statt dieser Doxologie hat A nur den Anfang: Laus sit parenti Domino.

109. In sancti Cyriaci.

1. Agonitheta nobilis
Cultorque summi numinis,
Adsiste votis supplicum
Te laudibus colentium.

2. Columna templi lactea,
Coelestis aulae vernula,
Levita clarus meritis
Prece faveto miseris.

3. Te, Cyriace, canimus
Festumque diem colimus
Et vota pie solvimus
Melosque laeti pangimus.

4. Tu laureatus sanguine
Coeli fulges in culmine,
Conjunctus choro martyrum,
Sanctissime christicolum.

5. Tu vires hostis impii,
Fretus virtute Domini,
Poenasque carnis superans
Polum petis tripudians.

6. Nunc adunatus angelis
Tuis faveto famulis,
Quo tecum coeli fulgida
Laeti sumamus praemia.

7. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
In saecula laudabili.

V fol. 113 a; P fol. 123 b. — Ferner: Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Vatican. 4928. A. — Brev. ms. Strumense saec. 11. Cod. Mediceo-Laurentian. Conv. sup. 524, als de sancto Fidele. B. — Aus Cod. Rhenovien. 91 saec. 11. bei Morel l. c. 220. M. — 2, 1 Columna coeli B. — 2, 2 sq. Aeterni regni vernula Comesque claris meritis B. — 3, 1 Te o Fidelis B. — 4, 2 Olympi fulges culmine B; fulgens in culmine V; refulges in culmine P. — 5, 1 Tu jure VP; impie VP; die ganze Strophe fehlt B; in A lautet sie:

Fultus virtute coelica
Hostis tempsisti pessima
Poenamque carnis supe. ns
Coelum petit [sic] tripudians.

6, 1 Et nunc cum sanctis angelis A. — 7, 3 Laus sit amborum M. — 7, 1 sqq. lauten in B:

Honor, virtus et jubilum,
Sit decus summum Domino,
Qui trinitate socia
Gubernat cuncta saecula.

110. In sancti Bartholomaei.

1. Ad laudem Christi procerum
Cunctorum fratrum concio
Suavi modulamine
Depromat actus pariter.

2. Postquam ad patris dexteram
Sua Christus potentia
Ascendit et discipulos
Sancto replevit spiritu,

3. Bartholomaeus inclitus
Praedicans Dei filium
Ingressus est in Indiam,
Faciens mirabilia.

4. Cujus vultus insignia
Virtutes et prodigia
Hostis Behir nequissimus
Suis narrat complicibus.

5. Apostolus tunc filiam
Cernens regis lunaticam,
Saluti verbo reddidit
Et idola comminuit.

6. Conversus rex ad Dominum
Statim et omnis populus,
Ablutus est Polymius
Sacro fonte cum omnibus.

7. Hinc castigatur ictibus
Ab Astrige nequissimo,
Nudatur cutis tegmine
Vivensque Deum confitens.

8. Sic in trophaeo fidei
Caelebs athleta permanens,
Abscisso ense vertice
Coelos triumphans petiit.

9. Cujus caterva precibus
Sacris fulta fidelium
Devicto hoste callido
Coeli fruatur gaudio.

10. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito,
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

V fol. 113b; P fol. 124 a. — Ferner: Brev. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Vatican. 7018. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. B. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. C. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. D.

4, 1 vultu V. — 4, 3 Beyr AC; Heirt P. — 7, 1 castigatus VP. — 7, 2 Abstrige nequissimo V; Astrige sub saevissimo AC. — 9, 4 fruitur VP. — 10, 1 Doxologie ergänzt nach No. 18.

111. In sancti Bartholomaei.

1. Gaudium mundi, Christe, lux sanctorum,
Coeli qui regna contulisti tuis,
Vota tuorum famulorum clemens
Suscipe semper.

2. Bartholomaei precibus placatus
Veniam nobis tribue culparum,
Hujus et vitae commoda dignanter
Nobis concede.

3. Hunc diem sacrum tuis ita cede
Digne famellis celebrare semper,
Quo post hanc vitam mereamur coeli
Scandere regna.

4. Athleta Dei, tuum qui devote
Celebrant festum, miseratus fove
Scelerum atque potestate magna
Vincla dissolve.

5. Judicis iram miseratus placa,
Pestem et morbos languoresque pelle,
Fidei, spei, caritatis nobis
Dona largire.

6. Gaudet jam terra tuo decorata
Lumine, coelum simul et resultat,
Gaudium nobis tribue jam, sancte
Bartholomaee.

7. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 114a; P fol. 124b. — Ferner: Brev. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Vatican. 7018. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. Urbin. 4928. C. — 3, 1 Hanc diem sacra VP; tu ita concede P; tuis ita concede V; tuis ita dona A. — 6, 2 resultet VP.

112. In Decollatione s. Johannis B.

1. Summum percurrit circulum
Dies in anno maximus,
Cursu peracto temporum
Jam nocte legis nascitur.

2. Adest propheta altissimi
Finem daturus vatibus,
Ostendit terrae verius
Omnipotentis filium.

3. Genus sacratum sanguinis,
Quem sera mater unicum
Cunctis creat mirantibus,
Vix hoc parenti credulum.

4. Sublimis affert angelus
Nomen Johannis inclitum,
Pater sacerdos illico,
Quod scripsit, ac locutus est.

5. Locustae victus et favi
Ac sola fontis pocula
Alent beatum martyrem,
Sancto repletum spiritu.

6. Sublata gens mortalium
Vetusta punit crimina,
Suis lavacris insuper
Salvator ipse tingitur.

7. Tacere nescit regibus
Damnans tyranni nuptias,
Carcerem liber ingreditur
Poena neque comprimitur.

8. Caput recisum in carcere
Disco perfertur regio,
Sic clarae mortis gloria
Vivit per omne saeculum.

V fol. 114b; P. fol. 125a. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolitan. VI G 29. A.

1, 1 percurrit oraculum VP. — 1, 2 maximo P. — 1, 3 Cursus peracto P: Currus superato V. — 1, 4 note legis P. — 2, 1 altissimus P. — 2, 2 Fidem VPA, daturam VP. — 2, 4 Dei potenti A. — 3, 4 parentis credulo A. — 4, 4 ac fehlt A. — 5, 1 Locusta A. — 5, 3 Alent VPA; lies alunt? — 7, 1 Tacere nes conregibus A. — 7, 2 tyrannis A. — 7, 3 Vox justi semper libera A. — 7, 4 Nec poena virum comprimit A. — 8, 4 Vivit perhenne saeculum A.

113. In s. Euphemiae.

1. Euphemiae celebris recolamus virginis almae
Orgia sacra simul, Eufemiae celebris.

2. Haec thalamum reprimens lubricum tenensque lenones,
Nactabatur ovans ast hinc haec thalamum.

3. Laeta ferens reboat superis permixta choreas,
Ima quod osa tulit, sponsa leta ferens.

4. Cujus in amplexu veteris repiantur piacla
Matris, et alma manet cujus in amplexu.

5. Tartarei laniando gravi quam forte ministri
Nec poterant poena vincere tartarei.

6. Dira flagella subit, laetans persistit ad omne,
Pro supero sponso dira flagella subit.

7. Cui sociata super celsi gratulantur Olympi,
Saecla per ampla fore cui sociata super.

8. Gaudia magna tenes, Euphemia, virgo corusca,
En quia probra teris, gaudia magna tenes.

9. Coetus in arce poli sociam te diligit almus,
Ac honorare cupit coetus in arce poli.

10. Laeta tuis meritis frueris jam munere vitae,
Compta per omne decus, laeta tuis meritis.

11. Christus enim Dominus sponsae tibi praemia reddit
Ornatusque decus, Christus enim Dominus.

12. Unde manent per saecla tui nam gaudia longa,
Virgo beata, satis felix, unde manent.

13. Nunc, veneranda, tibi praesto sit nostra camoena,
Apta simul laude nunc, veneranda, tibi.

14. Et meritis quondam relevati pondere sub te
Peccaminis multi laetemur et meritis.

15. Virgo beata Dei, pro te venerantibus ora,
Quatenus his parcat, virgo beata Dei.

16. Gloria magna Deo toto reboemus in orbe,
Trino atque uno gloria magna Deo.

V fol. 115a; fehlt in P. — 2, 1 teresque. — 3, 2 lecta ferens. — 4, 2 amplexum. — 6, 1 omnem. — 6, 2 supera. — 7, 1 Qui sociata. — 10, 1 frueris tam. — 11, 1 Spiritus enim Dominus. — 12, 2 unde manent per saecla, des Guten zuviel. — 13, 1 praesta. — 14, 1 pondere subde. — 14, 2 et meritis quondam. — 15, 1 beata Domini. — 15, 2 beata Domini.

114. In sancti Mauritii.

1. Adest dies praefulgida
Coruscans tot prodigiis,
Qua sacer sanguis funditur
Mauritii cum sociis.

2. Mauritius ac Candidus,
Victor et Exsuperius
Militantes imperio
Clam serviebant Domino.

3. Maximianus idolis
Servitor nefandissimus
Persequebatur milites
Regis invicti fortiter.

4. Sic aderat Mauritius
Intrepidus et Candidus,
Mentes gestantes validas
Verba dabant qui talia:

5. Imperator, milites tui
Sumus sed Christi servuli,
Quid cogis Jesum linquere,
Quos emit suo sanguine?

6. A te nunc temporalia
Accipimus stipendia,
Ab ipso regnum principe,
Vitam sine periculo.

7. Maximianus audiens
Haec furore repletus est,
Jugulari praeceperat,
Qui Christum non negaverant.

8. Mauritius cum Candido,
Victor cum Exsuperio
Intelligentes talia
Arma jactarunt bellica.

9. Cum suis statim omnibus
Capite flexo venerant
Boantes in altissimis:
Rex noster Jesus Christus est.

10. Incidi cunctis capita
Maximianus jusserat,
Qui Christum regem clarius
Se colere professi sunt.

11. Atque ipsorum corpora
Lympha mergi praeceperat,
Ne Christiani tollerent,
Martyres sibi facerent.

12. Ut sensit statim Rhodanus,
Se mixtum sacro sanguine,
Retro subtraxit undulas,
Terrae reddit cadavera.

13. Gaude, felix Burgundia,
Magno honore praedita,
Quae meruisti capere
Tantorum sacrum sanguinem.

14. O signifer, Mauritie,
Altitotantis maxime,
Te deprecamur supplices,
Placatus ut nos adjuves.

15. Ora tuis cum sociis
Jesum tremendum judicem,
Dimittat ut peccamina
Superna donans gaudia.

16. Laus sit parenti Domino,
Laus ejus almo filio,
Laus sit amborum flamini
Per tempora laudabili.

V fol. 103a; P fol. 126a. — 5, 2 sed fehlt P; servuli Christi V. — 5, 4 emisit P. — 7, 1 haec audiens P. — 7, 2 Hoc furore P. — 9, 2 Capite plexo VP. — 10, 1 Indici V. — 11, 3 tollere P. — 12, 1 Et sensit P. — 13, 4 sacro sanguine P. — 16, 1 Laus sit nati Domino VP.

115. In ss. Cosmae et Damiani.

1. Conditor cosmi omniumque salus,
Decus sanctorum, martyrum corona,
Bona qui praestas trinus unus, bonus
Rex saeculorum.

2. Opifex verus, lance in utraque
Trutinans juste, ponderans aequale,
Dividens cunctis, satians utraque,
Spiritus almus.

3. Solve, precamur, loris, quas meremur,
Precibus fulti sancti tui, Deus,
Inter quos isti uterini fratres,
Euge, beati

4. Milites Christi, feroces victores,
Ex una parens Egeaque poli,
Traditi arte medicina docti
Mox et beatis.

5. Alitis, inquit, sicuti canales,
Ut Christi normam gratis semper date,
Ut accepistis, minime negate,
Ut isti fratres.

6. Sontis in ira Lysia commotus
Tribunus jussit praesentari sanctos,
Cosmas exorsus verberari justus
Et Damianus.

7. Dicite, clari adelphi germani,
Ortus concretus nobili cruore,
Poplite supplex genua devote
Reddite Jovi.

8. Alacri vultu, agiles in voce
Inquiunt ambo: tibi sit nunc notum,
Thura, quae quaeris, deo nunquam damus,
Sed soli Jesu.

9. Machinam simul qui verbo formavit
Mundique rura, aequora rotavit,
Quadrupes coetus volatile formavit,
Regnat in astris.

10. Illico praesul furia refertus
Jussit in antris mancipari sanctos,
Marinos amnis absorbere fluctus,
Miro reversi.

11. Angelus inter remigans alarum
Labium vehit aequoris festinus,
Illic ministros reperit illaesos,
Divo patrante.

12. Nutu herili qui vehit in oras,
Martyres suos duxit in agone,
Mucro peremptos proprio cruore
Serta decore.

13. Vitam vitarum consequentes novam,
In qua cum Christo perfruuntur bona,
Quem expiati maneamus una
Ipso petente.

14. Ponite nobis clipeum salutis,
Unde hostilis ictibusque tuti
Sic maneanus, illuc veniamus,
Ad quae venistis.

15. Praesta, beata trinitas superna,
In unitate regisque gubernas
Saecula cuncta, nova ac veterna,
Futura regna.

V fol. 116a; P fol. 127a. — 1, 1 cosmis V. — 1, 2 coronas VP. — 2, 1 Opifex vero lances V. — 2, 2 aequales V. — 3, 1 quam VP. — 3, 2 fultis V. — 3, 4 beatis VP. — 4, 2 Ex una VP, l: est una? eneamque polim V, etneamque poli P; vgl. Acta SS. Sept. VII, 444. — 5, 1 Alitis V; aliti P; inquid VP; carnales VP. — 5, 4 istis V. — 6, 3 justos VP. — 8, 1 agilis V. — 8, 2 nota VP. — 8, 3 Thura quam quaeris VP. — 9, 1 Machina VP. — 9, 3 Quadruples coetus V; der Vers leidet an einer Silbe Überschufs — 9, 4 in axis VP. — 10, 1 refartus VP. — 10, 3 Marinus. — 11, 1 Angelis VP; lies remiges? — 11, 3 Illuc V. — 11, 4 Divo patrantem VP. — 12, 1 Nutu herilis VP; vehit in ore VP. — 12, 3 Murcero perempto VP. — 13, 1 Vita vitarum consequentes nova VP. — 13, 2 Über frui mit dem vierten Fall cfr. Analecta VII, 13 sub 5. — 13, 3 Quem scheint von una abhängen zu sollen. — 13, 4 Ipsi petenti VP. — 14, 1 Punite VP; clipeo VP. — 14, 2 hostilis hic ubique tuti V. — 14, 4 Ad quem P. — 15, 2 guberna. — Es ist wohl überflüssig beizufügen, dafs die Abfassung des Hymnus kaum weniger barbarisch ist als seine Überlieferung. So wie er vorliegt, ist es unmöglich abzumessen, welche Eigentümlichkeiten wir dem Verfasser, welche dem Kopisten zu danken haben.

116. In ss. Cosmae et Damiani.

1. Solemne tempus vertitur,
Quod martyr devotissimus
Carnis deponunt sarcina,
Ovans transcendunt aethera.

2. Cosmas privignus oritur,
Damianus pedissequus,
Alvo uno nobilior
Parentis artus creditur.

3. Mox ebonisque artibus
Brutis, viris levamine
Resospitant labentium
Munuscula potentium,

4. Et indigenti munera
Locupletari abdicant,
Obstinatur a muliercula
Cogit nummis excipians.

5. Ex quo mors peragitur
Lysiae nefandissimus,
Aura flante per aurium
Syolus reddit praesidem.

6. Turbo proconsul insiit,
Thurificare compulit,
Quae renuente illico
Retruditur ergastulo.

7. Rogi uruntur martyres
Seminecem per latere
Et undique vallantibus
Rogus perunxit plurimos.

8. Nam virtus inter plurimas
Cameli laesi sospitant,
Quem laesum habent daemonum,
Ad laudes venit Domini.

9. Quem post sanctorum obitum
In ore virorum loquitur,
Quem fit portentas depulsa,
Uno humantur cespite.

10. Hii signo dati jaculae
Dictati sunt a vulnere,
Rubra secatur romphea,
Christi necantur martyres.

11. Flavit per aethra spiritum
Titan receptos coelitus,
In qua cum Deo gaudeunt,
Dum mundus iste volvitur.

12. Thimoismum diruitur,
Credendus est novissimus,
Hic laureati possident
Meritis tot munere.

13. Nos quoque dignis petimus
Vestris sentire precibus,
Ut ad superna patria
Una nobiscum maneant.

14. Praesta, pater, per filium,
Praesta per almum spiritum,
Qui trinus in vocabulis,
Unus Deus cognomine.

V fol. 117b; P 128a. — Dieser Text ist wenn möglich noch schlimmer in Stand als der vorhergehende. Da eine Emendierung nicht durchführbar, begnüge ich mich mit diplomatischer Wiedergabe des Überlieferten und notiere nur die Abweichungen zwischen V und P. — 2, 3 Alvus V. — 4, 3 Abstinatur a mulier V. — 4, 4 Cogit nimis V. — 11, 2 Tutam receptos V. — 11, 3 Deo gaudent V. — 12, 1 Thimoysmum V. — 12, 3 possidunt P.

117. In ss. Placidi et Sigiberti.

1. Pangendo coeli reboemus odas,
Almum promamus Domini trophaeum,
Praeducem sanctum celebremus hymno
Cordis ab imo.

2. Milites sancti, meritis micantes,
Placidus martyr milesque Sigbertus
Socii corona pariter migrando
Sidera supra.

3. Avete, fausti domini superni,
Morte devicta superorum arma
Hostis antiqui trucis atque cosmi
Carnis agone.

4. Nunc, coronati fidei fervore,
Vos decus, virtus sequiturque stemma,
Esse coelesti meruistis agni
Sanguine loti,

5. Qui pius mundi Deus ac redemptor,
Martyr et miles, radians herili
Rore robusto, roseo salutis
Schemate servi.

6. Quem timens atrox Erebi vorago,
Daemonum princeps metuit rebellis,
Zabulus taeter, sceleris repertor,
Mortis origo.

7. Hymniger psallit chorus hicque vobis
Concinens nablo sonitus honorat,
Cantibus sanctis trophimis videmus,
Pangimus melos.

8. Inde vos saecli pretium sequentes,
Quaesumus, nobis meritis favete,
Hostis ut vestris nequeat nocere
Civibus istis.

9. Vos crucis Christi socios rogate,
Qui deitatis comitantur aulam,
Inter coelorum mereamur urbem
Septa subire.

10. Doxa sit patri genitoque Jesu,
Pneumati sancto simul et potestas,
Sit tibi trino deitate soli
Compar in aevum.

V fol. 118a; fehlt P. — 1, 1 roboeamus. — 1, 3 hymnum. — 1, 4 Cordis cobimo. — 2, 2 Sigibertus. — 4, 1 fidei favore. — 4, 2 Nox decus, Verwechslung von n und u? — 4, 2 stegma. — 6, 1 cremi vorago. — 7, 2 honoro. — 7, 3 lies tropicis? videmus unverständlich. — 8, 3 Nos hos ut vestris neque ad nocere; oder sollte Nos hos aus *νόσος* entstanden sein? — 9, 4 Sceptra subire.

118. In ss. Placidi et Sigiberti.

1. Aeterne, Jesu, dominator alme,
Plasmatis trini conditor — — —
Placidi testis reboamus festum,
Suscipe laudes.

2. Cum pia fide sanctae trinitatis
Esset succensus Christi agonista,
Visibus totis Domino servivit
Omnibus horis.

3. Invidus hostis dracoque nocivus,
Dei lucernam invidens splendere,
Callide nimis studuit fuscare
Faucibus atris.

4. Cujus instinctu rabidus tyrannus,
Perfurens victor, Domini cultores
Atque fideles straverat ubique
Ense cruento.

5. Quibus adjungens Placidum fidelem,
Martyrem Christi, spoliatum ejus
Omnibus bonis — — — subtractis
Decapitavit.

6. O venerande martyr et beate,
Placide, Deo supplica pro nobis,
Quod tibi corde puro serviamus
Tempore vitae.

7. Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat per omnem
Gloria mundum.

V fol. 119a; fehlt P. — 1, 2 trinis; ergänze: conditor et rector? — 2, 1 fides. — 4, 2 lies: lictor? — 5, 3 erg. pariter? — 6, 1 veneranda. — 7, 2 sqq. ergänzt.

119. In sancti Justi Martyris.

1. Adest sacra festivitas,
In qua tulit discrimina
Justus namque coelicola
Propter superna praemia.

2. Fervebat ultrix sanctio
Nequissimorum principum,
Mutis sacellis sordidas
Cogunt cremare victimas.

3. Praenestinis in finibus
Martyr refulsit inclitus,
A flore pueritiae
Justus nomine et opere.

4. Magnatius tunc impius
Famam salutis audiens
Taetro retrusit carcere
Nervis attritum martyrem.

5. Sistens athleta fortiter,
Minas tyranni respuens,
Almis canebat vocibus
Grates perenni judici.

6. Mutans dedit sententiam
Demens dehinc Magnatius,
Ridens jussit sub pondere
Colla sacrata premere.

7. Nam lineo sub stamine
Massa revinctus plumbea
Restrinxit almos humeros,
Mersit profunda fluminis.

8. Cujus sacrum corpusculum
Aequor reddidit litori,
Sebastianus presbyter
— — sepulchro tradidit.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 119b; fehlt P. — 2, 4 Cogent. — 3, 1 Praegestinis. — 8, 4 Ergänze: illud, corpus, sanctum oder Ähnliches.

120. In Festo Omnium Sanctorum.

1. Christe, qui virtus sator et vocaris,
Cujus ornatur pietate, quidquid
Vel statu claret vel honore pollet,
Suscipe laudes.

2. Ecce solemnis diei voluptas,
Plena sanctorum meritis tuorum,
Corde devotam sociando turbam
Personet hymnos.

3. Haec dies Christi genitricis almae
Laude sacratur, pariter precamur,
Ejus obtentu veniam petenti
Da, pie, plebi.

4. Haec dies festum colit angelorum,
Ut tuam semper faciem videntes
Semper in nostro vigilent favore
Te miserante.

5. Et choros ducit sub apostolorum
Turba praeclaro nitidos honore,
Per preces quorum meat et loquelas
Tuta per hostes.

6. Martyres festis veneramur aptis,
Vota confessor capit omnis ista,
Virgines sanctas monachosque claros
Laude sonamus.

7. Omnis hoc dignam patriarcha partem
Doctor et vates habet et sacerdos,
Gaudio quorum numerum superna
Scriptio servat.

8. Omnium sane pariter tuorum
Festa sanctorum colimus, precantes,
Hos, tibi qui jam meruere jungi,
Nostra tueri.

9. Ut quibus vitae stadium magistris
Curritur, horum precibus beatis
Fulgido coeli gremio locemur
Perpete vita.

10. Gloriam sanctae pia trinitati
Turba persultet, canat et revolvat,
Quae manens regnat Deus unus omni
Tempore saecli.

V fol. 120a.; P 129a. — Ferner: Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928 A. — Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. C. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. E. — Aus Cod. Rhenovien. 111. saec. 10. bei Daniel IV. p. 137 sq. D. — Aus einem in Stuttgart vorhandenen Brevier saec. 11. bei Mone III. p. 12. sq. M. —

1, 2 ornatus VP. — 2, 1 voluntas VP. — 3, 2 laudes VP. — 3, 4 piae irrtümlich D. — 4, 1 chorus VP. — 5, 2 turba praeclara A. — 5, 3 loquela VDM. — 6, 4 Laude sonantes A. — 7, 1 digna D. — 7, 3 numero D. — 9, 1 E quibus V; et quibus D; ministris D. — 9, 3 gremio laetemur A. — 10, 1 Gloria VP; pie VP; piae D. — 10, 3 regnans V.

121. In Festo Omnium Sanctorum.

1. Alma cunctorum celebremus omnes
Festa sanctorum, modo qui micantes
Aetheris regno sine fine gaudent
Gaudio magno.

2. Prolis aeterni genitrix, Maria,
Unicum mundi decus et honestas,
Splendet insignis solio nitenti,
Inclita virgo.

3. Flammeo vultu chorus angelorum
Multiplex fulget, tibi conditori
Saepius dulces modulatur hymnos
Voce perenni.

4. Cum suis Petrus sociisque Paulus,
Regis immensi proceres, triumphant
Atque festivas chlamydes amicti
Stemmate vernant.

5. Hic patriarchas, fidei columnas,
Providos vates, Domini lucernas,
Laureo comptos libet eminentes
Cernere patres.

6. Martyrum coetus ibi gloriantes
Ornat omnino diadema fulgens,
Quisque confessor retinet coronam
Victor opimam.

7. Virginum florent nitidae catervae,
Serta gerentes resonant choreas,
Nempe justorum meritis beata
Agmina pollent.

8. Qui redemptori pariter ferentes
Debitas grates sine labe cuncti
Mente jucunda variis frequentant
Vocibus odas.

9. O Deus clemens, pietatis auctor,
Rite culparum maculis abluti
His in aeterna sociemur arce
Omne per aevum.

10. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 120b; P fol. 129b. — Ferner: Brev. ms. S. Laurentii in Verano (?) saec. 11. Cod. Vatican. 7018. A. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171 B. — 1, 2 qui modo B. — 1, 3 Aetheri B. — 2, 2 decus et potestas AB. — 3, 2 fulgent P. — 3, 3 Se pius B; dulce A; modulantur P. — 5, 3 Laureis B. — 6, 1 sibi gloriantes B. — 6, 3 retinens VP. — 7, 1 flores VP. — 7, 2 Serta gestantes B. — 7, 3 beatos VP, beatis A. — 7, 4 Agminis A; pollet B. — 8, 1 Cui redemptori A. — 8, 2 sine lave B. — 8, 4 Carminis odas B. — 9, 1 Tu Deus clemens A. — 10, 1 Gloria patri B. — 10, 2 Ejus et nato jubilemus apte B.

122. De sancto Martino.

1. Christe, rex noster, via, lux salusque,
Qui piis dignam tribuis coronam,
Da tuum vatem famulis sonora
Pangere laude.

2. Tu scelus mundi tenebrasque pellens,
Insuper largo cumulans decore,
Largiens clemens pietatis usu
Lumina clara.

3. E quibus magnis radiis micantem
Rite Martinum veneramur almum,
Urbs dedit nobis decus hoc perenne
Pannoniorum.

4. Qui sacris necdum renovatus undis
Jamque laudari Domini meretur
Voce, dum partem clamydis rigenti
Praebet egeno.

5. Cujus effari modulante plectro
Facta vix unquam luculenta possunt
Cuncta, quae magno superi patravit
Munere regis.

6. Barbaram paci rabiem subegit,
Vinctos exemit laqueis latronum,
Plectitur flagris fidei relator
Dulcis amaris.

7. Casibus, verbis, studio sagaci
Traxit ad Christum tenebris retentos,
Ter potens functis gelidae resolvit
Vincula mortis.

8. Omnium tristes removens querelas,
Omnium fessos recreabat artus,
Omnis et sensit veniens medelam
Sexus et aetas.

9. Saepe devictus coluber vetustus
Jus suum liquit pavitansque cessit,
Quaslibet fallax agitaret artes
Mille nocendi.

10. O virum sanctum nimis et beatum,
Aetheris cui nimio nitore
Visibus carnis licuit micantes
Cernere cives.

11. Duxit ad vitam patriam sequaces
Praesulum norma speculumque fulgens,
Astra conscendens fruitur perenni
Lumine patris.

12. Solve nunc amplis meritis, precamur,
Criminum nexu, bone dux, revinctos,
Quo tibi lucis sociemur arce
Semper in aevum.

13. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

V fol. 122b; P fol. 132a. — Ferner: Cod. Bruxellen. 8860—67 saec. 10. in. A. — Brev. ms. S. Martini Turonen. saec. 14. Cod. Turonen. 149. B. — Brev. ms. S. Martini saec. 15. Cod. Turonen. 150. C. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani prope Turones saec. 15. Cod. Turonen. 152. D. — Bei Mone III, 433 aus Cod. Treviren. 1418, den er ins 8. Jahrh. versetzt. M. — 1, 1 Christus A — 1, 3 sonoram V. — 1, 4 laudem V. — 2, 2 cumulas C; decorem VPBC. — 3, 1 Ex quibus C; veneremur VP. — 3, 4 Pannoniarum BC. — 4, 2 Dominum A. — 4, 3 dum patrem A; parte V. — 5, 3 magno sacri penetravit B. — 5, 4 regum B. — 6, 2 Vinctus VPA; latronem VP. — 6, 4 Dulcis amator A. — 7, 1 Cassibus A; verbi V. — 7, 2 tenebras A. — 8, 1 tristis V. — 8, 3 ut sensit V; et cessit M. — 9, 1 coluber versutus A. — 9, 3 agitare V. — 10, 2 cujus M. — 10, 3 micantem A. — Str. 11 und 12 fehlen M. — 12, 2 nexus V.

123. De sanctissima Trinitate.

1. O veneranda trinitas laudanda,
Valde benigna gloriaque digna,
Nostras exaudi preces, quibus tibi
Canimus hymnum.

2. Te invocamus atque adoramus
Teque laudamus, trinitas beata,
Tu nobis dona scelerum cunctorum
Remissionem.

3. Ut valeamus mentibus devotis
Agere dignas tibi quoque laudes
Die ac nocte, horis et momentis
Semper dicentes:

4. Gloria ingens sine fine manens
Sit trinitati, summae deitati,
Cuncta per saecla, voce simul una
Cuncti dicamus: [Amen].

V fol. 125b; P fol. 134a. — Ferner: Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 277. saec. 11. A. — Orat. ms. Tegrinsense saec. 12. Clm. Monacen. 2000. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. C. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. D. — Brev. ms. S Dominici in Silos saec. 15. Cod. Parisien. Nouv. acq. 2190. E. — Hymn. ms. Hermetisvillanus anni 1553. Cod. Griesen. 23. F. — Aus Cod. Rhenovien. 82 saec. 11. bei Morel p. 3. M. — 1, 3 tibi preces quibus M. — 2, 1 te adoramus F. — 2, 2 Atque laudamus F. — 3, 1 Si valeamus. — 3, 2 dignas trinitati laudes F. — 3, 3 horis ac momentis EF.

124. In sanctae Caeciliae.

1. Ad Christi laudem virginis
Et martyris Caeciliae
Suavi modulamine
Hymnum canamus pariter.

2. Quae ineptas divitias,
Contempsit ut quisquilia
Et famine aequissimo
Ostendit Dei filium.

3. A nuptiali thalamo
Sponsi convertit animum,
Ut intactis corporibus
Christo servirent Domino.

4. Qui post beatum lavacrum
A funesto Almachio
Sauciatus occiditur,
Adiit astra spiritus.

5. Post haec virgo ab impio
Praefecto comprehenditur,
Sed stetit imperterrita
Prolem tonantis praedicans.

6. Cujus sacris alloquiis
Quater centeni populi
Renati sunt baptismate
Ab Urbano antistite.

7. Hinc flammis balnealibus
Ad concremandum traditur,
Sed rore sancti spiritus
Hostilis rogus vincitur,

8. Ubi lanista pestifer
Tertio sanctam feriit,
Mucronis ictu occiditur
Sic aulam poli petiit.

9. Nos ergo tuis, quaesumus,
Tuere, virgo, precibus,
Ut consequamur veniam
Tua colentes merita.

10. Deo patri sit gloria,
Sit laus et unigenito
Sancto simul paraclito
In saeculorum saecula.

V fol. 125b; P fol. 134 a. — Ferner: Hymn. ms. Casinensis saec. 10. Cod. Casinen. 506 A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Hymn. ms. Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolit. VI G 31. C. — Brev. ms. Casinense saec. 11. Cod. Vatican. Urbin 585. D. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Vatican. 4928. E. — Brev. ms. Casinense saec. 13. Cod. Casinen. 419. F. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. G. — Aus Cod. Rhenovien. 91. saec. 11. bei Morel p. 214. M. —

1, 1 Ad laudem Christi virginis M. — 2, 2 velut quisquilia VP; velut stercora D. — 2, 3 Et feminae aequissimum M. — 2, 4 filio P. — 3, 1 Ad nuptiali P; In nuptiali DM. — 3, 2 animo P. — 3, 4 servarent M. — 4, 3 Sociato P; sauciato V; sauciata M. — 6, 1 Hujus M. — 8, 1 Ibi lanista V. — 8, 2 Sanctam percussit tertio DE. — 10, 1 Doxologie ergänzt.

125. In Dedicatione s. Salvatoris.

1. Jesu, salvator saeculi,
Verbum patris altissimi,
Placare votis supplicum
Te laudibus colentium.

2. Qui sustinens opprobria,
Fel, sputa, vincla, verbera
Mortemque nobis perpetim
Vitae parasti gloriam.

3. Largire nobis prospera
Hujus diei solemnia
Gratesque da persolvere
Magnae tuae clementiae,

4. Ut ore tibi consono
Et corde devotissimo
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

5. Te cum patre piissimo
Sancto simulque spiritu
Inferna, terra, maria
Tremant, adorent, concinant.

6. Laus sit tonanti Domino,
Doxa sit tibi filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

P fol. 131a; fehlt V. — 4, 1 Et ore. — 5, 4 adorant.

126. In sancti Clementis.

1. Martyris Christi veneranda festa
Laudibus dignis celebremus omnes,
Qui sacris ejus meritis juvemur
Tempus in omne.

2. Hic Petri Clemens, placidi magistri,
Dicta sectando pius et benignus
Illius sedem meruit sacratam
Scandere trinus.

3. Gratiam Christi Domini docendo
Plurimos sanctus pater infideles
Ad viam lucis patriamque vitae
Duxit opimus.

4. Exsul effectus, celebrande martyr,
Largius dulces latices ligatis
Indice Christo tribuens levasti
Corpora fessa.

5. Nam Dei legem nimium tenendo
Atque calcando rabiem tyranni
Fluctibus mersus polici subisti
Celsa beatus.

6. Cujus ad corpus lacrimosa mater
Dum suam caram sobolem reliquit,
Laeta post annum veniens recepit
Optime sanam.

7. O Dei martyr, venerande Clemens,
Poscimus, Christum Dominum precare,
Quo malis pulsis capiamus omnes
Gaudia vitae.

8. Gloriam patri resonemus omnes
Ejus et nato jubilemus apte,
Cum quibus regnat simul et creator
Spiritus almus.

P fol. 134b; fehlt V. — Ferner: Hymn. ms. Neapolitanus saec. 13. Cod. Neapolit. VI G 29. A. — 1, 1 Martyris magni A. — 1, 3 Quos sacris A; meritis vivemus P. — 2, 3 sacrata P. — 3, 2 Plurime P. — 3, 4 opimi P. — 4, 4 Corpore festa PA. — 5, 1 Jam Dei P. — 5, 3 poplice subisti P.

127. In sancti Clementis.

1. Clementis festum celebratur hodie,
Venite, plebes, et mirate principem,
Adseclam Petri, Domini apostoli,
Romanae sedis tertium antistitem,
Quem sibi Christus consecravit martyrem.

2. Hic habitando in urbe Romulea
Adnuntiando Jesum Christum Dominum
Inluminavit Theodoram et Sisinnium,
Dum visum Petrum in sopore prospicit,
Sicque Clemente baptizatus credidit.

3. Hic praedicando Christi evangelium
Et convocando catervas fidelium
Trajani jussu ductus ad exsilium
Trans Pontum mare in praeruptum eremum,
Ibi peregit insigne miraculum.

4. Aquarum venas ex abysso eduxerat
Et satiavit sitientes incolas,
Qui per metalla excudebant marmora
Et aestuabant sitientes valida
Pro Christi nomen portantes supplicia.

5. Ob hoc crescente aemula invidia
Profundo maris mergitur cum ancora,
Ibi humatur sepulchrali camera,
Hinc adreceptus, adstat nunc ecclesia,
Ubi fideles confluunt per saecula.

6. Qui cursu anni tectus aqua valida
Alto in mari subtus undas latitat,
Cujus recurrens annua festivitas
Recedens mare ad tria miliaria
Per septem dies vias praebet fulgidas.

7. Tui sequaces approbati saeculum
Discamus omnes moribus contemnere,
Iram domare, fluxa carnis spernere,
Nulla tenacis blandimenta corporis,
Usu polorum perfruamur gaudiis.

8. Ipsum rogemus verbum patris unicum
Et obsecremus almum sanctum spiritum,
Ut mundi procul auferat jactantiam,
Virtutum nobis donet abundantiam,
Per quod aeterne evadamus tartara.

9. Gloria Deo per immensa saecula,
Sit tibi, nate, decus et imperium,
Honor, potestas sanctoque spiritui,
Sit trinitati salus individuae
Per infinita saeculorum saecula.

V fol. 126a; P fol. 135a. — Aus ersterem bei Ozanam und Migne l. c. 822; vgl. Migne PP. LL. 86 p. 1256 sq. M. — 1, 2 et miramini compotes M. — 1, 5 Christus sibi M. — 2, 2 Jesum fehlt M. — 2, 3 Theodora V; Theodore M. — 2, 4 soporem M. — 2. 5 Sic a Clemente M. — 3, 2 fehlt VP. — 3, 3 duci VP, ducitur M. — 4, 1 eduxit M. — 4, 2 sitientes infulas VP. — 4, 4 Exaestuavit VP; tabe et siti valida M. — 4, 5 Christi nomine M, aber gegen das sonst eingehaltene Versmafs, weshalb es als Korrektur von pro nomen erscheint. — Vor Strophe 5 schiebt M drei weitere Strophen ein. — 5, 2 mari M. — 5, 3 Ibi limatur VP. — 5, 4 In quae receptus exstat nunc M. — 5, 5 fidelis congruunt VP. — 6, 1 cursus VP. — 6, 2 mari mergi undas lagitat V; mergi unda flagitat P. — 6, 4 ad tria milia V, ad tria permilia P; feretria miliaria M. — 6, 5 viam praebet fulgidas VP. — Str. 7 fehlt M; statt dessen stehen daselbst 3 Strophen, die VP fremd sind. — 7, 1 approbatis V. — 7, 4 brandimento V. — 8, 3 jactantia VP. — 8, 4 abundantia VP. — 8. 5 Perquo P, per quem aeternam habeamus gloriam M. — 9, 1 sqq. Andere Doxologie M. — 9, 4 individua VP.

128. In sanctae Felicitatis.

1. Pio feramus pectore
Grates Deo perenniter,
Qui perfidum per unicum
Hostem peremit filium.

2. Claro namque de germine
Matrona stetit nobilis,
Septem simul cum filiis
Christum fatetur vocibus.

3. Exarsit ira protinus
Audita fama feminae,
Grassatur erga martyres
Antonini saevitia.

4. Stetit virago fortiter,
Decreta spernit Publii,
Natos adhortans proprios
Servire regi altithrono.

5. Jussu tyranni juvenes
Pulchri deinde duriter
Per multa torti verbera,
Diis ut litent munera.

6. Forti resistunt pectore
Fratres superbo principi,
Aris fatentur sordidis
Nunquam cremare victimas.

7. Iratus ultor fustibus
Dilaniare martyres
Praecepit atque sic sancta
Ferro secari viscera.

8. Felix sacra Felicitas
Horrenda per supplicia
Septem simul cum liberis
Coelo remisit spiritum.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 127a; P fol. 135b. — 3, 3 Crassatus VP. — 4, 1 virgo VP. — 5, 1 juvenis VP.

129. In sancti Andreae.

1. Nobis ecce dies ordine congruo
Venit nunc celebris, clarus, amabilis,
Quo victor super alta
Scandit prospere sidera.

2. Andreas, Domini sanctus apostolus
Germanusque Petri, principis incliti,
Princeps ipse virilis
Consors martyrio fuit.

3. Piscator fuerat Petrus et Andreas,
Post ambo rapiunt orbis et agmina,
Vastant aequora mundi
Adque regna trahunt poli.

4. Cum Christum comites gressibus et pares
Exaequant, pariter dogmata colligunt,
Ejus mortem sequuntur
Et vestigia per crucem.

V fol. 128b; P fol. 137a. — 3, 2 rapuit P. — 3, 4 Et regna atque trahunt populi VP. — 4, 1 comitem VP. — Vier Strophen eines längeren Hymnus, den man vergleiche bei Dümmler l. c. II. 251.

130. In sancti Zenonis.

1. Sancti Zenonis praesulis
Hymnum Christo referimus,
Qui contempsit saeculum,
Mercatur Christi praemium.

2. Qui in adolescentia
Dei praecepta tenuit
Stipem largamque jugiter
Erogavit pauperibus.

3. Piscandi arte usus est,
Dogma sequens apostoli
Misit manum in gurgitem,
Piscatur Dei gratiam.

4. Instar Petri apostoli,
Cum ordines sortitus est,
Pastor in Christi populo
Summus sacerdos rutilat.

5. Crebris quoque jejuniis
Carnis repulit vitia,
Saepe docendo populos
Destruxit mundi idola.

6. Magnus exsistens medicus
Infirma sanans corpora,
Devotas sanans animas
Possessas a diabolo.

7. Tanta repletus gratia
Obviam Christo abiit
Et nobis semper maxima
Ostendit mirabilia.

8. Rogemus ergo, populi,
Confessorem altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

9. Gloria tibi, Domine,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

V fol. 128b; fehlt P. — Ferner: Cod. Capit. Veronen. 113. saec. 16. Copie aus älteren Quellen, die indes nicht aufgeführt sind. A. — 1, 4 Mercavit VA, emendiert nach 3, 4. — 2, 3 Stipendia larga jugiter A. — 3, 2 Dogma sequens orthodoxa A. — 3, 4 Piscavit A. — 4, 2 ordine V; Digna sortitur merita A. — 4, 3 Pastorque Veronensium A. — 4, 4 rutilans V. — 5, 4 mundi fehlt V. — 6, 3 Devota V: Saepe liberans animas A. — 6, 4 Obsessas A. — 7, 2 Obiit in Christi requiem A. — 9, 1 sqq. fehlen A.

131. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Sacratum hoc templum Dei,
Altaris renovatio,
Nos recurrentes annuas
Laudes Deo referimus.

2. Altare magnum hoc Dei
Sacratum est in hac die,
Cujus honore sedulo
Omnes curvamus genua.

3. Precantes autem Dominum,
Qui solus invisibilis,
Ut nos semper in hoc loco
Sanctificari jubeat.

4. Vota solventes hic Deo
Sanctisque ejus omnibus,
Quorum sacrae reliquiae
Templum ornarunt hoc Dei.

5. Omnis, qui hic ingreditur,
Sanctificatus exeat,
Semper orando Dominum
Purificatus maneat.

6. Caerimoniarum hostias
Ad hoc altare jugiter
Nos offerentes pariter
Devotis semper mentibus.

7. Sanctificet nos Dominus
In hoc templo sancto suo,
In quo et nos solemniter
Sacrum munus offerimus.

8. Deum, fratres carissimi,
Et Christum ejus filium
Simul cum sancto spiritu
Hymnis laudemus jugiter.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 129a: P fol. 138 a. — Ferner: Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod. Roman. 175. Farfen. 4. A. — Hymn. ms. Casinensis saec. 11. Cod. Casinen. 240. B. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI E 43. C. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod.

Neapolitan. VI G 31. D. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. E — Hymn. ms. Monasticus saec. 12. in. Cod. Capit. Vatican. D 156. F. — Hymn. ms. S. Jacobi in Pontida saec. 11. Cod. Vatican. 82; aus letzterem in Thomasius Hymnar und weiter bei Daniel I, 106 sq. G.

Str. 1 fehlt CDE. — 1, 3 annue PA. — 2, 1 magnum hoc tibi AB; hoc magnum Dei PCDE. — 2, 3 Cujus honore sedulo CDE; sedule PA. — 3, 1 Precantes quoque CDE. — 4, 2 que fehlt G. — 4, 4 ornatur P, ornaret G. — 5, 4 Sanctificatus maneat P. — Str. 6 fehlt CDE. — 6, 2 Ad hoc sacrum altare VA; sanctum altare nunc P. — 6, 4 Devotus V. — 7, 2 suo fehlt G.

132. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Refulgent clara hujus templi culmina,
Perfusa luce septiformis spiritus,
Christi rubescunt purpurata sanguine,
Perlita rore pretiosi balsami,
Odore flagrant mixtis aromatibus.

2. Sint istam supra domum, Domine, tui
Aperti semper, deprecamur, oculi
Auresque tuae sint intentae jugiter
Diem per omnem noctis et in tempore,
Tuoque semper ore benedicere.

3. Sit angelorum hic alta frequentia,
Descendat omnis hic coelestis gratia,
Diffusa sancto largiente spiritu,
Vultu sereno sancta semper trinitas
Pio favore dignetur inspicere.

4. Nubes sacraque, quae pendens incubuit
Deo jubente supra tabernaculi
Tectum, beatus quod Moyses in eremo
Fixit, precamur, hujus alma moenia
Afflatus sancto perfundat spiramine.

5. Famosa, dudum quae replevit atria
Templi dicati, nebula perlucida,
Orante puro Salomone pectore,
Hanc missa, Christe, coeli de cacumine
Domum fecundet sempiterno munere.

6. Quicunque tuum sanctum nomen supplici
Plenoque corde precatusque fuerit,
Hujus in aedis sacro domicilio
Te largiente sit liber a crimine,
Exclude pestem, morbos omnes dilue.

7. Tuo sacrato hic depasti corpore
Tuoque sancto satiati sanguine,
Ab hoste tuo defensi munimine
Laeti fideles sortiantur servuli
Vitae perennis sine fine gaudia.

8. Rerum creator, Jesu, patris unice,
Mundum cruore salvasti purpureo,
Peccata tollis solus qui pestifera,
Dignare tuos munere gratuito
Ad astra coeli mittere ruricolas.

9. Sit semper alta Deo patri gloria,
Omnis potestas sit dilecto filio
Sanctoque semper gloria paraclito,
Honor et virtus, laus, decus, imperium
Et nunc et ultra sit per cuncta saecula.

V fol. 130b; P fol. 139b. — 1, 1 Refulget V. — 1, 3 rubescunt fulgora V; purpurato P. — 1, 4 Praeleta V, praelata P. — 2, 1 ista VP. — 2, 2 Apertis VP; oculis P. — 3, 1 Sint VP. — 4, 1 sacrasque P; quae fehlt VP; pendentes P. — 4, 2 Deo inuente VP. — 4, 3 Tecum beati V. — 4, 4 alme moenie P, moeniea V. — 5, 4 Hac missa V, Ac missa P. — 6, 3 sancto domicilio V. — 7, 2 Tuoque sacro P. — 7, 5 perenni V; gaudiis VP.

133. In sancti Ambrosii.

1. Sancti Ambrosii praesulis
Hymnum Deo referimus,
Qui contemnendo saeculum
Instanter jussit fratribus,

2. Quod maturarent ocius,
Sacris commendat meritis,
Ut post emensum stadium
Regni sit Christi praemium.

3. Qui in adolescentia
Dei praecepta tenuit
Stipemque largam jugiter
Erogavit pauperibus.

4. Instat doctrina orthodoxa
Digna sortitus praemia,
Pastor verus in populo
Summus sacerdos rutilat.

5. Crebris quoque jejuniis
Carnis repulit vitia,
Saepe docendo populum
Destruxit mundi idola.

6. Magnus exsistens medicus
Infirma sanans corpora,
Devotas salvans animas
Possessas a diabolo.

7. Tanta repletus gratia
Obviam Christo abiit
Et nobis semper maxima
Ostendit mirabilia.

8. Rogemus ergo, populi,
Confessorem altissimi,
Ut ipse nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

9. Deo patri sit gloria.

V fol. 131b; P fol. 140b. — 1, 4 Instantim V, instanti P. — 2, 2 Sacrum his commendat V. — 2, 4 Regni fit P, Regni vasit V. — 5, 3 docendum VP. — 7, 3 maximam P. — Man vergleiche übrigens die Hymnen Nr. 49 und 130.

134. In unius Apostoli.

1. Apostolorum mystica
Digna quoque praeconia
Quis possit alto famine
Praeclarus ore promere?

2. Istos propheta praescius
Prospexit olim spiritu,
Iter supernum capere,
Miratus est, ut diceret:

3. Isti quidem, qui volitant
Ut nubes ad sublimia,
Polum sic intrant fulgidi
Ut columbae ad propria.

4. Imbrem serenum ex aethere
Rorando plebi jugiter
Sancto repleti spiritu
Mentes rigant fidelium.

5. Flagrat per omne saeculum
Apostolorum concio,
Mundi per omnes cardines
Sonus eorum prodiit.

6. Rictum draconis horridi
Offa retrusum ferrea,
Squamosa frustra viscera
Rubra secarunt romphea.

7. Sic sunt, secundum gratiam
Quae fuit eis tradita,
Sorte potiti debita
Per cuncta mundi climata:

8. Petrus beatus inclitam
Post se trahit Italiam,
Secum Andreas Achaiam,
Thomas adoptat Indiam.

9. Jacobus Jerosolymam,
Johannes trahit Asiam,
Matthaeus Macedoniam,
Philippus affert Galliam.

10. Bartholomeus Lycaoniam.
Plebem Simon Memphiticam,
Ducit Matthaeus Judiam
Jacobus omnem Spaniam.

11. Loti suo post sanguine
Palmas tenentes dextera
Spreto superbo principe
Scandunt ad astra lucida.

12. Ante tremendi judicis
Thronum tenent et lucidas
Guttisque tinctas lacteis
Ponunt coronas proprias.

13. Deo patri sit gloria.

V fol. 133a; P fol. 142b. — Ferner: Hymn. ms. Farfensis saec. 10/11. Cod. Roman. 175. Farfen. 4. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. B. — 2, 2 Prospero olim A. — 2, 3 Regnum supernum A. — 3, 3 sq.: Qui sunt ut ad proprias Fulvae columbae fixemas P; vgl. Is. 60, 8. — 4, 1 Imbre sereno VP. — 5, 1 Flagrant VPA. — 6, 2 Ossa V, retrusos VP. — 6, 3 frustra ist mit squamosa, nicht mit dem Verbum in Verbindung zu bringen: Ihr Schwert zerschneidet die umsonst mit Schuppen gepanzerten Glieder des Drachen. — 7, 1 Hi sunt A. — 8, 3 Sanctus Andreas VP. — 10, 1 lies vielleicht Lyciam statt Lycaoniam? — 10, 4 Hispaniam VA. — Hier schaltet A folgende Strophe ein, die ihrer Stellung wegen und wegen der Zwölfzahl der Strophen als Zuthat erscheint:

Paulus namque magnificus
Totum mundum prosequitur,
Et ille ante Dominum
Administrat fideliter.

11, 1 postre sanguine P. — 12, 1 judici P. — 12, 3 trinctis VP.

135. In unius Apostoli.

1. Regis immensi militis triumphis
Consona voce concinamus omnes,
Ipsi qui dedit et tropheum palmae
Simul laudantes.

2. Hic ante Deum velut magna nubes
Ocius partes pervolavit mundi
Verbisque pluit, coruscavit signis
Praedicans Christum.

3. Hic ad fenestram stetit ut columba,
Fuit et prudens, simplex atque rectus,
Providens bona omnibus et Christo
Semper adhaerens.

4. Sortem accepit inter duodenos,
Vidit et Christum oculis beatis,
Posuit suam animam pro ejus
Plebe redempta.

5. Propter quod, Christe, supplices rogamus,
Vincula nostra pie ut absolvas,
Praebeas fructus poenitendi dignos
Crimina laxans.

6. Flebiles artus miseratus tegas,
Stolam, quam culpa annulumque dempsit,
Reddas et sortem inter sanctos tuos
Nobis concedas.

7. Praesta, redemptor patri coaeternus,
Cuncta qui regis flamine cum sancto
Atque gubernas saeculum per omne
In trinitate.

V fol. 133 b; P fol. 143 b. — Ferner: Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolitan. VI G 31. A. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI 171. B. — 1, 3 Ipsum qui VB; et fehlt V; palmas B. — 1, 4 Simul jucundantes B. — Str. 2 u. ff. fehlen V, weil Blätter ausgerissen. — 4, 4 Plebe pro dempta B. — 6, 2 Induens stolam annulumque dempsit P.

136. In unius Apostoli.

1. Palma sanctorum, decus angelorum,
Patris aeterni soboles perennis,
Da tuos nobis famulis alumnos
Pangere clemens.

2. Qui tuis verbis jugiter ferventes
Orbis auctorem, patrem atque vitae
Gentibus cunctis meruere quondam
Pandere missi.

3. O dulces almos proceres heriles,
Arces et sacras, solidas columnas,
Principes pacis pariterque vera
Lumina mundi.

4. Qui viam lucis tenebris fugatis
Intimant nobis simul atque monstrant.
Mortis ignaros operando fructus
Scandere coelum.

5. Victor ut pergens super astra Christus
Misit hos mundum peragrare totum.
Fonte divino penitus novellam
Condere gentem.

6. Signa tunc illi faciunt stupenda,
Cernis ad vitam remeare functos.
Daemones pelli solitoque gressu
Currere claudos.

7. Omnis hinc aetas geminusque sexus
Idolis pulsis vitiisque spretis
Saeculum cunctis profitendo verum
Credere gaudent.

8. Vos triumphantes varios agones
Saeculi victo valido pavore
Mire sanxistis fidei vigorem
Sanguine fuso.

9. Inde vobiscum bene candidatus
Martyrum coetus, jugibus coronis
Semper ornatus, retinet polorum
Culmine palmas.

10. Mente devota petimus, redemptor,
Ut tua tandem pietate sanctis
Esse consortes mereamur omnes
Semper in aevum.

11. Gloriam patri resonemus omnes
Ejus et nato jubilemus apte,
Cum quibus regnat simul et creator
Spiritus almus.

V fol. 132a; P fol. 143b. — 1, 2 perenni P. — 2, 2 patri P. — 2, 4 Pandere jussi P. — 3, 1 Dulcis almus V, dulces almus P. — 3, 2 sacrae VP. — 6, 3 pellis VP. — 8, 2 victos VP. — 9, 1 candidatos VP.

137. In unius Martyris.

1. Adest jam dies, socianda festa,
Sanctorum decus, resonanda laude.
Inter quos unus emicat beatus
Voce vel actu.

2. Blandia cuncta respuendo vicit,
Laetus adversa plectitur benignus,
Favens praeceptis deitatis ore
Dictis vel factis.

3. Certis quibusque detegens maligni
Fraudibus hostis retiarum telis,
In fide Christi undique resedit
Monita sancti.

4. Docuit justis monita tenere,
Promissa celsi falli nunquam posse,
Inter procellas stabili tenore
Fide servari.

5. In quibus idem clarus nunc habetur,
Qui dicta sanctis monuit exemplis
Suis ad astra volitando ire,
Petere sursum.

6. Carceris poena diu maceratus
Sprevit nunc dona peritura mundi,
Adhaesit soli victori nunc Christo
Amore pio.

7. Quaesumus, rerum miseratus omen,
Victor insignis, meritis faveto,
Martyris tui precibus placatus
Iram suspende.

8. Nunc memor nostri, meritis opime
Martyr et civis pie, qua teneris
Urbe vel aula, loco, quo quiescis,
Semper precare.

9. Gloriam Christo patulo canamus
Ore praestanti sibi servienti,
Tanta qui pollet deitate simplex,
Trinus et unus.

P fol. 147; fehlt V. — 1, 1 die. — 1, 2 laudes. — 2, 3 praecepti. — 3, 1 malignus. — 4, 1 monitam. — 4, 2 possit. — 4, 3 procella. — 4, 4 lies: fidem servare? — 5, 4 Petere cursum. — 6, 2 mundo. — 8, 3 quiescit. — Die vier ersten Strophen abcdarisch!

138. In unius Martyris.

1. O martyr aeterni patris,
Invicte miles filii,
Athleta fortis spiritus,
Nobis fave poscentibus.

2. Christi crucem tu bajulas
Christoque confixus cruci,
Jucunda spernens saeculi,
Gaudes modo in regno Dei.

4. Qui viam lucis tenebris fugatis
Intimant nobis simul atque monstrant.
Mortis ignaros operando fructus
Scandere coelum.

5. Victor ut pergens super astra Christus
Misit hos mundum peragrare totum.
Fonte divino penitus novellam
Condere gentem.

6. Signa tunc illi faciunt stupenda,
Cernis ad vitam remeare functos,
Daemones pelli solitoque gressu
Currere claudos.

7. Omnis hinc aetas geminusque sexus
Idolis pulsis vitiisque spretis
Saeculum cunctis profitendo verum
Credere gaudent.

8. Vos triumphantes varios agones
Saeculi victo valido pavore
Mire sanxistis fidei vigorem
Sanguine fuso.

9. Inde vobiscum bene candidatus
Martyrum coetus, jugibus coronis
Semper ornatus, retinet polorum
Culmine palmas.

10. Mente devota petimus, redemptor,
Ut tua tandem pietate sanctis
Esse consortes mereamur omnes
Semper in aevum.

11. Gloriam patri resonemus omnes
Ejus et nato jubilemus apte,
Cum quibus regnat simul et creator
Spiritus almus.

V fol. 132 a; P fol. 143 b. — 1, 2 peremni P. — 2, 2 patri P. — 2, 4 Pandere jussi P. — 3, 1 Dulcis almus V, dulces almus P. — 3, 2 sacrae VP. — 6, 3 pellis VP. — 8, 2 victos VP. — 9, 1 candidatos VP.

137. In unius Martyris.

1. Adest jam dies, socianda festa,
Sanctorum decus, resonanda laude,
Inter quos unus emicat beatus
Voce vel actu.

2. Blandia cuncta respuendo vicit,
Laetus adversa plectitur benignus,
Favens praeceptis deitatis ore
Dictis vel factis.

3. Certis quibusque detegens maligni
Fraudibus hostis retiarum telis,
In fide Christi undique resedit
Monita sancti.

4. Docuit justis monita tenere,
Promissa celsi falli nunquam posse,
Inter procellas stabili tenore
Fide servari.

5. In quibus idem clarus nunc habetur,
Qui dicta sanctis monuit exemplis
Suis ad astra volitando ire,
Petere sursum.

6. Carceris poena diu maceratus
Sprevit nunc dona peritura mundi,
Adhaesit soli victori nunc Christo
Amore pio.

7. Quaesumus, rerum miseratus omen,
Victor insignis, meritis faveto,
Martyris tui precibus placatus
Iram suspende.

8. Nunc memor nostri, meritis opime
Martyr et civis pie, qua teneris
Urbe vel aula, loco, quo quiescis,
Semper precare.

9. Gloriam Christo patulo canamus
Ore praestanti sibi servienti,
Tanta qui pollet deitate simplex,
Trinus et unus.

P fol. 147; fehlt V. — 1, 1 die. — 1, 2 laudes. — 2, 3 praecepti. — 3, 1 malignus. — 4, 1 monitam. — 4, 2 possit. — 4, 3 procella. — 4, 4 lies: fidem servare? — 5, 4 Petere cursum. — 6, 2 mundo. — 8, 3 quiescit. — Die vier ersten Strophen abcdarisch!

138. In unius Martyris.

1. O martyr aeterni patris,
Invicte miles filii,
Athleta fortis spiritus,
Nobis fave poscentibus.

2. Christi crucem tu bajulas
Christoque confixus cruci,
Jucunda spernens saeculi,
Gaudes modo in regno Dei.

3. Nunc ergo nobis, quaesumus,
Praesens adesto cominus,
Omne impetrando commodum
Et post perenne gaudium.

4. Praesta, pater piissime,
Patrique compar unice
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

V fol. 135a; P fol. 148a. — Hymn. ms. Sangallensis (?). saec. 12. Cod. Berolinen. VIII° 1. A. — 2, 1 bajulans A. — 2, 4 in fehlt PA. — 4, 1 sqq. Doxologie ergänzt. Deo patri VP, Praesta pater VA.

139. In unius Confessoris.

1. Christe, rex, splendor gloriae,
Laudes referimus tibi,
Qui profluo miraculo
Sanctorum ornas atrium.

2. Qui in pace ecclesiae
Florentes more lilii
Praedicaverunt populum,
Ut replerent paradisum.

3. Sumentes arma bellica
Contra hostis nequitiam,
Scutum fidei, gladium
Spiritus pugnant fortiter.

4. In quorum ore Deus est,
In quorum corde Christus est,
In quorum mente pietas,
Justitia et veritas.

5. Orti de faece pulveris,
Pro bonis suis meritis
Similes facti angelis
Fruuntur claris gaudiis.

6. Ad quorum ossa mortua
Per magnam Christi gloriam
Nova crescunt miracula,
Dantur plebi suffragia.

7. Dum datur salus languidis,
Redditur vita mortuis,
Lumen refunditur caecis,
Capiunt gressus debiles.

8. Te nunc oramus, Domine,
Eorum nos munimine
Ab omni malo protege
Et vitam nobis tribue.

9. Deo patri sit gloria.

P fol. 148b; fehlt V. — Ferner: Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vespas. D XII. A. — Hymn. ms. Sangallensis(?) saec. 12. Cod. Berolinen. VIII° 1. B. — 1, 1 rex fehlt A. — 1, 4 ornans P. — 3, 3 Gestabant scutum fidei B. — 3, 4 Spiritum P; Gladium spiritus sancti B. — 4, 3 quorum corde B. — 6, 4 Dantes P.

140. In plurimorum Martyrum.

1. Sacra piorum martyrum
Festa nunc instat annua,
Qua mundi spreto principe
Regna beata possident.

2. Coelesti juti gratia
Spreverunt mundi gaudia,
Poenis afflicti gravibus
Praeberunt colla gladiis.

3. Tortor adurit impius
Membra beata ignibus,
Fuso cruore viscerum
Palmam sumpserunt gloriae.

4. Horum sanctorum precibus
Fulti precemur Dominum,
Ut nobis donet veniam
Nec non polorum gaudia.

5. Deo patri sit gloria.

V fol. 137a; P fol. 150b. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventan. saec. 11. Cod. Neapolit. VI G 31. A. — Hymn. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Neapolit. VI E 43. B. — Brev. ms. S. Sophiae Beneventanae saec. 11. Cod. Vatican. 4928. C. — Hymn. ms. S. Renati Surrentini saec. 13. Cod. Barberin. XI. 171. D. — 1, 1 Sacrum piorum AC. — 1, 2 Festum . . . annuum ABC. — 1, 3 Quo AC; quam V. — 2, 1 juncti gratia VP. — 2, 3 afflictis VP. — 2, 4 Dedere colla AC. — 3, 4 Palma VP. — 4, 2 Juncti precemur VP.

141. In unius Virginis.

1. Digne te, sancte Domine,
Hymnis laudemus subditis,
Qui virginale tu decus
Renovare dignatus es,

2. Redintegrans per gratiam
In alvo sanctae virginis
Mariae, matris Domini,
Quod in Eva perierat.

3. Cujus sequentes pariter
Iter beatae virgines
Ad tuum usque thalamum
Trophaeum gestant proelii.

4. Accensis cum lampadibus
Oleum ferunt manibus,
Christo occurrunt obviam
Cum beata victoria.

5. Ex quibus almae virginis
Illius beatissimae
Cunctis hic tuis famulis
Sacratus illuxit dies.

6. Haec paene a cunabulis
Christi secuta est fidem,
Pro ipso et supplicia
Sustulit imperterrita.

7. Teque rogantes petimus
Jesu, salvator inclite,
Ut piis ejus meritis
Nostra delicta deleas.

8. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

V fol. 137b; P fol. 151b. — 1, 3 virginalem flos decus P. — 2, 1 Redintegra V, Sed integra P. — 3, 2 virginis VP. — 5, 3 Cunctis his V. — 6, 1 Et paene V. — 6, 2 Christo V. — 8, 2 sqq. ergänzt.

142. In unius Virginis.

1. Felix vera virginitas,
Luce fulgens angelica,
Quae martyrum consortio
Fruitur vita omnium.

2. Ad laudem ergo virginum
Psallamus Dei filio,
Qui mente carnis integra
Sublevat ad coelestia.

3. Beata es, virginitas,
Qua mater vernat Domini,
Cunctis supernis dignior
Et feminis lucidior.

4. Maria, virgo provida,
Te conservando domina
Prolem coelestem meruit
Gestare casto utero.

5. Johannes, praeco inclitus,
Prophetis major omnibus,
Ob virginali merito
Ostendit agnum digito.

6. Dilecto et discipulo
Ex pectore dominico
Fluenta salutaria
Propinavit virginitas.

7. De Saulo Paulum fecerat
Cordis carnisque integritas,
Sic vas electum permanet
Persecutor ecclesiae.

8. In tali potens numero
Te invocantes, petimus,
Conscribe, una deitas,
Quae cuncta regis saecula.

V fol. 138b; P fol. 152a. — 2, 3 integre V. — 3, 2 Quam mater P. — 5, 3 Der Ablativ bei ob wird durch den Reim geschützt. — 8, 4 Qui cuncta VP.



Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

II. Verbal-Index.



ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XIV b.

ORRICUS SCACABAROTIUS.

Origo Scaccabarozzi's

Liber Officiorum.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1893.

ORRICUS SCACABAROTIUS.

Origo Scaccabarozzi's,

Erzpriesters von Mailand,

Liber Officiorum.

Nach einer Handschrift

der Kapitels-Bibliothek von Mailand

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1893.

EINLEITUNG.

Je seltener es dem Hymnologen gelingen will, aus der Unsumme liturgischer Dichtungen des Mittelalters einen bedeutenden Bestand an einen bestimmten Namen zu knüpfen, um so freudiger überraschte es den Herausgeber, auf der Bibliothek des hohen Metropolitankapitels zu Mailand einer Handschrift zu begegnen, deren reicher Inhalt als das Produkt eines einzigen Hymnographen bezeugt war. Dieser Dichter ist Orricus Scacabarotius.

Über die Lebensschicksale des Mannes ist nicht gerade viel bekannt, trotz der einflufsreichen Stelle, die er in einer so mächtigen und bedeutenden Kirche, wie die Mailändische es ist, ausfüllte. Sein Name wird bald Orricus, bald Olricus oder Honricus, alles Nebenformen von Henricus geschrieben; der Familienname Scaccabarozzi, der seit alters in Mailand guten Klang hatte und noch heute nicht erloschen ist, lautet latinisiert einmal Scacabarotius, dann Scaccabarozzus, dann wieder de Schachabarociis[1]). Irrtümlich ist Orricus von einigen dem Dominikanerorden zugeschoben worden, was sich vielleicht aus dem Umstande erklären dürfte, dafs er Zeitgenosse, Freund und Verehrer des hl. Petrus Martyr war, den wir auch in seinen Hymnen verherrlicht finden. Seine Titel und Würden giebt uns die Handschrift seiner Carmina des öfteren an. Ihr zufolge war er Archipresbyter der Mailändischen Kirche und Propst der Apostelkirche, auch Basilika des hl. Nazarius „in Brolio“ genannt, was so viel als Gartenland (von dem Italienischen brolo) heifst. Blatt 142 v° derselben Handschrift wird diesen Prädikaten noch hinzugefügt „et capellanus ecclesiae sanctae Mariae Pedonis.“ Diese Würden vereinigten sich auf ihn im Jahre 1286. Blatt

---

[1] Der Dichter selbst schreibt konstant Orricus Scacabarotius.

134 b wird er des weiteren als päpstlicher Hauskaplan und 151 a als „Canonicus Nicomarcarus“ bezeichnet, eine Qualifikation, die mir, aller Anstrengung unerachtet, unverständlich geblieben ist. Philippus Argelatus belehrt uns des weiteren[1]), daſs er zufolge einer Urkunde vom Dezember des Jahres 1289 Kapitularvikar des Bistums war, was auf das Ansehen schlieſsen läſst, in welchem Scaccabarozzi in seiner Heimatdiöcese stand. Einen noch beredteren Ausdruck findet dasselbe, wenn wir bei genanntem Autor lesen: Memoratur etiam a Gotifredo de Bussero in libro memorabilium urbis et dioecesis Mediolanensis num. 192 ms. in haec verba: „Ille qui dignus esset fieri papa, scilicet Domnus Orricus Scaccabarozzius, archipresbyter Mediolani.“ Origo starb im Jahre 1293 und ward in der Kirche der Franziskaner, mit denen er in besonderer Freundschaft gestanden, beigesetzt. Seine Grabschrift lautete:

In isto sepulchro jacet R. P. D. Henricus Scaccabarozzus, Archipresbyter majoris ecclesiae Mediolani, qui fuit magnus devotus ordinis Minorum et istius conventus benefactor; nam anno Domini MCCLXXXVII scholas nobis construxit et multa alia tam spiritualia quam temporalia ut pius pater concessit.

Einer anderen, offenbar von Scaccabarozzius selbst verfaſste Grabschrift in Versen, erwähnt Muratori im 4ten Bande der Antiquitates Italiae, dissert. 57. p. 936. Er will, so scheint es, dieselbe in eben der Handschrift gelesen haben, welche die Officien Scaccabarozzis enthielt, wonach, wenn nicht ein Irrtum vorwaltet, damals noch eine andere Handschrift derselben vorhanden gewesen wäre: Muratori teilt von der Grabschrift die folgenden Verse mit:

Orricus dictus cognomine Scacabarozus,
Mediolanensis tunc archipresbyter urbis,
Arca de petra jaceo qui clausus in ista,
Sanctorum studui cum cantu scribere laudes;
Nomina sunt quorum: Nazarius atque Sophia
Et Marcellinus, Petrus, Maurilius, Anna etc.

Auch eines Bildes unseres Hymnographen erwähnt Muratori a. a. O. mit den Worten: „Cernitur quoque idem Orricus ibi pictus. Vestis candida usque ad pedes diffluit. Supra illam rubea cappa cum capuccio et sine manicis a tergo cadit usque

[1]) Philippi Argelati Bononiensis, Bibliotheca scriptorum Mediolanensium Tom. II Mediolani 1745 p. 1298 sq.

in terram: in anteriori vero parte inter brachia decidens usque ad femora prolabitur. Corona clericalis non minor iis, quas rigidiores ascetae nunc deferunt. Cardinalem S. R. E. diceres. Et revera cardinales etiam appellabantur olim Canonici Mediolanensis ecclesiae."

Wie aus dem nachfolgenden Inhalte der Handschrift zu ersehen, sind die meisten der von Scaccabarozzi verfaſsten Hymnen für bestimmte Kirchen geschrieben; über sie hinaus haben sich nur wenige derselben verbreitet. Muratori (a. a. O.) berichtet, im Jahre 1605 sei die in Rede stehende Handschrift von den Korrektoren des Ambrosianischen Meſs- und Chorbuchs benutzt worden. Schon in der Ausgabe des Ambrosianischen Breviers von 1490 begegnen wir zum erstenmale Spuren unseres Dichters. So findet sich fol. CCLXVIII v. sq. das Officium de s. Galdino mit der Schluſsnote: „Supradictum officium beati Galdini reperi in certis codicibus satis antiquis editum per quondam Henricum de Schachabarociis, ecclesiae Mediolanensis archipresbyterum, et propter dignitatem sancti praeposui. Si quis noluerit hoc dicere, dicat officium commune unius confessoris." Ferner findet sich ebenda der Hymnus Andegavensis praesulis.

Die Handschrift des „Liber Officiorum" trägt jetzt die Bezeichnung Nr. 18, früher trug sie die Signatur d 313 L 18. Sie zählt 163 (162) Pergamentblätter, 28,5 cm hoch bei einer Breite von 18,5. Sie ist schön geschrieben und mit den bekannten blau-und-roten frühgotischen Initialen des 13. Jahrhunderts geziert, durchgehends mit Noten auf geritzten Linien versehen, von denen die f-Linie rot, die c-Linie gelb bezeichnet ist. Hinter den einzelnen Officien befindet sich bis zum zweiten Teile der Handschrift ein offenbar autographes Explicit des Verfassers, von dem auch die vielfältigen Verbesserungsversuche herrühren, die teils am Rande, teils im Texte angebracht sind.

Wie der Text, so ist auch der Cantus das Werk Scaccabarozzis, wie an zahlreichen Stellen ausdrücklich bezeugt wird. Nur in bezug auf die Melodieen der eigentlichen Hymnen ist dies zweifelhaft. Diejenigen Hymnen, welche überhaupt eine Melodie bei sich haben, gehen auf nur zwei (beziehungsweise vier) verschiedene Weisen, welche wir im Verlauf Kürze halber mit Melodie 1 und 2 bezeichnen werden. Die erste Melodie findet

sich unvollständig zum Hymnus de S. Galdino, vollständig erst fol. 16 b; sie lautet:

Sanc - to - rum na - ta - li - ti - a Ma - ter co - lat

ec - cle - si - a, Can - tet ho - rum prae - co - ni - a

Fe - sti - va cum lae - ti - ti - a.

Diese Melodie kommt vor zu sieben Hymnen; dieselbe befindet sich in den späteren Ambrosianischen Chorbüchern zu dem Hymnus Trinitatis altissimae, so daſs wir entweder annehmen müſsten, Scaccabarozzi habe nur den übrigen Text der Officien, nicht aber die Hymnen in Musik gesetzt, sondern sich für diese bereits bekannter Melodieen bedient, oder aber seine Hymnenmelodieen seien von andern benutzt worden, oder endlich auch der Hymnus Trinitatis altissimae sei ein Produkt seiner Muse.

Die zweite Melodie findet sich unvollständig schon fol. 43 b, vollständig zum Hymnus der hl. Sophia fol. 61 a. Sie lautet:

Gau - de pi - is af - fe - cti - bus,

So - no - ris can - ta vo - ci - bus, Ju - cun - da plau -

de ma - ni - bus, Am - bro - si - a - na ci - vi - tas.

Dieser Melodie folgen gleichfalls sieben Hymnen. Auch sie findet sich im Mailändischen Hymnar, u. z. zu dem Texte Apostolorum supparem. Es ensteht also von neuem die soeben aufgeworfene Frage, nur daſs hier jene dritte Möglichkeit, Abfassung

auch dieses Textes durch Scaccabarozzi wegfällt. Ja hier liegen die Umstände so, dafs wir unserem Autor die Urheberschaft der Melodie einfachhin absprechen müssen, ein Entscheid, welcher auch für Melodie 1 ein analoges Urteil wahrscheinlich werden läfst. Der Text Apostolorum supparem ist nämlich ein von Ambrosius stammender. Die Annahme, dafs ein so viele Jahrhunderte in der Mailändischen Kirche gesungener Hymnus am Ende des 13. Jahrhunderts auf eine neu erfundene Weise hinübergeschrieben wäre, widerspricht so sehr aller sonstigen Gepflogenheit, dafs der Gedanke daran, so lange er nicht positiv erwiesen ist, a limine abzuweisen. Nun ist es mir freilich nicht möglich, die Melodie aus einer unbedingt älteren Handschrift nachzuweisen; ich finde dieselbe indes in böhmischen Cistercienserhandschriften aus dem Anfange des vierzehnten Jahrhunderts. Der Cistercienserorden hatte aber sein Hymnar dem mailändischen lange vor Scaccabarozzi entlehnt; von den Melodieen des letzteren jedoch, die sich selbst innerhalb des Mailänder Sprengels so geringer und so später Verbreitung erfreuten, ist es schlechterdings nicht annehmbar, dafs sie sich so rasch selbst bis nach Böhmen sollten verbreitet haben [1]).

Aufser diesen beiden Hymnen-Melodieen enthält der liber officiorum noch zwei andere, zu den beiden Hymnen auf Petrus und Marcellinus, die aber beide nur je einmal vorkommen und denen ich in andern Hymnarien nicht begegnet bin. Dieselben lauten:

Erster Hymnus.

Mar - cel - li - ni at - que Pe - tri San - cto - rum na-

ta - li - ti - o Con-gau - de - at ec - cle - si - a

Ma - ter fe - sti - vo gau - di - o.

[1]) Auch der Umstand, dafs die Melodieen zu den Hymnen so oft fehlen, so oft nur angefangen und nicht ausgeschrieben sind, deutet darauf, dafs sie nicht Neuschöpfungen des Verfassers, sondern Entlehnungen sind und als bekannt vorausgesetzt werden.

Zweiter Hymnus.

Mar-cel - li - nus at - que Pe - trus, Dig - nos fe - sti

me - mo - ri - a, Cum lau - di - bus ma - gni - fi - cis

Ma - gni - fi - cet ec - cle - si - a.

Dies vorausgeschickt, lasse ich die genaue Inhaltsangabe der Handschrift folgen, wobei bezüglich der Paginierung nur zu bemerken, dafs hinter Blatt 25 ein solches mit der Zahl 25 bis folgt:

Fol. 1 a. beginnt mit einer Rubrik, die, halb weggeschnitten, halb ausradiert, noch die Worte erkennen läfst: „ecclesiae Mediolanensis et praepositi s. Nazarii.“ Officium s. Galdini, Hymnus: Felix felici; Mel. 1.

Fol. 6 b. Messe des hl. Galdinus.

Fol. 7 b. Officium des hl. Barnabas.

Fol. 8 a. Hymnus: Mediolani civitas; ohne Mel.

Fol. 13 a. Messe des hl. Barnabas.

Fol. 14 b. Hymnen: Festivas age gratias, Johannes dilectissimi, Concelebret solemniter, Festivitatem martyris, alle vier ohne Melodie.

Fol. 15 a. Hymnen: Apostoli et martyris, In Petri novi martyris; beide ohne Melodie. Dann folgen:

Antiphona ad Magnificat.

Laudibus magnificis
Magnificent catholici
Merita magnifica
Doctoris evangelici,
Sancti Petri, virginis,
Per omnia magnifici,
Cum palma martyrii
Consortis coetus coelici.

Responsorium.

De martyrum rosario
Rosa nova decerpitur,
Cum virginali lilio
Quae regi regum mittitur;
V. Petrus, flos totus redolens
Per virtutum fragrantiam,
Passus pro fide meruit
Coronae regni gloriam.

Fol. 15 b. Hymnus: In Margaritae virginis; ohne Melodie.

Fol. 16 a. Officium der hl. Nabor und Felix; über demselben die eigenhändige Notiz des Verfassers:

Laudes sanctorum canit archos presbyterorum,
Nabor Maurorum Felix, sunt nomina quorum.

Am Schlusse: Explicit officium de sanctis Nabore et Felice, compilatum more Romano.

Fol. 16 b. Hymnus: Sanctorum natalitia; Mel. 1.

Fol. 20 b. Messe der hl. Nabor und Felix.

Fol. 22 b. Hymnus: In Naboris et Felicis, ohne Melodie; darüber die Notiz: Ab eodem Orrico archipresbytero.

Fol. 23 a. Officium der hl. Anna; Hymnus: Fidelis plebs ecclesiae, ohne Melodie.

Fol. 24 b. Hymnus: Mariae matris Domini, ohne Melodie.

Fol. 27 b. Messe der hl. Anna.

Fol. 29 b. Officium der hl. Perpetua.

Fol. 30 a. Hymnus: Festivitas Perpetuae, ohne Melodie.

Fol. 34 a. Messe der hl. Perpetua.

Fol. 35 b. Officium der Verkündigung Mariä.

Fol. 36 a. Hymnus: Cum laudibus magnificis, Mel. 1.

Fol. 41 b. Messe desselben Festes.

Fol. 43 a. Officium Nativitatis BMV.

Fol. 43 b. Hymnus: Nativitatis virginis, Mel. 2.

Fol. 44 b. Hymnus: Omnes fideles jubilent, Mel. 2.

Fol. 48 a. Messe desselben Festes.

Fol. 50 a. Antiphon zur zweiten Vesper des Festes Mariä Himmelfahrt.

Fol. 50 b. Ursprünglich leer, dann mit Nachträgen ausgefüllt. Hymnus: Novus descendens nuntius, ohne Mel. Hymnus: Festum matris et filii zum erstenmal. Antiphon de ss. Nabore et Felice:

Exsultantes nunc in Christo
Velut Hermon, sicut Thabor,
Gloriosi subvenite
Nobis Felix atque Nabor.
Quos coronant triumphales
Poenae truces, gravis labor.

Fol. 51 a. Officium sancti Maurilii; Hymnus: Andegavensis civitas, Mel. 1.

Fol. 56 a. Messe desselben Heiligen.

Fol. 58 a. Incipit missa pro terra sancta, compilata ab eodem archipresbytero; nur Kollekten und Präfation.

Fol. 58 b. Antiphon:

In maris mundi positos periculosis fluctibus,
Nazari pater, adjuva nos tuis sanctis precibus,
Qui salutis remedium donasti naufragantibus,
Duc nos ad portum gloriae, fac nos frui coelestibus.

Fol. 59 a. Praefatio de s. Francisco; Officium sanctae Sophiae.

Fol. 59 b. Hymnus: Roma tibi similia, Mel. 2.

Fol. 61 a. Hymnus: Gaude piis affectibus, Mel. 2.

Fol. 65 a. Messe der hl. Sophia.

Fol. 66 b. Officium sanctae Ursulae.

Fol. 67 a. Hymnus: Coetus colit fidelium, Mel. 2.

Fol. 72 a. Messe derselben Heiligen.

Fol. 73 b. Officium für das Fest Allerheiligen.

Fol. 74 a. Hymnus: Columba Christi unica, ohne Mel.

Fol. 80 a. Messe desselben Festes.

Fol. 82 a. Officium des hl. Eustachius; Hymnus: Eustachii praeconia, Mel. 1.

Fol. 88 a. Messe desselben Heiligen.

Fol. 90 a. Officium des hl. Clemens.

Fol. 90 b. Hymnus: Cantet Clementis martyris, ohne Mel.

Fol. 94 b. Messe des hl. Clemens.

Fol. 95 b. Officium der hl. Lucia.

Fol. 96 a. Hymnus: Luciae festum celebret, ohne Mel.

Fol. 101 a. Messe zum Fest derselben Heiligen.

Fol. 102 b. Ursprünglich leer. Oben eigenhändige Rubrik des Verfassers: Explicit liber officiorum, quem compilavit Dominus Orricus Scacabarotius, sanctae Mediolanensis ecclesiae archipresbyter et praepositus basilicae Apostolorum seu ecclesiae sancti Nazarii in Brolio Mediolani. Den Rest der Seite füllen eigen-

händige Nachträge beziehungsweise Kladden, unter denen die Sequenz Omnes fideles das einzige längere und selbständige Stück ist. Hier schlofs also die ursprüngliche Sammlung; alles folgende ist später hinzugebunden. Von nun an beginnt jedes neue Officium einen eigenen Quatern, dessen frei bleibenden Rest Nachträge füllen.

Fol. 103 a. Officium omnium Apostolorum.

Fol. 107 b. Messe zu demselben Officium.

Fol. 109 a. Hymnus: Apostolorum omnium, ohne Mel. Es folgen Nachträge, Orationen und Präfationem, darunter fol. 110 a das Lauda Sion, wie es scheint, das einzige fremde Stück. Fol. 110 b ist leer.

Fol. 111 a. Officium sanctae Margaritae; Hymnus: In Margaritae virginis, Mel. 2.

Fol. 115 b. Messe derselben Heiligen.

Fol. 117 b. Antiphon de sancto Quirico:

Ad Vesperum Antiphona in Choro.

Tuis beatis precibus
Fac nos, beate Quirice,
Fide, verbis, operibus
Sic vivere catholice,
Quod mereamur gloriam
Societatis coelicae,
Quam nobis donet conditor
Coeli et terrae fabricae.

Fol. 118 a. Hymnus: Festum matris et filii zum zweitenmal; Mel. 1; darauf Responsorium de sancto Quirico und ein anderes de ss. Petro et Paulo:

R. Juxta verbum propheticum
Cantemus Deo canticum
Laudantes sanctum Quiricum,
Testem Christi magnificum,
Fide firmum non lubricum.
V. Ut Jesum patris unicum
Reddat nobis beneficum,
Rogemus omnes Quiricum,
Puerulum mirificum.

Fol. 118 b. Hymnus: Sancti festum Christophori, Zuschrift, ohne Mel.

Fol. 119 a. Officium des hl. Silvester; darüber m. p. „Incipit officium s. Silvestri [compilatum a] Domino Orrico Scaca-

barotio, Mediolanensi archipresbytero; Hymnus: Festiva lux emicuit, Mel. 1.

Fol. 123 b. Die zugehörige Messe.

Fol. 124 b. Antiphon de ss. Nabore et Felice: Exsultantes nunc in Christo, vgl. weiter oben.

Fol. 125 und 126 enthalten m. p. Kladden zum Officium omnium Apostolorum.

Fol. 126 b. Sequenz zum Fest Allerheiligen zum zweitenmal.

Fol. 127 a. Officium ss. Marcellini et Petri.

Fol. 127 b. Hymnus: Marcellinum atque Petrum, ohne Mel.

Fol. 128 a. Hymnus: Marcellini atque Petri, ohne Mel.

Fol. 131 b. Das zugehörige Messformular.

Fol. 134 a. Melodieen zu den beiden Hymnen mit unterlegter erster Strophe.

Fol. 134 b. Venerabili Patri et Domino Comiti, Dei gratia titulo SS Marcellini et Petri presbytero Cardinali, suus Orricus Scacabarotius Mediolanensis ecclesiae archipresbyter, Domini papae capellanus, se ipsum cum reverentia devotiva. Ut cognomen paternum rei consequens et scribenti competere spiritualiter videretur, non solum birotam scripturae duorum testamentorum, scilicet veteris ac novi, quae per rotas, quarum unam in altera, videlicet novum in veteri per praefigurationem, vetus in novo per expositionem, vidit propheta Ezechiel figurantem, sed etiam quorundam sanctorum patrum libros et legendam sanctorum Marcellini et Petri martyrum, quorum sacerdotalis cardinis titulo radiatis, quodammodo spoliavi, ex ipsis velut spolia decerpens auctoritates seu earum sententias congruas materiae, de qua fueram tractaturus, nec non de ipsa legenda plurima assumens, notis digna, quae ad commendationem ipsorum instravit (!), praesentis opusculi libellum, non de propriis viribus sed de ipsorum sanctorum meritis et precibus confisus, ad omnipotentis Dei et ipsorum martyrum laudem, gloriam et honorem et ad nostrae mentis spiritale solatium tam in dictamine quam in cantu studui compilare. Quem vobis per latorem praesentium repraesento, vestram reverendam paternitatem reverenter exorans, quatenus exiguum munus, quod amicus, pauper tam in vita quam in scientia, vobis mandat, accipientes placide ac benigne, quidquid in eo rude inveneritis et incultum, lima vestrae prudentiae venustetis, quaecunque negligenter omissa, e copioso thesauro

vestrae sapientiae suppleatis; quaecunque superflua, falce vestri moderaminis resecetis. Me vestrum in omnibus et per omnia devotum semper vobis et vestris orationibus recommendo, praesertim eo tempore, quo unigeniti filii Dei passionem et mortem recolitis missarum solemnia celebrantes. In quibus ego, quamvis indignus sacerdos, recommendo vos saepissime Deo patri. Concedat vobis Dominus longissimam vitam in terra morientium, vitam sine fine mansuram in terra viventium, in qua sit vestra portio, largiturus. Datum Mediolani.

Fol. 135 a. Officium sanctae Eugeniae mit der Rubrik: „Incipit officium sanctae Eugeniae, compilatum a Domino Orrico Scacabarotio, archipresbytero Mediolanensi, tam in dictamine quam in cantu;“ Hymnus: Festum beatae virginis, Mel. 2.

Fol. 140 a. Messe zum vorstehenden Officium.

Fol. 142 b. in rot, aber durchgestrichen: „Millesimo ducentesimo octuagesimo sesto. Ultimo die mensis Junii, die dominico. Ego Orricus Scacabarotius, sanctae Mediolanensis ecclesiae archipresbyter et praepositus ecclesiae sancti Nazarii in Brolio et capellanus ecclesiae sanctae Mariae Pedonis dono pro remedio animae meae ipsi ecclesiae sanctae Mariae Pedonis ad honorem sanctae virginis Eugeniae, cujus festum in ipsa ecclesia celebratur, praesentem librum, in quo sunt passio [sic?] ipsius beatae Eugeniae et officium festivitatis ipsius. Quod ego compilavi tam in dictamine quam in cantu. Ora pro me, sancta Eugenia.“

Fol. 142 b. Hymnus: Concelebra solemniter, ohne Mel.

Fol. 143 a. Officium sancti Johannis Mediolanensis, mit der Überschrift: Incipit officium in festo sancti Johannis, archiepiscopi Mediolanensis, compilatum a Domino Orrico Scacabarotio, archipresbytero Mediolanensi, tam in dictamine quam in cantu.

Fol. 143 a. Hymnus: Sancti Johannis praesulis, Mel. 1.

Fol. 148 b. Messe zum vorhergehenden Officium.

Fol. 150 b. leer bis auf einige eigenhändige Noten.

Fol. 151 a. Dieser letzte Quatern ist bei gleicher Breite kürzer als die vorhergehenden; Länge 25 cm. Officium der hl. Ursula: „Incipit officium beatae Ursulae et sanctarum undecim milium virginum, compilatum a Domino Orrico Scacabarotio, sanctae ecclesiae Mediolanensis archipresbytero et praeposito ecclesiae sancti Nazarii et canonico Nicomarcaro, tam in dictamine quam in cantu.“ Es ist dies dasselbe Officium,

das sich schon fol. 66 b sqq. findet, nur mit dem Unterschiede, dafs es hier dem römischen, dort dem mailändischen Ritus angepafst ist.

Fol. 159 b. Hymnus: Coetus colit fidelium, ohne Melodie. Messe zu dem vorstehenden Officium.

Bezüglich der Wiedergabe der Texte ist nur noch hinzuzufügen, dafs in der Handschrift die Hymnen im Corpus der Chorofficien stehen, und die Messen sich ohne jeden Absatz unmittelbar den Officien anreihen. Gröfserer Klarheit halber habe ich Hymnen, Officien und Messen gesondert; belasse aber innerhalb dieser Abteilungen die Reihenfolge des Manuskriptes.

Ich kann nicht schliefsen, ohne an dieser Stelle dem Hochwürdigen Herrn Kanonikus und Primicerius, Monsignore Angelo Edler von Meraviglia Montegarra, Generalvikar der Diöcese Mailand, meinen herzlichen Dank zu bezeigen für die überaus liebenswürdige Weise, in welcher er mir die Benutzung des kostbaren Manuskriptes in seiner eigenen Wohnung ermöglichte und erleichterte. Wenn es mir vergönnt war, diese hymnologisch so wichtige Handschrift, von deren Existenz ich keinerlei Kunde hatte, aufzufinden und der Kenntnis weiterer Kreise zu übermitteln, so gebührt der Dank ausschliefslich seinem gefälligen Entgegenkommen, das ich um so mehr zu schätzen weifs, je weniger mir entgehen konnte, welche Last von Amtsgeschäften ihn mehr denn je in Anspruch nahmen.

Exaeten, den 26. September 1892.

Guido Maria Dreves.

I.

HYMNI.

---

1. De sancto Galdino.

1. Felix felici praesule,
Ambrosii ecclesia,
Confessoris egregii
Galdini dic praeconia.

2. Almi tui pontificis
Festivum natalitium
Concelebra solemniter,
Urbs Mediolanensium.

3. Cujus sancta sunt opera,
Excellens sanctimonia,
Fides, spes atque caritas
Cum ingenti constantia.

4. Praedicator egregius
Hic verbi semen seminat,
Ut fornax vasa figuli
Quem Dominus examinat.

5. Hic corpus suum macerat
Vacans orationibus,
Jejuniis, vigiliis
Et genuflexionibus.

6. Galdinus fuit pontifex
Benignus, mitis, humilis,
Hic et virtutum artifex,
Pius, prudens, affabilis.

7. Hic honestatis speculum,
Justitia mirabilis,
In tribulationibus
Gaudens, fortis et stabilis.

8. In multa patientia
Hic et misericordia
Migrat ad coeli gaudia,
Beatus nunc per omnia.

9. Gloria tibi, Domine.

2. De sancto Barnaba.

1. Mediolani civitas,
Age festiva gaudia,
Pastoris tui Barnabae
Pange mira praeconia.

2. Qui tibi sanctae fidei
Primus pandit eloquia
Honorisque metropolis
Tibi confert insignia.

3. Hic appetens coelestia,
Contemptor visibilium
Ad pedes apostolicos
Agri deponit pretium.

4. Hic plenus sancto spiritu
Verbum in Antiochia
Christi constanter praedicat
Et in Romana patria.

5. Per Barnabam apostolum
Clemens ad fidem ducitur,
Civis Romanus nobilis,
Qui papa martyr moritur.

6. Hic macerat assiduis
Corpus suum vigiliis,
Crebris orationibus,
Frequentibus jejuniis.

7. Apostolus hic Barnabas
Matthaei evangelium
Deponens super languidos
Languores sanat omnium.

8. Hic a Judaeis perfidis
Fune ligatus trahitur,
Qui traditus incendio
Supernis bonis fruitur.

3. Alius hymnus in festo sancti Barnabae apostoli.

1. Festivas age gratias,
Christicolarum concio,
In Barnabae apostoli
Festivo natalitio.

2. Hunc fide, vita sequere
Laudabili vestigio,
Quem Deus apostolico
Aggregavit collegio.

3. Iste terrena despicit,
Caduca sibi subjicit,
Cum Deus ipse sufficit,
Sibi nil unquam deficit.

4. Hic infimis renuntiat,
Hic se supernis sociat,
Se propriis exspoliat,
Ut Christum lucrifaciat.

5. Hic agrum vendens proprium
Apostolis dat pretium,
Ut commune subsidium
Cunctorum sit fidelium.

6. Hic sublimatus Barnabas
Ad culmen apostolicum,
Verbi doctrinae pabulo
Gregem pavit dominicum.

7. Coruscat hic apostolus
Miraculis insignibus,
Infirmos multos liberans
A variis languoribus.

8. Joseph levites Barnabas,
Vir bonus plenus gratia,
Per igneum incendium
Transit ad coeli gaudia.

4. Hymnus in festo s. Johannis apostoli et evangelistae.

1. Johannis, dilectissimi
Christi, magna praeconia
In ejus festo resonet
Sancta mater ecclesia.

2. Vocatus hic de nuptiis
Spernens carnis connubia
Efficitur apostolus
Christi sequens vestigia.

3. Evangelista recitat
Ipse Christi magnalia
Et verbum Deum asserit,
Per quem facta sunt omnia.

4. Apocalista exstitit,
Tonitrui qui filius,
Supra pectus recubuit
Jesu coena consocius.

5. Commendat huic virgini
Matrem in cruce virginem
Christus, quem ipsa peperit,
Verum Deum et hominem.

6. Missus in Patmos insulam
Durum subit exsilium
Atque ferventis olei
Illaesus exit dolium.

7. Piis vacans operibus,
Miris fulgens virtutibus,
Sine mortis doloribus
Locatur coeli sedibus.

8. Rogemus ipsum seduli,
Ut per suum suffragium
Nos faciat participes
Supernorum concivium.

9. Sit patri semper gloria,
Honor, potestas filio,
Una cum sancto spiritu
Qui regnant coeli solio.

5. Alius hymnus de eodem festo.

1. Concelebret solemniter
Cunctorum plebs fidelium
Sanctissimi apostoli
Johannis natalitium.

2. Hic est Mariae virginis
Sororis sanctae filius,
Qui secretorum exstitit
Dilectus Christi conscius.

3. Qui Zebedaei Jacobi
Frater secutus Dominum,
Piscator fuit piscium
Piscator factus hominum.

4. Johannes velut aquila
Volavit ad sublimia,
Hic et arcana reserat
Deitatis mysteria.

5. Gemmas fractas consolidat
Divinae dono gratiae,
Drusianam resuscitat
Vitae reddens primariae.

6. In aurum virgas, lapides
Mira Dei potentia
Convertit mirabiliter
Johannes, in quo gratia.

7. Hausto veneni poculo
Jacturam nullam patitur,
Qui vita et miraculis
Fulgens coelo recipitur.

8. Christe, Johannis precibus
Ornatos fide, moribus
Ad beata per omnia
Fac nos transire gaudia.

9. Patri, nato et flamini
Honor, virtus et gloria,
Potestas, laus, imperium
Per saecula sint omnia.

6. De sancta Thecla.

1. Festivitatem martyris
Primae mater ecclesia
Concelebret et personet
Theclae mira magnalia.

2. Hujus dotata capite,
Mediolani civitas,
Theclae sit venerabilis
Tibi semper festivitas.

3. Fidem Christi recipiens
Carnis sponsum juvencula
Spernit, se Deo dedicat
Thecla, Pauli discipula.

4. Haec igni virgo traditur,
Feris, ursis, leonibus,
Quam non adustam protegit
Christus, non tactam morsibus.

5. Leaena pedes virginis
Lambit cum reverentia,
Per quam Dei mirabilis
Ostenditur potentia.

6. Habens manus cum pedibus
Ligatas tauris jungitur,
Ut hanc feroces lacerent,
Per quos Thecla non laeditur.

7. Theclam rogemus supplices,
Ut per sua suffragia
Nos pervenire faciat
Ad beatorum gaudia.

8. Haec virgo martyr praedicat,
Isti triplex aureola
Datur a sponso merito,
Quae nunc gaudet coelicola.

9. Gloria tibi, Domine.

7. Hymnus sancti Matthaei Apostoli et evangelistae.

1. Apostoli et martyris
Solemni cum laetitia
Matthaei laudes resonet
Magnificas ecclesia.

2. Hic teloneum deserens,
Statim secutus Dominum,
Apostolus efficitur
Et praedicator hominum.

3. De publicano subito
Factus Christi discipulus
Narrat ejus magnalia
Evangelista sedulus.

4. Matthaeus largus exhibet
Magnum Christo convivium,
Largissime reficiens
Regem pastorem omnium.

5. Resuscitat a mortuis
Matthaeus regis filiam,
Oratione impetrans
Sibi vitae remedium.

6. Aquis loti baptismatis
Viso tanto miraculo
Fidem Christi recipiunt
Regina, rex cum populo.

7. Defert beatus Barnabas
Matthaei evangelium,
Quod ponens super languidos
Languores sanat omnium.

8. A tergo fixo gladio
Ad aram stans occiditur
Matthaeus, qui per omnia
Gaudens supernis fruitur.

9. Gloria tibi, Domine.

8. In festo sancti Petri Martyris Ordinis Praedicatorum.

1. In Petri novi martyris
Novello natalitio
Novellas odas personet
Christianorum concio.

2. Ut rosa rubens floruit,
Ut virginale lilium,
Pro fide qui sustinuit
Petrus virgo martyrium.

3. Hic agonista fidei,
Doctor morum mirabilis,
Fidem defendit, praedicat
Pugnator invincibilis.

4. Jejunat hic et vigilat,
Instat orationibus,
Confessiones recipit
Miris fulgens virtutibus.

5. Hic alter Samson moriens,
Choros ingressus coelicos,
Plures quam vivens subjicit
Ac convertit haereticos.

6. Ejus post mortem confluunt
Quam plurimi haeretici
Confestim ad ecclesiam
Facti veri catholici.

7. Praedicatorum dederat
Ordo dona insignia,
Confessores et virgines
Christo violas, lilia.

8. Nunc ordo Petrum martyrem
Rosam dat odoriferam,
Cum laurea victoriae
Intrantem aulam superam.

9. Laeteris, gens Ambrosii,
Quod intercessionibus
Petri, tui nunc incolae,
Custodiris ab hostibus.

10. Hunc roga piis precibus,
Devotis ac frequentibus,
Ut te locet coelestibus
Aeternis mansionibus.

11. Gloria tibi, Domine.

9. De sancta Margareta.

1. In Margaritae virginis
Festivas natalitio
Laudes cuncti catholici
Festivo cantent gaudio.

2. Hujus beatae martyris
Fidelium ecclesia,
Pro Christo quae sustinuit,
Dira promat supplicia

3. Hanc imitemur virginem
In fidei constantia,
Magnificis operibus
Et mira patientia.

4. In qua non murmur resonat
Nec ulla quaerimonia,
Saevis quam poenis lacerat
Olybrii saevitia.

5. Horrendo clausa carcere
Cum facibus exuritur
Ardentibus, equuleo
Crudeliter affligitur.

6. Haec margarita candida
Ut virginale lilium,
Parvam se Deo praebuit
Facta consors humilium.

7. Virtuosa miraculis
Haec capitis sententiam
Subit pro Christi nomine
Migrans ad regni gloriam.

8. Rogemus ipsam seduli,
Quod per suum suffragium
Participes nos faciat
Supernorum concivium.

9. Gloria tibi, Domine.

10. De ss. Nabore et Felice.

1. Sanctorum natalitia
Mater colat ecclesia,
Cantet horum praeconia
Festiva cum laetitia.

2. Urbs Mediolanensium,
Ingens tibi sit gaudium,
Quae fidei tot testium
Es rubra per martyrium.

3. Ad regionem Ligurum
Nabor et Felix transeunt,
Insignes Mauri milites
Certamen forte subeunt.

4. Optantes coelis vivere,
Vitam pro Christo ponere
Malunt et ipsam perdere,
Simulacra quam colere.

5. Qui sunt afflicti ungulis,
Equuleo, lampadibus
Et fustibus et carcere,
Fame, caesi capitibus.

6. Quibus dat fortitudinem
Deus in poenis omnibus,
Quas per fidem suppeditant
Adjuti Christi viribus.

7. Certant pro Christo pugiles,
Qui superari nequeunt,
Qui cum palma victoriae
Ad coeli regnum transeunt.

8. Hos martyres frequentibus
Rogemus omnes precibus,
Ut dent nobis auxilium
Apud Mariae filium.

9. Gloria tibi, Domine.

11. Item secundus Hymnus in festo sanctorum Naboris et Felicis.

1. In Naboris et Felicis
Festo festiva gaudia
Solemniter concelebret
Cum laudibus ecclesia.

2. Gloriosi certaminis
Horum pangat magnalia
Et imitetur martyres
In fidei constantia.

3. Qui contemnentes idola
Gentilitatis frivola,
Mauri relinquunt patriam
Intrantes post Liguriam.

4. Isti spretis divitiis,
Deliciis, honoribus
Passi pro Christo cupiunt
Choris jungi coelestibus.

5. Propugnatores fidei
Victoriam suscipiunt,
In quos poenis satellites
Tyranni diris saeviunt.

6. Carcer, fames, equuleus,
Ungula, calor igneus
Non flectunt, non percussio
Sanctos nec decollatio.

7. Imperii sub chlamyde
Sancti latere nequeunt,
Superni regis milites
Coeli regnum introeunt.

8. Suis beatis precibus
Apud patrem et filium
Nabor et Felix martyres
Praestent nobis auxilium.

9. Gloria tibi, Domine.

12. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Fidelis plebs ecclesiae
Beatae Christi aviae
Festivas laudes resonet,
Melos et odas intonet.

2. De civitate Bethlehem
Haec Jesu matrem generat
Ex Nazareno Joachim,
Quos lex sancta confoederat.

3. Cleophae dat et Salomae
Duas Marias nomine,
Quae pariunt apostolos,
Sorores nostrae dominae.

4. Anna, mater misericors
Matris misericordiae,
Tu cum marito subvenis
Egentium miseriae.

5. Qui vestra temporalia
Dividitis trifarie,
Donantes haec pauperibus,
Templo, partem familiae.

6. Anna, felix venter tuus
Et ubera felicia,
Quae paris, lactas virginem,
Omni repletam gratia.

7. Ex te processit filia,
De qua Christus exoritur,
Per quem facta sunt omnia,
Per quem mundus redimitur.

8. Rogantibus propitia
Sis, salvatoris avia,
Nos ducens via regia
Ad supernorum praemia.

9. Gloria tibi, Domine.

13. De sancta Anna.

Ad Vigilias.

1. Mariae, matris Domini,
Matris Annae solemnia
Nos reverenter hodie
Concelebremus gaudia.

2. Haec concipit ex Joachim
Sanctam reginam virginem,
Quae de David progenie
Regis ducit originem.

3. Regis regum genitricem,
Christi, Dei et hominis,
Qui nos in suo sanguine
Lavit a sorde criminis.

4. Ex hujus Annae utero
Tres sunt Mariae nomine,
Quae cum ipsa tripudiant
Nunc in coelorum culmine.

5. Cum Christo, cum apostolis
Cumque suis palmitibus
Sunt haec mater et filiae
Atque cum sanctis omnibus.

6. Quibus omnis laetitia,
Quibus nulla tristitia,
Quibus nulla miseria,
Quibus honor et gloria.

7. Interpretata gratia,
Mitis Anna, clemens, pia,
Clementem roga filiam,
Stellam maris eximiam.

8. Ut impetret a filio
Nobis in hoc exsilio
Divinae munus gratiae,
In coelis regnum gloriae.

14. De sancta Perpetua.

1. Festivitas Perpetuae,
Civis Romanae nobilis,
Matris sancti Nazarii,
Sit nobis venerabilis.

2. Insignis ista genere,
Sed moribus insignior,
Petri lota baptismate
Sancta fide sublimior.

3. Pietatis operibus
Haec diligenter dedita
Ministrat indigentibus
A Deo sibi credita.

4. Ad fidem Christi conjugem
Convertit haec et filium,
Unda baptismi nitidos
Per Lini ministerium.

5. Haec beatorum martyrum
Tumbis tradit exuvias,
Quibus Christus exhibuit
Triumphales victorias.

6. Felix venter Perpetuae,
Beata sunt et ubera,
Quae portant, lactant filium
Regnantem super sidera.

7. Cum quo gaudet Perpetua
Perpetuo nunc gaudio,
Facta consors in gloria
Ejus dilecto filio.

8. Tua nos prece muniens
Ab hostium insidiis,
Perpetua, perpetuis
Fac perfrui nos praemiis.

9. Gloria tibi, Domine.

15. In Assumptione BMV.

1. Cum laudibus magnificis
Sancta mater ecclesia
Matris assumptae virginis
Concelebret solemnia.

2. Hujus festum magnificet
Agens festiva gaudia
Et melodias personet
Ejus narrans praeconia.

3. De regali progenie
David ducens originem
Haec regem regum genuit,
Deum verum et hominem.

4. Salutat hanc archangelus
Salutis hoc alloquio:
Ave, repleta gratia,
Tanto digna eulogio.

5. Virgo de patris gremio
Verbum patris exhauriens
Sine virili semine
Concepit virgo pariens.

6. In mundo locus dignior
Non fuit ventre virginis,
In quo Deus recipitur
Naturam sumens hominis.

7. Nec locus excellentior
In coelo sede regia,
Quam Christus matri contulit
Magnifica cum gloria.

8. Nato conregnat hodie
Assumpta regno gloriae
Cunctis coeli cantantibus
Concomitata coetibus.

9. Innixa super filium
Ad gloriam provehitur,
Sede regali residens
Regalibus perfruitur.

10. Dei mater et filia,
Nobis dona suffragium,
Quo currentes in stadio
Percipiamus bravium.

11. Gloria tibi, Domine.

16. In Nativitate BMV.

Ad Vesperas.

1. Nativitatis virginis
Festum mater ecclesia
Concelebret solemniter
Agens festiva gaudia.

2. O quam ingens laetitia
De nata semper virgine,
Quam concepit ex Joachim
Anna regali germine.

3. Ex ipsa proles oritur,
Virgo, quae Christum generat,
Qui clausam mundo januam
Coelestis aulae reserat.

4. Cujus beatus uterus
Christum donavit pretium,
Qui nos a morte redimens
Morti dat corpus proprium.

5. Domum sibi virgineam
Construxit sapientia,
Mundam quam mundus habitat,
Christus, summa munditia.

6. Ut sol electa prodiens,
Ut aurora progreditur,
Ut stella sine sordibus
Haec tota pulchra nascitur.

7. Futurus homo Dominus
Ad redimendum populum
Purgat ab omni macula
Mariae tabernaculum.

8. Egressa stella de Jacob
Emisit lucis radium,
Intemerata pariens
Superni regis filium.

9. Virga surgens ex Israel
Duces Moab, daemonia
Maria terret, percutit
Et fugat cum victoria.

10. Regina venerabilis
Sis nobis exaudibilis,
Tuis fac piis precibus,
Coeli nos frui sedibus.

11. Gloria tibi, Domine.

17. In Nativitate BMV.

Ad Vigilias.

1. Omnes fideles jubilent
Et laudibus invigilent,
Ortae Mariae gaudia
Concelebrent solemnia.

2. Adsit de nata virgine
Cunctis ingens solemnitas,
Cujus est nobis utilis
Laudabilis nativitas.

3. Per quam humani generis
Dissolvitur captivitas,
Ad patriam reducitur
Exsul Adae posteritas.

4. Cujus proles nos liberat
Diu captos ab inferis
Et liberatos incolas
Cum choris unit superis.

5. Per hoc germen virgineum
Vetusta mors destruitur,
Vita per hanc Christiferam
Desiderata redditur.

6. In hujus, quam creaverat,
Quievit tabernaculo
Deus in mundum veniens
Pro redimendo populo.

7. Hanc Dominus mundificat
Originali macula,
Dum clausa matris utero
Foret haec virgo parvula.

8. Tuis beatis precibus,
Mater misericordiae,
Nos tuos servos miseros
De lacu duc miseriae.

9. Transire fac ad gaudia
Nos sempiternae gloriae,
In qua jugis laetitia,
Nullus locus tristitiae.

18. Hymnus in Annuntiatione sanctae Mariae.

1. Novus descendens nuntius
A regis regum curia
Novellae defert virgini
Mariae nova gaudia.

2. Hic fortitudo Domini
Fortem venturum nuntiat,
Qui fortem cruce moriens
Hostem sibi subjiciat.

3. Salutans inquit Gabriel:
Ave, repleta gratia,
Deus est tecum Dominus,
Benedicta per omnia.

4. Futurus homo Dominus
Portam clausam ingreditur,
Aula clausa virginea
Verbum caro concipitur.

5. Haec dies venerabilis
Festi digna memoria,
Qua Deus creat hominem,
Qui fabricavit omnia;

6. A fratre Caïn invido
Justus Abel occiditur,
Et immolandus Isaac
Per Abraham subtrahitur.

7. Virgo concepit hodie,
Baptistae caput caeditur,
Est Christus passus, mortuus,
Secum latro suscipitur.

8. Frater Johannis Jacobus
Cum gladio perimitur,
Coelestis regni claviger
A vinculis eripitur.

9. Regina, virgo virginum.
Mater Dei laudabilis,
Tuis devotis famulis
Sis semper exaudibilis.

19. De sancto Quirico.

1. Festum matris et filii,
Julittae nec non Quirici.
Reverendorum martyrum,
Concelebrent catholici.

2. Horum pangat ecclesia
Meritorum praeconia.
Miracula insignia
Et gloriosa praemia.

3. In Quirico puerulo
Magna fuit constantia,
Divelli qui non potuit
A Christo per supplicia.

4. Non minis hic, non opibus,
Promissis non honoribus
Inductus colit idola,
Sed haec spernit Christicola.

5. Hic Quiricus puerulus,
In Christi cultu sedulus.
Instat orationibus,
Psalmodiis et precibus.

6. Flagellis diris caeditur,
Carceribus includitur.
Martyrio consumitur,
Aeterno regi fruitur.

7. Julittae felix uterus.
Beata sunt et ubera,
Quae portat, lactat filium.
Qui regnat super sidera.

8. Cum quo gaudet perpetuo
Martyr Julitta gaudio,
Facta consors in gloria
Suo dilecto filio.

9. Gloria tibi, Domine.

20. De sancto Maurilio.

1. Andegavensis praesulis,
Cunctorum plebs fidelium
Maurilii concelebret
Festivum natalitium.

2. Et confessoris referat
Hujus mira magnalia,
Quae gessit mirabiliter
Mira Dei potentia.

3. Honora hunc, magnifica
Urbs Mediolanensium,
Cujus concivis exstitit
Atque germen egregium.

4. Gaude quod per Maurilium,
Consortem nunc coelestium,
Multiplicas collegium
Supernorum concivium.

5. Martini venerabilis
Iste fuit discipulus,
Per quem fide, operibus
Christi docetur populus.

6. Orationi deditus
Frequentibus jejuniis
Se macerat Maurilius,
Assiduis vigiliis.

7. Iste leprosos liberat,
A cunctis leprae sordibus
Et curat paraliticos,
Lumen dat non videntibus.

8. Resuscitavit puerum,
Annis septem in tumulo
Clausum, praesul Maurilius
Adstante sibi populo.

9. Exsultat nunc Maurilius
Assumptus coeli sedibus,
Cunctis fruens divinitus
Deliciis, honoribus.

10. Praesta tuum auxilium
Nobis, Maurili, miseris,
Per quod possimus assequi
Locum cum choris superis.

11. Gloria tibi, Domine.

21. De sancta Sophia.

Ad Vesperas.

1. Roma, tibi similia
Dona reddit insignia,
Rosas, violas, lilia
Mediolani patria.

2. Sanctum tibi Nazarium
Ut rosam per martyrium,
Violam dans Ambrosium,
Sororem velut lilium.

3. Confessoris humilitas
Hunc ornat, hanc virginitas,
Horum sancta germanitas,
Excellens quorum sanctitas.

4. Tu Mediolanensium
Cruore rubens civium,
Oles viola, liliis,
Roma, candens eximiis.

5. Suis tribus prudentibus
Infert mortem virginibus
Tua saeva protervitas,
Quae sunt Fides, Spes, Caritas.

6. Delectamenta frivola,
Mundi, carnis et subdola.
Vana spernentes idola,
Certantes pro justitia.

7. Quae dum poenarum genera.
Ignes, vermes et verbera
Dira calcant et vulnera,
Victrici gaudent gloria.

8. O quam beata viscera
Sophiae nec non ubera,
Quae portant, lactant munera,
Cum quibus super sidera.

9. Sancta mater colligitur
In sanctorum collegio,
In quo jucunda fruitur
Confessionis bravio.

10. Det nobis Christus credere,
Sperare, sic diligere,
Quae sursum sunt, et sapere,
Quod coelos donet scandere.

22. De sancta Sophia.

Ad Vigilias.

1. Gaude piis affectibus,
Sonoris canta vocibus,
Jucunda plaude manibus,
Ambrosiana civitas.

2. In te Sophia nascitur,
Primaria statuitur,
Virtutibus imbuitur
Hortus, in quo fecunditas.

3. In ipsa flos producitur
Virginitatis lilium,
Rubens rosa decerpitur
Durum passa martyrium.

4. Tres ista parit filias
Carnis spernentes nuptias.
Mundi quoque divitias
Amore sponsi gloriae.

5. Passionis acerbitas,
Finalis ac virginitas
Insunt eis ac bonitas
Perseverantis gratiae.

6. Pro fide Fides patitur
Et pro spe Spes affligitur,
Pro caritate Caritas,
O quam felix germanitas.

7. Quae post tormenta varia
Diversaque supplicia
Palmam portant victoriae
Coeli consortes curiae.

8. In qua Sophia sumitur,
Quae laeta semper fruitur
Confessionis gloria,
Perennis vitae patria.

9. Rogemus istas precibus
Devotis ac frequentibus.
Ut apud Dei filium
Praestent nobis suffragium.

23. De sancta Ursula.

1. Coetus colit fidelium
Beatae festum Ursulae,
Veneretur consocias
Laude devota sedule.

2. Agnum, quocunque ierit,
Concomitantur laudibus
Et hymnos dulces personant
Istae sonoris vocibus.

3. Formosa Christi Ursula,
Regis nata Britanniae,
Regalem sponsum suscipit.
Regem coelestis patriae.

4. Mare devota Ursula
Ingressa cum trieribus
Sanctorum loca visitat
In Roma cum virginibus.

5. Quae reversae Coloniam
Suscipiunt victoriam
Sui magni certaminis
Effusione sanguinis.

6. Supernorum concivium
Multiplicat collegium
Virginalis militia
Coelesti fruens gloria.

7. Istas una consociat
Fides, unum martyrium
Et unus locus virgines
Atque coronae praemium.

8. Has virgines frequentibus
Rogemus omnes precibus,
Ut dent nobis auxilium
Apud Mariae filium.

24. De Omnibus Sanctis.

1. Columba Christi unica,
Ecclesia catholica
Promat melos et cantica,
Agmina laudet coelica.

2. Chorum laudet angelicum
Cum patriarchis omnibus,
Prophetas et apostolos
Cum beatis martyribus.

3. Virginale collegium
Cum sanctis confessoribus,
Mariam atque filium
Praeconiis insignibus.

4. Sancti Christum vestigiis
Secuti sunt non deviis
Tendentes ad coelestia
Desiderata gaudia.

5. Qui nos exemplis instruunt,
Sacris doctrinis imbuunt,
Respuentes divitias
Honoris et delicias.

6. Se macerant jejuniis,
Attenuant vigiliis,
Instant pro se, pro aliis
Orationibus piis.

7. Subveniunt pauperibus
Per pietatis opera,
Qui sunt in domo Domini
Ut oliva fructifera.

8. Fortes afflicti martyres
Igne, cruce, lapidibus
Sunt vinclis, rotis, ungulis,
Fame, caesi capitibus.

9. Sanctos fide, sermonibus
Sequamur et operibus,
Ut cum ipsis in sedibus
Conregnemus coelestibus.

25. De sancto Eustachio.

1. Eustachii praeconia
Mater pangat ecclesia.
Tota festiva jubilet
Et laudibus invigilet.

2. Sanctum Deus, mirabilis
In sanctis suis omnibus,
Eustachium mirificat
Miraculis insignibus.

3. Qui cum misericordiae
Afflueret operibus,
Christi figuram et crucem
Videt in cervi cornibus.

4. Venationi deditus
Dum cervum studet capere,
Venatorem Christus capit
Hunc volens salvum facere.

5. Sacrificare idolis
Nolens pius Eustachius,
In arena statuitur
Dei martyr egregius.

6. Saevo leoni traditus,
Illaesus hic dimittitur.
Bove accenso aereo
Inclusus non exuritur.

7. Ornandus hic aureola
Propter dira martyria
Cum conjuge ac filiis
Transit ad coeli gaudia.

8. Da, Christe, sancti martyris
Adjutos piis precibus
Aeterna frui gloria
Nos in supernis aedibus.

9. Gloria tibi, Domine.

26. De sancto Clemente.

1. Cantet Clementis martyris
Virtutes et magnalia,
Hujus festum concelebret
Sancta mater ecclesia.

2. Ortus de stirpe nobili,
Romanae civis patriae,
Culmen factus philosophus
Sortitur sapientiae.

3. Per Barnabam apostolum
Fide Clemens instruitur,
Et hic post Petrum tertius
Summus praesul praeficitur.

4. Fidem docens catholicam
Convertit hic Sisinium,
Per quem se Christo subjicit
Magnus coetus illustrium.

5. Clemens pro Christi nomine
Sustinuit exsilium,
Spernens profanis idolis
Offerre sacrificium.

6. Pio Clemens suffragio
Agni ditat indicio
Relegatos exsilio
Aquarum beneficio.

7. Ligata collo anchora
Jactatur maris fluctibus,
Qui laetus intrat patriam
Bonis fruens coelestibus.

8. Summae Deus clementiae,
Perennis dator gloriae,
Sancti Clementis precibus
Nos loca coeli sedibus.

9. Gloria tibi, Domine.

27. De sancta Lucia.

1. Luciae festum celebret
Sancta mater ecclesia,
Promat odas et resonet
Ejus mira praeconia.

2. In Christi viridario
Haec, virginale lilium,
Rubens rosa, colligitur
Dirum passa martyrium.

3. Languens mater Eutitia
Luciae fide, precibus,
Agathae sana redditur
Sanctis orationibus.

4. Donatis patrimonii
Rebus cunctis pauperibus
Se Domino dat hostiam
Lucia cum martyribus.

5. Lucia, sancti spiritus
Quam ardor inflammaverat,
Ignis accensi oleo,
Pice calorem superat.

6. In Christo tanto pondere
Hanc spiritus praefixerat,
Quod bobus vel hominibus
Moveri nunquam poterat.

7. Iniquo jussu gladio
Ejus transfixo gutture
Mortis subit supplicium
Non resonante murmure.

8. Quae corpore dominico
Sumpto a sacerdotibus
Coelestem intrat curiam
Bonis fruens perennibus.

28. De Omnibus Apostolis.

1. Apostolorum omnium
Concelebret memoriam
Cunctorum plebs fidelium
Ad Jesu Christi gloriam.

2. Honoret apostolicum
Coetum mater ecclesia
Festivis cum honoribus,
Cum digna reverentia.

3. Sal terrae sunt apostoli,
Lux mundi atque principes,
Ad judicandum Israel
Sunt constituti judices.

4. Luce doctrinae fidei
Et sanctae vitae populum
Ducunt relictis tenebris
Ad Christi tabernaculum.

5. Enarrant Dei gloriam
Praedicantes magnalia,
Coruscant et miraculis
Mira Dei potentia.

6. Qui claudis gressum exhibent,
Membra sanant languentia
Et mortuos resuscitant,
Multa fugant daemonia.

7. Qui sunt pro Christi nomine
Tormenta passi varia,
Quos Christus multipliciter
Remunerat in patria.

8. Istos fide, sermonibus
Sequamur et operibus,
Ut cum ipsis coelestibus
Omnes regnemus sedibus.

9. Gloria tibi, Domine.

29. De sancto Christophoro.

1. Sancti festum Christophori
Concelebret ecclesia
Et hujus magni martyris
Magna pangat praeconia.

2. Gentilis dictus Reprobrus
Gentilitatis idola
Hic testis Christi reprobat
Factus verus Christicola.

3. Hic volens coelis vivere,
Vitam pro Christo ponere,
Maluit ipsam perdere
Simulacra quam colere.

4. Fert ore Christum nomine,
Hic humeris fert opere,
Fert mente Christum, corpore
Fert curans hunc traducere.

5. Per hunc in terris pertica
Sicca fixa, quae floruit,
Fructus gratos divinitus
Ut palma vera praebuit.

6. Hic ad virgae miraculum
Magnum convertit populum
Atque convertit milia
Relicta idolatria.

7. Christophorus exuitur,
Sagittatur et caeditur,
Decollatus suscipitur,
Ad gloriam pervehitur.

8. De martyris Christophori
Luto confecto sanguine
Sanatur regis oculus,
Fuso pro Christi nomine.

9. Rex restituti oculi
Cognoscens beneficium
In Jesum Christum credidit,
Aeterni patris filium.

10. Patri, nato et flamini
Honor, virtus et gloria,
Potestas, laus, imperium
Per saecula sint omnia.

30. De sancto Silvestro.

1. Festiva lux emicuit
Silvestri natalitii,
Qui fide, vita claruit
In sede pontificii.

2. Operibus resplenduit
Piis in cursu stadii,
Miraculis hic floruit
Adeptus donum bravii.

3. Notatis in matricula
Silvester hic egentibus
Ministrans necessaria,
Largus Christi pauperibus.

4. Castigat corpus proprium
Frequentibus jejuniis
Et hoc orando macerat
Assiduis vigiliis.

5. Constantinum mundificat
Et ad fidem catholicam
Ducit et vincit pontifex
Perfidiam Judaicam.

6. Taurum jacentem mortuum
Resuscitavit, omnibus
Cernentibus miraculum
Factis Christi fidelibus.

7. Draconis os mortifero
Flatu laedentis populum
Clausit Deus perpetuo
Per istum suum famulum.

8. Hic sanctus post tot opera
Claustra relinquens infera,
Locatus super sidera
Gaudet in aula supera.

9. Perpetuis divitiis
Refertus et deliciis
Sublimatur honoribus
Silvester nunc perennibus.

10. Silvester, venerabilis
Antistes, summis precibus
Tuis nos omnes facias
Bonis frui coelestibus.

11. Gloria tibi, Domine.

31. De ss. Marcellino et Petro.

In Vesp. et Laud.

1. Marcellinum atque Petrum,
Dignos festi memoria,
Cum laudibus magnificis
Magnificet ecclesia.

2. Gloriosi certaminis
Horum pangat praeconia,
Cum vocibus dulcisonis
Horum cantet magnalia.

3. Et imitetur martyres
In fidei constantia,
Sequatur in operibus
Horum sacra vestigia.

4. Quibus inexpugnabilis
Fides fuit victoria,
Tyrannum prosternentibus
Cum triumphali gloria

5. Afflicti plagis, vinculis
Et carceris custodia,
Fragmentis nudi vitreis
Dira vincunt supplicia.

6. Plectuntur sancti capite
Saevi jussu vicarii,
Locum sortiti gloriae,
Quietis atque gaudii.

7. Supernorum concivium
Facti felices socii,
Sunt coronati laurea
Pro merito martyrii.

8. Rogemus istos precibus
Devotis ac frequentibus,
Ut Christum Dei filium
Reddant nobis propitium.

9. Sit patri semper gloria,
Honor, potestas filio
Una cum sancto spir itu,
Qui regnant coeli solio.

32. De ss. Marcellino et Petro.

Ad Matutinum.

1. Marcellini atque Petri
Sanctorum natalitio
Congaudeat ecclesia
Mater festivo gaudio.

2. Quae fecundatur filiis,
Istis Christi martyribus,
Cum triumphalis gloriae
Corona jam regnantibus.

3. Fortes pro fide pugiles
Sancti mundum, diabolum,
Carnem, tormenta varia,
Vincunt tyrannum subdolum.

4. Quibus dat fortitudinem
Deus in poenis omnibus,
Quas strenui suppeditant
Adjuti Christi viribus.

5. Deus, qui est mirabilis
In sanctis suis omnibus,
Ostendit hos mirabiles
Miraculis insignibus.

6. Sponte sanctis divinitus
Se carceres aperiunt,
Virtute data coelitus
Qui daemones ejiciunt.

7. Hos collaudemus martyres
Dignos laudis honoribus,
Hos fidei et operum
Piis sequamur gressibus.

8. Da, Christe, fili virginis,
Nobis sanctorum precibus,
Regnemus ut feliciter
Cum supernorum coetibus.

9. Patri, nato et flamini
Honor, virtus et gloria,
Potestas, laus, imperium
Per saecula sint omnia.

33. De sancta Eugenia.

1. Festum beatae virginis
Et martyris Eugeniae
Solemniter concelebrent
Omnes fideles hodie.

2. Meritorum praeconiis,
Miraculis insignibus
Et gloriosis praemiis
Haec fulget coeli sedibus.

3. Ista Philippi nobilis
Praefecti fuit filia,
Dotata liberalium
Haec artium scientia.

4. Sub masculino habitu
Ingressa monasterium,
Eugeniam attenuant
Vigiliae, jejunium.

5. Abbas prudens Eugenia
Vasa portat aquaria,
Ligna scindit ad omnia
Coquinae necessaria.

6. Eugenia in Tiberim
Saxo ligata mergitur,
Quo confracto divinitus
Illaesa haec egreditur.

7. De salvatoris manibus
Pane sumpto reficitur,
Christi natali gladio
Sancta martyr perimitur.

8. Carnis deponens sarcinam
Regna scandit coelestia,
Omni refecta gaudio
Aureolae cum gloria.

9. Gloria tibi, Domine.

34. De sancto Bernardo.

1. Concelebra solemniter
Bernardi natalitium,
Hunc laudibus magnificis
Honora, plebs fidelium.

2. Hic bona nardus pistica
Sanctae vitae fragrantia,
Amoris igne fervidus
Inflammat hic ecclesiam.

3. Hic carnis fluxus subjicit
Castitatis munditia,
Supplantat avaritiam
Relinquens transitoria.

4. De hoste superbissimo
Hic habita victoria,
Suppeditat superbiam
Humilitatis gratia.

5. Scripturae salutiferae
Volumina composuit,
Multos sermone, opere
Hic summus doctor docuit.

6. Castigat corpus proprium
Frequentibus jejuniis
Et hoc orando macerat
Assiduis vigiliis.

7. Piis pollens operibus,
Miraculis patentibus,
Migrat ad regni gaudia
Beatus nunc per omnia.

8. Da, Christe, fili virginis,
Nobis Bernardi precibus,
Regnemus ut feliciter
Cum supernorum coetibus.

9. Sit patri semper gloria,
Honor, potestas filio
Una cum sancto spiritu,
Qui regnant coeli solio.

35. De s. Johanne Mediolanensi.

1. Sancti Johannis praesulis
Festivum natalitium
Concelebret solemniter
Cunctorum plebs fidelium.

2. Odas suaves personet
Agens festiva gaudia
Et reverenter concinat
Ejus mira praeconia.

3. Ortus ex Januensium
Vico Camulli partibus
Iste Johannes exstitit
Patre, matre nobilibus.

4. Hic Mediolanensium
Johannes fuit pontifex,
Hic honestatis speculum,
Hic et virtutum artifex.

5. Iste totus misericors
Per pietatis opera,
Fuit in domo Domini
Ut oliva fructifera.

6. Activa vita splenduit,
Contemplativa claruit,
Mitis fuit et humilis,
Caritate praestabilis.

7. Sanctis pollens operibus,
Magnis fulgens miraculis,
Hic felix gaudens residet
Supernis habitaculis.

8. Antistes venerabilis,
Johannes alme, precibus
Tuis nos omnes facias
Bonis frui coelestibus.

9. Gloria tibi, Domine.

II.

OFFICIA.

1. In Vigiliis sancti Galdini.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Est Mediolanensium
Pastor sidus singulare,
Galdinus in ecclesia
fulgens magnum luminare,
V. Verbo lucens et opere
ministrat lucem populo,
Quem ipse pascit triplici
pius Galdinus pabulo.

In Choro.

A. Gens Mediolanensium,
festivo gaude gaudio,
Quae tuam prolem aggregas
confessorum collegio,
Galdinum, qui te adjuvat
multiplici suffragio.

Cum Infantibus.

R. Galdinus totus affluit
pietatis operibus,
Qui vitae necessaria
largus donat pauperibus,
Puellis dotes exhibet
munificus egentibus,
Fovet senes et viduas,
patet pupillis omnibus.
V. Felix, qui super pauperes
toto corde intelligit,
Non habentes hospitium
in sua domo colligit.

A. Perituros praeveniens
hic prae cunctis mortalibus
Galdinus pius pontifex
curabat de pauperibus.

A. Perpetuam consequitur
regni sedem in gloria
Galdinus ut alter David
sua misericordia.

Ad Magnificat.

A. Redemptorem magnificum
magnificet ecclesia,
Cujus mira magnificat
sanctum magnificentia
Galdinum in coelestibus,
Magnificandum laudibus.

Psallentium in Baptisterio.

Confessor sancte, subveni,
Galdine, tuis famulis,
Libera sanctis precibus
a cunctis nos periculis,
Ora Christum, ut nos locet
aeternis habitaculis.

Ad Vigilias.

R. Accensus zelo fidei,
sancta praefulgens vita,
Galdinus cancellarius,
dignus archilevita,
Metropolis Ambrosii
fuit archimandrita.
V. Hic ad Sabinae titulum
cardinalis provehitur,
Quem sic Deus magnificat,
coelorum choro jungitur.

A. Galdini festum praesulis,
Pro fide quondam exsulis,
Celebremus solemnibus
Atque sonoris vocibus.

R. Alexandro, catholico
Papae, Galdinus paruit,
Qui respuens schismaticos
Imperatorem horruit
Et propugnator fidei
Unitatis pugil fuit.
V. Beatus vir abominans
Peccatorum consilium,
Qui sprevit ut catholicus
Schismaticorum devium

A. Ut aqua fons exuberat,
Totus misericordia
Fluit Galdinus, relevans
Afflictos indulgentia.

R. Aures praebet frequentibus
Deus Galdini precibus,
Qui Mediolanensium
Moestorum et dolentium
Destructae urbis moenia
Restaurat sua gratia.
V. Peccantes Deus percutit,
Humiliat justitia,
Humiliatos relevat
Sua misericordia,
Delinquentes vulnerat,
Post sanat, quos percusserat.

A. Galdinus tot assidue
Senex psalmos decantabat,
Quod in psallendo clericos
Psalmodia fatigabat.

Psallentium.

Sic excellenter pontifex
Fuit Galdinus humilis,
Quod propter hoc quam pluribus
Factus est contemptibilis.
In Salla Dei triplici
Refecit alimonia
Galdinus praesul populum,
Ortus Sallae prosapia.

R. In diebus Deo suis
Magnus sacerdos placuit
Galdinus, ante Dominum
Qui repertus justus fuit.

V. Galdinus gratus omnibus
Laetum vultum exhibebat,
Loquela dulcis pontifex
Piam mentem ostendebat.

Psallentium.

Dum impugnat haereticos,
Hic choros intrat coelicos
Cum beatis agminibus
Bonis fruens coelestibus.

Post Kyrie.

A. Sua prece nos Galdinus
Juvet, ne nos dens caninus
Haeretici dilaceret
Aut detractoris vulneret.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Alexander tertius
Praefecit Galdinum,
Virum pro ecclesia
Dudum peregrinum,
Mediolanensibus
Providum pastorem,
Cujus totus populus
Currit in odorem.
V. Pastor fuit pervigil
In ovili cura,
Pro commissis ovibus
Multa passus dura.

Inter Lectiones.

Responsoria.

1. Sancti Galdini studium
Lupos a grege ovium,
Saevos arcet haereticos,
Ipsos damnans falsidicos.
V. Impugnat hic vulpeculas
Vites delere sedulas
In vinea, quae floruit,
Haereticus quam destruit.

2. Per Galdinum sanctissimum
Mira Deus potentia
Pandit ad ejus tumulum
Miracula insignia;

Qui claudis gressum exhibet,
Membra sanat languentia
Atque caecos illuminans,
Multa fugat daemonia.
V. Ostendit ejus meritis
Virtutes et magnalia
Multas, quae jam praecesserant
In primaeva ecclesia.

Ad Benedictus.

A. Sit benedictus Dominus,
Qui Galdinum pontificem
Dat Mediolanensibus
Virtutum et artificem.

Ad Crucem.

A. Crucifixi vestigia
Per viam patientiae
Sequamur, ut ad gaudia
Perveniamus gloriae,
Quam nunc Galdinus obtinet,
Qui quondam dura sustinet,
Pro unitate fidei
Exsul factus pugil Dei.

In Cantemus.

A. Cantet Deo populus
Mediolanensium,
Qui Galdino contulit
Suum pontificium.

In Benedicite.

A. Cuncta Dei opera
Ipsi benedicite,
In Galdini praesulis
Festo hymnum dicite.

In Laudate.

A. Patrem laudemus de caelis
Servi Galdini fidelis
Sui festum celebrantes
Ac devote honorantes.

Psallentium in Baptisterio.

O quam fine laudabili,
Facto sermone nobili
Commisso sibi populo,
De corporis ergastulo
Galdinus ad collegium
Sanctorum transit omnium.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Non sibi sed pauperibus
Credebatur vivere,
His studens necessaria
Galdinus impendere.

2. Concelebret ecclesia
Confessoris solemnia
Galdini cum laetitia,
Qui fide, verbo claruit,
Sanctitate resplenduit,
Miraculis emicuit.

3. Serve prudens et fidelis,
Subvenire nobis velis
Te cunctis reverentibus,
Galdine, tuis precibus.

4. Praesul mirae sanctitatis
Cum talentis duplicatis
Est Galdinus cum beatis.

5. Divinis instat laudibus,
Vacans orationibus,
Psalmodiis, vigiliis
Galdinus et jejuniis.

6. O quam felix est Galdinus,
Abrahae quem tenet sinus,
Quo quiescit feliciter
Atque delectabiliter.

7. Cogitat assidue
De morte Galdinus,
Spernens transitoria
Velut peregrinus,
Putans contemptibile,
Quod non videt stabile.

8. In Galdino Dominus
Loqui videbatur,
Cum pastor ad populum
Docens loquebatur.

9. Magnificemus Dominum
Cum laudibus magnificis,
Galdinum qui magnificat
Virtutibus mirificis
Et locat mansionibus
Aeternae vitae coelicis.

10. Galdinum fidelissimum
Miraculorum gratia
Mirificavit Dominus
Mirabili potentia.

11. Obedire Federico
Galdinus constans noluit,
Qui respuens schismaticos
Peregrinari maluit.

12. Mediolani civitas,
Adsit tibi jucunditas,
Gaudiis gaude festivis,
Nam Galdinus, tuus civis,
Gaudet consors concivium
Felix factus coelestium.

13. In milleno centesimo
Anno septuagesimo
Sexto Christi coelestium
Galdinus scandit solium.

Post Kyrie.

A. Sanctus Galdinus pontifex
Per pietatis opera
Fuit in domo Domini
Ut oliva fructifera,
Qui locum habens gloriae
Nunc regnat super sidera.

2. In Vigiliis sancti Barnabae.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Ad lucem verae fidei
Luce divinae gratiae
Ductus, beatus Barnabas
Factus est lux ecclesiae.

V. Insignis hic apostolus
Afflatus sancto flamine
Beata luce fruitur
Cum beatorum agmine.

In Choro.

A. Apostolorum coetui
Et martyrum consortio,
Confessorum conventui
Et virginum collegio
Devotas laudes concinat
Mediolani regio,
Qui suos cives visitant
Et suo magisterio
Docent ipsos cum Barnaba,
Sancto doctore praevio.

Cum Infantibus.

R. Pastorem nostrum Barnabam
Collactantes honoremus,
Mediolani concives,
Ac devote collaudemus,

V. Ut nobis apud Dominum
Advocatus sit supremus,
Cujus semper praesidium
Nos ubique invocemus.

A. Adducit Paulum Barnabas
Ad urbem Antiochiae,
Ut ibi ambo praedicent
Consortes Christi gratiae.

A. Corpus pro Christi nomine
Dat Barnabas incendio,
Qui nunc cum sanctis omnibus
Aeterno gaudet praemio.

In Magnificat.

A. Magnificemus jugiter
Christum, nostrum redemptorem,
Qui Barnabam apostolum
Mundo praebuit doctorem.

Psallentium in Baptisterio.

Sanctis nos reverendi
precibus Barnabae,
Mundi redemptor, munde
Sine ulla labe,
Munda tuos famulos
peccatorum tabe,
Commendatos etiam
apud patrem habe.

Ad Vigilias.

R. Ortus in Cypro Barnabas
Levitica prosapia,
Factus Christi discipulus,
Ejus sequens vestigia
Terrena cuncta despicit,
Amplectitur coelestia.
V. Discipulorum numero
Septuaginta jungitur
Duorum, post apostolus
Qui merito efficitur.

A. Directus a discipulis
Collectam indigentibus
Vir Barnabas misericors
Dispersit, dedit fratribus.

R. Mandato sancti spiritus
Hic in opus segregatur
Verbi divini Barnabas,
Quod per ipsum praedicatur;
V. Hic plenus sancto spiritu
Studiosus praedicator
Verbum divinum seminat,
Fructuosus seminator.

A. Hic Barnabas, paraclito
Plenus, multos consolatur,
Quos pane pascit triplici,
Ut scriptura protestatur.

R. Sanctum collauda Barnabam,
Praegrandis Antiochia,
Festivis hunc praeconiis
Cole, Romana patria,
Ambrosiana civitas,
Honora hunc, egregia;
V. Qui nobis salutifera
Dat fidei exordia,
Quibus ab idolatriae
Nos revocat stultitia.

A. Hunc sanctum suum Barnabam
Miraculorum gratia
Christus Jesus mirificat,
Qui coeli regnat patria.

Psallentium.

Per Barnabam magnanimum
Paulus audacter ducitur
Ad pavidos apostolos,
Quos hic olim persequitur.

R. Deus, semper mirabilis
In sanctis suis omnibus,
Mirificavit Barnabam
Miraculis in gentibus;
V. Ostendit signa Dominus
Judaeis et gentilibus,
Quibus ad fidem veniant,
Discedant ab erroribus.

Psallentium.

Apostole nos Barnaba,
Tuis orationibus
A cunctis purga vitiis
Informaque virtutibus.

Post Kyrie.

Exora Christum, Barnaba,
Ut nobis suam gratiam
Hic praestet suis famulis
Et in futuro gloriam.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Primus in apostolica
Fide fundat ecclesiam
Mediolani Barnabas
Ad Jesu Christi gloriam,
Quam postea metropolim
Constituit egregiam.
V. Super hujus fundamentum
Martyres aedificant,
Confessores et virgines
Hanc etiam magnificant.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Apostolus hic Barnabas
Primus fuit ecclesiae
Mediolani pontifex
Clarus urbis egregiae,

V. Quam ipse ab erroribus
Emundat idolatriae,
Anatelonem praesulem
Sibi praebens et Brixiae.

2. Per manus sancti Barnabae
Discipuli egentibus
Ministrant elemosynas
Amore Christi fratribus;
V. Beati sunt, qui porrigunt
Largas manus pauperibus,
Super eos intelligunt,
Subveniunt inopibus.

In Benedictus.

A. In omnibus operibus
Virilis atque strenuus
Fuit honestis moribus
Hic Barnabas praecipuus.

Ad Crucem.

A. Signum crucis veneremur
Et cum ipsa gloriemur,
Qua Jesus Christus, creator
Mundi nec non et salvator,
Offert se sacrificium
Salutis nostrae pretium,
Cui Barnabas eximiam
Dat se per ignem hostiam.

In Cantemus.

A. Regi regum decantemus
Et in ipso exsultemus,
Barnabam nos honoremus,
Honorando collaudemus.

In Benedicite.

A. O venerande Barnaba,
Patris aeterni filium
Roga, ut suis famulis
Suum donet auxilium.

In Laudate.

A. Laudemus Dei filium,
Qui Barnabam egregium
Per multiplex supplicium
Duxit ad regni solium.

Psallentium.

O propheta Barnaba,
Martyr et apostole,
Libera depressos
Nos sub peccati mole,
Nos et ad coeli patriam
Precibus attolle,
In qua mater virgo regnat
Cum regali prole.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Sancti Paulus et Barnabas
Non ira, non discordia
Divisi sunt ab invicem,
Sed Dei providentia,
Ut separati praedicent
Christi sermonem pluribus,
Fructificent et singuli
Diversis mundi partibus.

2. A venerando Barnaba
Dum templo maledicitur,
Quo festum a gentilibus
Nefando cultu colitur,
Ejus parte corruente
Ingens turba opprimitur.

3. Per Paulum atque Barnabam
Verbum .divinae gratiae
Sic crescit et multiplicat
Diffusum Antiochiae,
Ut in ea nominentur
Christianorum nomine
Conversi per discipulos
In magna multitudine.

4. Asserunt quidam Barnabam
Natum ex Christi sanguine,
Sanctae Mariae filium,
Sororis nostrae dominae.

5. Festivas laudes Barnabae
Urbs canta Brixiensium,
Anatelonem tibi dat
Doctorem hic eximium,
Qui te ducit de tenebris
Et gentium stultitia
Ad Christum, qui est vera lux
Et patris sapientia.

6. Joseph augmentum Barnabas
consolationis
Atque prophetae filius
et conclusionis
Auget sanctam ecclesiam
doctrina sermonis,
Hic egentes consolatur
clemens Dei donis,
Prophetat multos claudens
in fide unionis.

7. Apparet Christus Barnabae,
Quem sic hortans alloquitur:
Esto tu constans, Barnaba,
Aeternum tibi dabitur
Supernae vitae praemium
Pro eo, quod reliqueris
Pro me genus et patriam
Et animam tradideris.

8. Timonem sanat Barnabas,
Gravatum magnis febribus,
Quem sanus gaudens sequitur
Ipse non tardis gressibus.

9. Collata sibi Barnabas
In proprium subsidium
Distribuit misericors
In usus indigentium.

10. Perlustrat hic provincias
Verbum Christi praedicando,
Convertit iste plurimos
Ipsos simul baptizando.

11. In multa patientia
Hic Barnabas supplicia
Dira suffert et varia
Pro Jesu Christi gloria.

12. A cunctis, sancte Barnaba,
Defende nos periculis,
Funde preces ad Dominum
Pro nobis tuis famulis.

13. O civitas egregia,
Illustris in Italia,
Pange laudes, tu Brixia,
Dic Barnabae praeconia,
Qui per divinam gratiam
Tuam creat ecclesiam
Cathedralem eximiam
Ad Jesu Christi gloriam.

Post Kyrie.

A. O regio Italica,
Collauda Dei filium,
Qui tibi misit Barnabam
Solemnem suum nuntium
Ad praedicandum omnibus
Salutis evangelium.

3. In Vigiliis sanctorum martyrum Naboris et Felicis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Nabor et Felix, genere
Mauri, divino munere
Cultum spernunt idolorum,
Regem colunt angelorum.

2. Fide fuerunt milites
Christi athletae incliti,
Justitiae operibus
Nabor et Felix dediti.

3. Non seducti blandimentis,
Non promissis, non tormentis
Nabor et Felix idola
Colunt, sed spernunt frivola.

4. Muniti scuto fidei
Et lorica justitiae
Nabor et Felix pugiles
Fortes sunt Christi acie.

5. Quam Naboris et Felicis
Mors sanctorum pretiosa,
Qui tyrannos prosternentes
Palma gaudent gloriosa.

Ad Magnificat.

A. Nabor et Felix martyres,
Virtutibus magnifici,
Magnificate Dominum,
Chori concives coelici,

Qui sua vos magnifica
Magnificavit gloria,
Magnificandos laudibus
Festiva cum laetitia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deo nostro salutari
Exsultantes jubilemus
Atque beatos martyres
Reverenter honoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Capti a Maximiano
Diro clauduntur carcere
Nabor et Felix, milites
Insignes, Mauri genere.
2. In fidei certamine
Divina fortitudine
Sancti vincunt supplicia
Cum triumphali gloria.
3. Quam Naboris et Felicis
Est beata militia,
Quam Dominus remunerat
In supernorum patria.

Responsoria.

1. Festum sanctorum martyrum
Celebremus solemniter,
Revereamur martyres
Omnes honorabiliter
Naborem atque Felicem
Triumphantes feliciter.
V. Quorum beatis meritis
Suffragiis et inclitis
Tanto magis adjuvamur,
Hos quo magis veneramur.
2. Terram Mauritaniae
Natale solum deserunt,
Ad partes Italiae
Nabor, Felix se transferunt,
Qui pro Christi nomine
Mortem laude suscipiunt
Et coelestes incolae
Veram vitam inveniunt.
V. Reverendorum martyrum
Quam felix est collegium,
Quibus in Christum credere
A Deo privilegium
Datur et vitam ponere
Pro Christo per martyrium.
3. Quem salvatorem hominum
Concepit virgo virginum,
Laudemus omnes Dominum,
Sanctorum decus agminum.
V. Stolas pro cujus nomine
Laverunt agni sanguine
Nabor atque Felix pii
Cum triumpho martyrii.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fidem inexpugnabilem
Superare non potuit
Tyrannorum saevitia,
Quae pugnando succubuit.
2. Cum Victore Nabor, Felix
Consocii martyrio,
Fide concives, patria,
Sunt et coronae praemio.
3. Immissi sancti martyres
Nabor et Felix ignibus
Egressi sunt incolumes
Nullis adusti partibus.

Responsoria.

1. Sapientes exstiterunt
Nabor Felix, qui spreverunt
Cuncta transitoria
Atque Christum dilexerunt,
Pro quo mortem subierunt
Cum triumphali gloria.
V. Armis muniti fidei,
Veri Christi zelatores,
Carnem, mundum, diabolum
Fortes vincunt bellatores.
2. Sunt decollati martyres
Juxta flumen Exeleram,
Qui pro perenni gloria
Vitam hanc spernunt miseram,

Desiderantes potius
Pro Christo vitam perdere,
Quam immolare idolis
Et falso mundo vivere.
V. Vita vivunt sine morte
Beatorum sumpta sorte,
Qui pro Christo jugulati
Sunt ab ipso coronati.

3. Religiosum studium
Sabinae transfert feminae
Mediolanum corpora
Passa pro Christi nomine,
Imposita vehiculo
Devoto donans populo.
V. Urbs Mediolanensium,
Hanc Sabinam venerare,
Quae thesauro ditissimo
Procuravit te ditare.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fuerunt sancti martyres
In Christi viridario
Olentes rosae rubeae
Rubricati martyrio.

2. Philippi viridarium
Sanctorum est hospitium
Cum Christo jam regnantium
Et fratrum hic degentium.

3. Exsultant nunc in gloria
Sancti cum sanctis omnibus,
Nabor et Felix martyres
In supernis cubilibus.

Responsoria.

1. Mediolani civitas,
Adsit tibi jucunditas,
Quam sanctorum praesidium
In te requiescentium
Tuetur ab insidiis
Et hostium nequitiis.
V. Nabor et Felix precibus
Piis tibi subveniunt,
Quorum beata corpora
Locum in te recipiunt.

2. In Naboris et Felicis
Festivo natalitio
Festivas laudes resonet
Christianorum concio,
Ipsos cum reverentia
Honoret et cum gaudio.
V. Dei nimis honorandi
Sunt amici et laudandi,
Quem in sanctis honoramus,
Honorantes collaudamus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctos Christus induit
Mira fortitudine,
Praecinxit virtutibus
In omni certamine,
De quorum Nabor, Felix
Sunt beato agmine.

2. Nabor, Felix, exsultate,
Deo Jacob jubilate,
Qui vos passos honoravit
Et depressos exaltavit.

3. Nabor, Felix ad Dominum
Sancti de luce vigilant,
Qui fidei et operum
Splendore clari rutilant.

4. Deum benedicite,
Coeli, terra, maria,
Hymnum sibi dicite,
Qui creavit omnia,
Pro quo Nabor et Felix
Passi sunt martyria.

5. Collaudemus solemnibus
Deum in sanctis laudibus,
Quem Nabor, Felix patria
Dignum collaudant gloria.

Ad Benedictus.

A. O gloriosi martyres,
Nabor et Felix, fundite
Pias preces ad Dominum,
Pro nobis intercedite,
Ut hic det nobis gratiam
Et in futuro gloriam.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudeant fratres Minores,
Crucifixi zelatores,
Hospites facti sanctorum
Martyrum et confessorum.

2. Sancti loqui non trepidant
Coram regum saevitia,
Quos amor Christi fecerat
Audaces cum constantia.

3. De pretioso lapide
In martyrum capitibus
Coronas ponit Dominus,
Qui coeli gaudent sedibus.

4. Sancti regna contempserunt,
Quae per fidem devicerunt,
Operati justitiam
Sunt consecuti gloriam.

5. Jacent sanctorum corpora
Pacis sepulta requie,
Semper ipsorum nomina
Vivent vita memoriae.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum
Magnificum per omnia.
Qui Naborem et Felicem
Pia magnificentia
Magnifice magnificat
In supernorum patria;
Hos laudibus plebs omnium
Magnificet fidelium.

In Commemoratione.

A. Hortus Philippi redolet
Rosis, violis, liliis,
Martyribus, virginibus
Et confessoribus piis.
Quorum pars peregrinatur,
Pars cum Christo gloriatur.

4. In Vigiliis beatae Annae.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Anna Mariam peperit,
Insigne decus virginum,
Ex qua lux lucis prodiit,
Christus, salvator hominum;
V. Qui mundum luce gratiae,
Splendor paternae gloriae,
Coelestis rex militiae,
Ducit ad lumen patriae.

In Choro.

A. Intemeratae virginis,
Sanctae tuae propaginis,
Matris Dei et hominis,
Praelatae cunctis feminis,
Anna, precare filium,
Ut se reddat propitium,
Nobis donans auxilium,
Ipse redemptor omnium.

Cum Infantibus.

R. Beatae Christi aviae
Diem festum celebremus
Omnes cum omni gaudio,
Annam sanctam honoremus
Solemni cum tripudio.
V. Honoris privilegio
Sublimatur singulari,
Avia Dei filio
Anna facta sine pari,
Cujus subsunt imperio
Cuncta coelo, terra, mari.

A. Anna, divino munere
Datur tibi concipere
Christi matrem singularem,
Quae non novit unquam marem.

A. Gaude, Bethlehemitica
Urbs, quam honoravit Anna,
De tuo ipsa sanguine
Mater est nostrae dominae.

In Magnificat.

A. Gaude, coetus Christiane,
In solemni festo Annae
Melodias dulces cane,
Ora Christum, ut nos sanae
Mentis coeli pascat pane.

Psallentium in Baptisterio.

O singularis avia
Christi, tui conditoris,
Ex qua processit filia,
Mater nostri redemptoris,
Perduc nos via regia
Ad adspectum salvatoris,
Ubi omnis laetitia,
Nulla facies moeroris.

R. Arbor Anna fructuosa,
Germen paris gloriosa,
De te nata velut rosa
Est Maria speciosa,
V. Ex qua Christus est productus,
Lignum vitae, dulcis fructus,
Quo ad coelum est reductus
Homo per Satan seductus.

A. Anna, paris stellam prolem,
Quae producit mundo solem,
Hanc obsequiis dedisti
Tu divinis, ut vovisti.

R. Duas sorores legimus
Annam atque Ismeriam,
Quarum dat mundo quaelibet
Valde prolem eximiam,
V. De prima nempe nascitur
Mater nostri salvatoris,
Ex altera progreditur
Sancta parens praecursoris.

A. Mater matris Dei, Anna,
Te plebs laudet Christiana
Corde sed non voce vana,
Mentes nostras clemens sana.

R. Haec per duplex decennium
Non habens Anna filium
De legali conjugio,
Dat creatori omnium
Corde pio votum pium,
Divino quod obsequio
Illam prolem manciparet,
Deus sibi quam donaret.
V. Datur piis parentibus
Sanctum votum voventibus
Praeoptata proles pia,
Virgo virginum Maria.
Quam divinis, ut voverunt,
Mancipare curaverunt.

A. Anna, mater matris Dei,
Te rogamus omnes rei,
Cujus nati Zebedaei
Sunt nepotes et Alphaei.

Psallentium.

Non inter Juda principes
Tu, Bethlehem, es minima,
Per Annam dux egreditur
De te, proles altissima,
Christus, qui regit populum
Cum supernis et infima.

R. Anna sancta, concepisti
Piam matrem Jesu Christi,
Per quam datur mundo tristi
Salus atque redemptio.
V. Suum natum deprecare,
Ut dignetur nobis dare,
Quod possimus conregnare
In sanctorum collegio.

Psallentium.

Rex sempiternae gloriae,
Fili virginis Mariae,
Tu precibus nos aviae,
Fac tuae cives patriae.

Post Kyrie.

Angelus a Deo missus
Annam flentem consolatur,
Dum de viro redeunte
Prolem sibi dari fatur.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Felix Anna, fecundaris
In tribus propaginibus,
Quae tres Marias concipis
Amoenis plenas fructibus:
Prima fuit expers maris
Deum praebens hominibus,
V. Secunda Judam, Simonem
Dat et Jacobum minorem,
Parit Johannem tertia
Haec et Jacobum majorem.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Angelus ait Joachim:
Pariet Anna filiam,
Quam tu Mariam nomine
Vocabis piam regiam,
Spiritus sancti gratia
Repletam ab infantia
V. Genitus mirabiliter
Natus misericorditer
Ex ista Christus omnium
Erit salvator gentium.

2. Anna cum viro Joachim
Ad templum ducit virginem
Deo donantem munera,
Quae parit Deum hominem,
De regali progenie
David trahens originem.
V. Dimissa a parentibus
Cum aliis virginibus,
Ab angelis quotidie
In templo visitabatur,
Haec omnis plena gratiae
Semper Deo fruebatur.

In Benedictus.

A. Profecit in virtutibus
Dimissa a parentibus
Maria in templo Dei,
Qua salvantur omnes rei.

Ad Crucem.

A. Sint in jugi memoria
Passionis supplicia,
Quae patris sapientia
Peccato non obnoxia
In cruce suffert varia,
Per quae ad coeli gaudia
De inferni miseria
Ducit nos cum victoria
Natus ex Annae filia.

In Cantemus.

A. Anna sancta, jucundare,
Meruisti quae portare
Mariam mundi reginam
Peccatorum medicinam.

In Benedicite.

A. Benedicat Anna Deum,
Mater virginis Mariae,
Quae nunc gaudet cum filia
Coelestis consors gloriae.

In Laudate.

A. Omnes fideles populi
Divinis instent laudibus,
In festo Annae jubilus
Sit in eorum cordibus.

Psallentium.

Anna, Deum semper laudes,
Quae Mariae nunc congaudes
In supremo sita poli,
Omni laude digna coli,
Maris stella sociata,
Sanctis choris aggregata.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Felix tua progenies,
De qua vera lux et dies,
Anna, Christus exoritur,
Per quem nox taetra pellitur.

2. Mater matris Jesu Christi,
Tuo lacte quam nutristi,
Ab inferni morte tristi
Tuos devotos libera,
Ne tormentorum onera
Subeamus mortifera.

3. Ex nobili prosapia
Descendit Annae filia,
Maria, virgo virginum,
Spes atque decus hominum.

4. Ad portam dictam auream
Anna marito obviat,
Juxta sermonem angeli
Optata qui renuntiat.

5. Ex Nazareno Joachim
Florido floriferam
Floris campi Jesu matrem,
Virginem puerperam,
Domum panis de Bethlehem,
Anna, das Christiferam.

6. Anna clemens, roga Christum,
Ut expurget mundum istum
A peccatorum sordibus
Informetque virtutibus.

Post Kyrie.

Est donans vel donatio
Annae interpretatio,
Sibi donatur nobilis
Virgo, cui nulla similis,
Haec Maria, stella maris,
Quam tu donans, Anna, paris.

In 2. Vesperis.

R. Ex Anna diu sterili,
Divino dono fertili,
Maria, virgo nobilis,
Processit ramis utilis,
Cujus fructus magnificus
Christus Jesus vivificus;
V. Qui suavis est odore,
Fructus dulcis in sapore,
Speciosus in decore,
Pretiosus in valore.

5. In Vigiliis sanctae Perpetuae, matris sancti Nazarii.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Laudemus omnes Dominum,
Cunctorum lumen hominum,
Christum, solem justitiae,
Rogantes ipsum hodie,
V. Ut meritis Perpetuae
Illustret nos assidue
Luce vitae perpetuae.

In Choro.

A. Mater Nazarii pia,
Esto nobis propitia,
Dans per tua suffragia
Nobis aeterna gaudia.

Cum Infantibus.

R. Sanctae festum Perpetuae
Celebremus solemniter,
Ejus laudes magnificas
Personemus suaviter
Et hanc devotis precibus
Imploremus humiliter,
V. Ut ipsa roget Dominum
Pro nobis efficaciter,
Quod ad aeternam gloriam
Perducat nos feliciter.

A. Fuit in domo Domini
Ut oliva fructifera
Perpetua misericors,
Nunc gaudens super sidera.

A. Suscitat Perpetua
Mamurtini filium
Unicum a mortuis
Per pium suffragium.

In Magnificat.

A. Cum laudibus magnificis
Magnificet ecclesia
Perpetuam magnificam,
Nunc in coelesti patria
Cum qua gaudet Nazarius
Magnificus in gloria.

Psallentium in Baptisterio.

Gaude, mater Perpetua,
De filio Nazario,
Cum quo beata frueris
Aulae coelestis gaudio.

Ad Vigilias.

R. Fuit sancta Perpetua
Civis Romana nobilis,
Africani Afri uxor,
Cultu viro dissimilis;
Iste servat Mosaicam,
Haec legem evangelicam;
V. Haec moribus insignior,
Fide venerabilior,
Maritum atque filium
Regi conjungit omnium.

A. Exuberat Perpetua
Pietatis operibus,
Ministrans necessaria
Largiflue pauperibus.

R. Succurrere, Perpetua,
Digneris tuis precibus
Nobis devotis famulis,
Tuum festum colentibus;
V. Implora nobis gratiam,
Per quam ingressis patriam
Det nobis Christus gloriam.

A. O quam felix progenies
De te nata, Perpetua,
Nazarius in martyrum
Sorte gaudens luciflua.

R. Suum convertit conjugem
Africanum Perpetua,
Quem baptismi aqua lavat
Papa Linus mundiflua;
V. Haec filium Nazarium
Christi doctrina imbuit,
Qui baptizatus a Lino
Martyrium sustinuit.

Psallentium.

A morbo cancri liberat
Perpetua Servilianı,
Insigne hoc miraculum
Patrans ad Dei gloriam.

R. Solemnis sit festivitas
Et festiva solemnitas
Nobis sanctae Perpetuae,
V. Ipsam hymnis et canticis
Et laudibus magnificis
Honoremus assidue.

Aliud Psallentium.

Christum, mater Nazarii,
Pro nobis tuis famulis
Exora, ut nos collocet
Supernis habitaculis.

Post Kyrie.

Tumulat Perpetua
Diligenti studio
Propter Christum corpora
Exstincta martyrio.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Africane felix, gaude.
Christum dignum omni laude
Lauda manibusque plaude,
Qui conjugem et filium
Misisti ad collegium
Supernorum concivium.
V. Isti, nostrum refugium
Apud patrem et filium,
Praestent nobis auxilium.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Misericors Perpetua,
Subveniens pauperibus,
Hos pascit, vestit, visitat
Et colligit in domibus
V. Felix, quae super pauperes
Pio corde intelligit
Et consolari miseros
Amore Christi eligit.

2. Perpetua, Nazarii
Consors est facta filii,
In sanctorum collegio
Perenni fruens gaudio.

V. Gaudet chorus coelestium,
Qui cum matre Nazarium
Assumpsit sibi socium.

In Benedictus.

A. Benedicatur Dominus,
Qui matrem cum Nazario
Benedixit in patria
Hos donans alto praemio.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra redemptio,
Praesta, ut crucis passio
Sit nostra gloriatio,
Per quam mundum redemisti,
Morte mortem destruxisti,
Vita vitam reddidisti,
Cujus fidem celeriter
Perpetua et firmiter
Recepit et salubriter.

In Cantemus.

A. Cantemus laudes Domino,
Redemptori omnium,
Cujus dono Perpetua
Peperit Nazarium.

In Benedicite.

A. Benedicite Dominum,
Omnia ejus opera,
Cum quo sancta Perpetua
Laetatur super sidera.

In Laudate.

A. In festo Perpetuae
Laudet plebs assidue
Devota fidelium
Salvatorem omnium.

Psallentium in Baptisterio.

Da meritis Perpetuae,
Matris sancti Nazarii,
Christe, nobis perpetuam
Vitam coelestis gaudii.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Felix sanctae Perpetuae
Proles, sanctus Nazarius,
Qui est coelesti gloria
Factus sibi consocius.

2. Apparuit Perpetua
In visione filio,
Quae jam coelum intraverat,
Dicens sancto Nazario:
Transi ad partes Galliae,
In quibus regis gloriae
Praedices evangelium,
Qui est salus credentium.

3. Nobis, sancta Perpetua,
Praesta tuum praesidium,
Ut currentes in stadio
Comprehendamus bravium.

4. Per fidelem Perpetuam
Infidelis vir salvatur
Africanus, Judaismo
Qui relicto baptizatur.

5. Sanctus adhaesit spiritus
Beato Nazario,
Super quem matris anima
Gaudet magno gaudio.

6. Sanctae festum Perpetuae
Concelebrantes annue,
Christe, peccatis exue
Virtutibusque imbue.
His bona cuncta tribue.

Post Kyrie.

Per Linum pontificem
Sepulturae traditur
Beata Perpetua,
Cujus festum colitur.

6. In Vigiliis Assumptionis BMV.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Maria, virgo virginum,
Aaron virga florida,
Lumen produxit luminum,
Stella prae cunctis lucida.
V. Haec, quam in terris filius
Replevit luce gratiae,
Repleta fuit hodie
In coelis luce gloriae.

In Choro.

A. O quam festivum gaudium
Est supernorum civium
De matre juxta filium
Sedente super regium
A dextris nati solium.

Cum Infantibus.

R. Assumptionis virginis
Festum venerabiliter
Fideles colant populi,
Honorent et solemniter,
Cantent ejus praeconia
Et personent suaviter.
V. Haec virgo immaculata,
Mater Dei Deo grata,
Est in coelis exaltata
Et a Christo coronata.

A. Ut oliva fructifera
Per pietatis viscera
Mater misericordiae
Ascendit thronum gloriae.

A. In vestitu deaurato
A dextris tuis, Domine,
Stat regina variato,
Cincta virtutum agmine.

In Magnificat.

A. Matrem Christi magnificam
Praeconiis magnificis
Magnificet ecclesia
Cum hymnis atque canticis,
Quae hodie praeficitur
Sanctis choris angelicis.

Psallentium in Baptisterio.

Pia mater salvatoris,
Sociata coeli choris,
Nos commenda cunctis horis
Pietati conditoris,
Ut nos salvet intus, foris
Gratia tui amoris.

Ad Vigilias.

R. Gaudet coetus coelestium,
Quod mater regis omnium
Conscendit regni solium
Assumpta juxta filium,
Spes nostra et refugium.
V. Genitrix Dei deorum
Super choros angelorum
Exaltata est, cunctorum
Advocata peccatorum.

A. Gratiosa mulier
Tunc invenit gloriam,
Cum, vas plenum gratiae,
Virgo intrat patriam.

R. Admirabantur angeli,
Dum cernerent ascendere
Matrem innixam filio,
Deliciis affluere
Ac ipsi reverentiam
Christum tantam impendere.
V. Mater Dei regalibus
Choris tripudiantibus
Est deducta coelestibus.

A. De valle miseriae
Ad regni palatium
Virgo mater ducitur
Per dilectum filium.

R. Dilecte fili, dexterae
Meae manum tenuisti,
In voluntate virginem
Tua matrem deduxisti,
Cum gloria magnifica
Exaltatam suscepisti;

V. In sede tuae gloriae
Genitricem exaltasti,
Legem implens Mosaicam
Excellenter honorasti.

Psallentium.

Exaltatur hodie
hominis natura
In Maria virgine,
matre Dei pura,
Ejus super angelos
posita statura,
Quae humana exstitit
felix creatura.

R. Quae est ista, quaerentibus
Angelicis spiritibus,
Ascendentem cernentibus,
Responsio sit omnibus:
V. Haec mater Dei nobilis
Est, angelis mirabilis,
Hominibus amabilis,
Daemonibus terribilis.

Psallentium.

Virgo, stella matutina,
Hospes facta coelestina,
Infirmorum medicina,
Omnes sana nos, regina,
Vitiorum de sentina
Trahe nos ac de ruina.

Post Kyrie.

A. Supportat matrem filius
Assumens super sidera,
Quem virgo beatissima
Portavit intra viscera.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Angelorum domina,
Sine pari femina,
Coeli scandens culmina
Sancta lustrat agmina
Et nobis juvamina,
Pia dat precamina.

V. Ipsam Christus amplectitur,
Per quem throno imponitur,
Cum laudibus recipitur,
Sanctis cunctis praeficitur.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Surgens de throno Salomon
Matri occurrit obviam,
Hanc Christus, rex pacificus,
Honoris reverentiam
Matri reginae contulit
Intranti suam curiam;
V. Matrem misericordiae,
Repletam dono gratiae,
Recepit Christus hodie
In gloria, rex gloriae.

2. Virgo, sponsa, puerpera,
Quae sine pari altera,
Surge, veni et propera,
Conscendens super sidera
Oblata sume munera;
V. Ad coronam invitata
Es de Libano vocata,
Virgo, sponsa candidata,
Super coelos sublimata.

In Benedictus.

A. Benedicatur Dominus
Natus ex Annae filia,
Quam benedixit hodie
Ipsam sumens in patria.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra redemptio,
Praesta, ut crucis passio
Sit nostra gloriatio,
Per quam mundum redemisti,
Morte mortem diluisti,
Vitam vita reddidisti,
Genitricem sublimasti,
Sublimatam honorasti.

In Cantemus.

A. Cuncti fideles populi
Cantent Deo gloriose,
Qui gloriam perpetuam
Matri dedit gratiosae.

In Benedicite.

A. Beata coeli agmina,
Deum benedicite
Ac de assumpta virgine
Nato ejus psallite.

In Laudate.

A. Nos in assumptae virginis
Festo laudemus Dominum,
Quam ad superna gaudia
Duxit redemptor hominum.

Psallentium in Baptisterio.

Nos adjuva, Christifera,
Quae regnas super sidera,
Nostrorum sana vulnera
Peccatorum mortifera,
Da semper salutifera
Perficere nos opera.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Totus festivus obvius
Occurrit matri filius,
Quam processionaliter
Septem choris coelestibus
In regnum ducit gloriae
Dulces odas canentibus.

2. David et domus Israel
Ducunt arcam cum gaudio,
Et matrem Dei angeli
Ducunt innixam filio
In supernam Jerusalem
Sanctorum coetu praevio.
Circumdant flores rosei
Et lilia convallium,

3. Caterva rubra martyrum,
Virginale collegium
Matrem Dei et violae
Confessorum humilium
Scandentem super sidera,
Reginam factam omnium.

4. Columbam, mite animal,
In arcam Noe intulit,
Cum intra regnum coelicum
Mariam Deus extulit,
Quem simplex et mitissima
Virgo columba protulit.

5. Rependit vicem filius
Matri innixae filio,
Quem ipsa beatissima
Saepe portavit gremio.

6. In coelis Christus merito
Donavit habitaculum
Matri, quae suum fuerat
In terris tabernaculum.

7. In sancto, quod creaverat,
Quievit tabernaculo
Christus, qui novem mensibus
Matris fuit corpusculo.

8. Virgo, Dei genitrix,
Super omnes gratiosa,
Hodie praeficitur
Super omnes gloriosa.

9. Annae recepta filia
Nunc in superna patria
Consociatur filio
Perenni fruens gaudio.

10. Decoram habens faciem,
Rex, virgo, tuam speciem
Concupiscens desiderat,
Qui pulchram te zelaverat.

11. In terris Dei genitrix
Super omnes humillima,
Super omnes efficitur
Coeli sanctos altissima.

12. Floris Christi florifera,
Quae sedes super sidera,
De valle nos hac misera
Transfer ad bona supera.

Post Kyrie.

A. Anna, gaude felix mater,
Cujus nepos tuus pater,
Christus homo noster frater,
Cujus mater egregia
Tua dilecta filia
Migravit ad coelestia.

In 2. Vesperis.

In Choro.

R. Ascendit sicut virgula
Fumi ex aromatibus
Mater Dei proficiens
Et crescens in virtutibus,
Ut dies verni redolens,
Rosarum septa floribus;
V. Hanc lilia convallium
Et cuncta florum genera
Regni scandentem solium
Circumdant odorifera.

7. In Vigiliis Nativitatis BMV.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Orta stella resplenduit,
Quae verum solem genuit,
Christum, lumen de lumine,
Deum natum de virgine;
V. Matrem in terris filius
Luce lustravit gratiae,
In coelis hanc illuminans
Splendore suae gloriae.

In Choro.

A. Interpretata gratia
Produxit Anna hodie
Omni repletam gratia,
Matrem regis clementiae,
Quae nobis gratum protulit
Datorem omnis gratiae.

Cum Infantibus.

R. Festum de nata virgine
Plebs celebret catholica,
Cantet et hujus hodie
Praeconia magnifica;
V. Nulla lingua taceat
Laudes Mariae virginis,
Quam felix Anna peperit
Davidicae propaginis.

A. Regina venerabilis,
Exorta felix hodie,
Adstat a dextris filii
Veste vestita gloriae.

A. Sanctificavit Dominus
Mariae tabernaculum,
Quod postea ingreditur
Ad redimendum populum.

In Magnificat.

A. Magnificate Dominum,
Omnes fideles populi,
Ejus matrem magnificam
Natam laudate seduli,
Ex qua rex est magnificus
Natus redemptor saeculi.

Psallentium in Baptisterio.

Adjuvare nos festina,
Nata stella matutina,
Vitiorum nos de spinis,
Virgo, duc ac de ruinis,
Fac vitare nos infernum,
Regnum nobis da supernum.

Ad Vigilias.

Post hymnum.

R. Anna gaude fructifera,
De qua virgo Christifera
Processit salutifera,
De Nazareth haec florida
Producens florem nitida
Fert Christum fructum lucida;
V. Cujus sapor dulcissimus
Et odor suavissimus
Valor pretiosissimus
Et decor venustissimus.

A. Ancilla parit dominam
Et matrem ejus filia,
Dum ex Anna producitur
Cunctorum mater regia.

R. Nobis succurre miseris,
Nata proles deifera,
De vinculis mortiferis

Nos, pia virgo, libera,
Ne damnemur cum inferis
Propter patrata scelera.
V. Nos, spes humani generis,
Tuo nato confoedera,
Fac, ut fruamur superis
Per sanctitatis opera.

A. De Jesse virga pullulat,
Quae duces Moab stimulat,
Percutiens daemonia,
Tollens ejus imperia.

R. Gaudeamus de puella,
Regis David parentela
Nata ut sol, luna, stella;
Haec est virgo Dei cella,
Hostis nostri frangens tela,
Concitantis saeva bella;
V. Per hoc mare nos, Maria,
Regat, ducat mater pia
Pietatis suae velis,
Ne mergamur in procellis.

A. Matrem fundat altissimus
Aeterna sapientia,
In qua Deus efficitur
Homo de stirpe regia.

Psallentium.

De radice prodiit
Jesse virga florida,
Virgo florem proferens,
Stella maris fulgida.

R. Domum fundavit Dominus
Beatam sibi virginem,
Qua factus homo recipit
Veram carnis originem;
V. Domus lata caritate,
Alta stat humilitate,
Munda per castimoniam,
Haec firma per constantiam.

Psallentium.

Ex justis ante Dominum,
Virgo, nata parentibus,
Tuum nobis propitium
Natum fac tuis precibus.

Post Kyrie.

Singularis peccatorum
Spes, regina supernorum,
A languore nos cunctorum
Sana, virgo, vitiorum,
Nos ad regna duc polorum.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Christe, proles deiferi
Nate Mariae uteri,
Clemens humano generi
Ope succurre celeri
Nos sorde mundans veteri,
Captivos datos sceleri;
V. Ut per te facti liberi,
Pio vacantes operi,
Vitemus poenas inferi.
Coetus consortes superi.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Verbi patris mater pura,
Ejus simul et factura,
Felix Annae genitura,
Nos defende pia cura;
V. Nos spernentes transitura
Duc ad bona permansura
Reddens nobis poli jura.

2. De Jesse virga floruit,
Quae salvatorem genuit,
Plana sine ramusculis,
Peccati carens tribulis,
Fuit et virga tenuis
Haec per rerum inopiam,
Virga semper flexibilis
Haec per misericordiam;
V. Haec virga recta jugiter
Est contemplans coelestia,
Haec Jesse virga aestuat
Amoris per incendia.

In Benedictus.

A. Sit Dominus ab omnibus
Benedictus viventibus,
Qui benedictionibus
Matrem replet coelestibus.

Ad Crucem.

A. Natae Mariae viscera
Portant hunc, lactant ubera,
Qui fecit terram, aethera,
Mare, coelum et sidera,
Passus in cruce vulnera
Pro nobis salutifera.

In Cantemus.

A. Cantemus laudes Domino,
Cujus matrem gratiosam
Beatam dicunt populi
Venerantes gloriosam.

In Benedicite.

A. In festo natae virginis
Coelum, terra, maria,
Benedicite Domino,
Qui creavit omnia.

In Laudate.

A. In tympanis et organis,
Chordis bene sonantibus
Natam laudemus virginem
Omnes cum sanctis omnibus.

Psallentium in Baptisterio.

Orta patre, matre claris,
Dignitate singularis,
Tu, quae Deum virgo paris,
Nos regina tuearis,
Ne nos undis mundi maris
Naufragemus in amaris.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Adsit nobis laetitia
Magna cum coeli curia
De nata matre regia,
Quae reparat coelestium
Statum atque terrestrium.

2. Ex Annae matris utero
Processit proles hodie,
Quae redemptorem peperit
Christum solem justitiae.

3. Exaltat Deus Joachim
Singulari dignitate,
Avum sibi praeeligens
Redimitum sanctitate,
Qui matrem Dei generat
Excellentem puritate.

4. Fecit magna Dominus
Mariae natae virgini,
Dum repletam gratia
Puro ipsam homini
Praetulit in gloria
Et superno agmini.

5. O quam felix, quam utilis
Est Mariae nativitas,
Qua tollitur miseria,
Datur nobis felicitas.

6. Nativitatem virginis
Colamus nostrae dominae,
Natae regum, prophetarum,
Patriarcharum sanguine.

7. Nata prae cunctis hodie
Mater Dei gratiosa
Super choros angelicos
Sublimatur gloriosa.

8. Arbor nata fructifera
Fructum profert Christifera,
Per quem de valle misera
Reducimur ad supera.

9. Ex patriarchae Abrahae
Orta virgo semine
Concepit Dei filium
Mystico spiramine.

Post Kyrie.

Omnes concives superi,
Magno gaudete gaudio,
Quos Dominus magnificat
Immenso beneficio,
Natam donans virgineam,
Reparatricem hominum
Et supernorum etiam
Restauratricem agminum.

8. In Vigiliis beati Maurilii Episcopi.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. Ut lux fuit Maurilius
In tenebris sedentibus,
Gentes caecas illuminans
Fide, verbis, operibus;
V. Hic quem in terris Dominus
Lustravit luce gratiae,
Nunc est in coelis lucidus
Luce perennis gloriae.

In Choro.

A. In maris mundi positos
Periculosis fluctibus,
Maurili pater, adjuva
Nos tuis sanctis precibus,
Qui salutis remedium
Donasti naufragantibus,
Duc nos ad portum gloriae,
Fac nos frui coelestibus.

Cum Infantibus.

R. Solemni cum laetitia
Fidelium ecclesia
Congaudeat Maurilio
In ejus natalitio;
V. Hujus sancti memoria
Sit cunctis venerabilis,
Ut hic in nostris precibus
Reddatur exaudibilis.

A. Praesul justus Maurilius
Laboravit finaliter,
Quem Christus nunc remunerat
In coelis aeternaliter.

A. Erit justus Maurilius
In aeterna memoria,
Qui nunc cum sanctis omnibus
Perenni gaudet gloria.

In Magnificat.

A. O Maurili, magnificis
Magnifica praeconiis
Christum, qui te magnificat
Cum gloriosis praemiis.

Psallentium in Baptisterio.

Maurili, nobis subveni
Tuis beatis precibus,
Defende tuos famulos
A malis imminentibus,
Vitam nostram nos agere
Fac in sanctis operibus.

Ad Vigilias.

R. A Martino Maurilius
Ordinatus est levita,
Sacerdos atque pontifex,
Cujus viri tota vita
Fuit ab annis teneris
Sanctitate redimita;
V. Corpus conculcans proprium
Hic frequenter jejunabat,
Austerus hic vigiliis
Hoc orando castigabat.

A. Mediolanensium
Pontifex eximius,
Lectorem Maurilium
Ordinat Ambrosius.

R. Maurili, serve Domini,
Clemens, prudens et fidelis
In hac valle miseriae
Subvenire nobis velis,
Ne nos carnis, diaboli
Vulneremur diris telis.
V. Tu nostram navem dirige
Pietatis tuae velis,
Ne nos mundi vertigine
Naufragemur et procellis.

A. Frequentibus se macerat
Maurilius jejuniis,
Crebris orationibus,
Assiduis vigiliis.

R. Andegavensis civitas,
Magnis exsulta laudibus,
Tuis donatur pontifex
Maurilius concivibus;

V. Qui te divinis instruens
Verbis, sanctis operibus
Te ad salutem revocat,
Miris fulgens virtutibus.

A. Episcopus Maurilius
Miris pollens virtutibus
Viros leprosos liberat
A cunctis leprae sordibus.

Psallentium.

Donavit Deus gratiam
Magnificam Maurilio,
Per quam fugavit daemones
Suo multos imperio.

R. Virum sanat Maurilius
Laesum a morsu viperae
Impresso sibi primitus
Sanctae crucis charactere;
V. Ad Domini servitium
Coepit iste recurrere,
Quem Deus per Maurilium
Sanum dignatur reddere.

Psallentium.

Ex Mediolanensibus
Maurilius parentibus
Fuit ortus nobilibus.

Post Kyrie.

A. Talenta sacra duplicans
Servus Christi Maurilius,
Fidelis constituitur
Supra multa industrius.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Resplenduit Maurilius
Miraculis insignibus,
Quam plures aegros liberans
A variis languoribus;
Hic curat paraliticos,
Dat lumen non videntibus,
Sanat cum quartanario
Contractum membris omnibus;
V. Annis jacentem puerum
Jam septem clausum tumulo
Resuscitat Maurilius
Suae vocis oraculo.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Dum subiret naufragium
Navis onusta mercibus
In aquarum vertigine
Turbatis maris fluctibus,
Signo crucis Maurilius
Succurrit naufragantibus,
Cunctis suum suffragium
Devote implorantibus;
V. Hujus beati meritis
Et intercessionibus
Nautae ad litus applicant
Salvis personis, mercibus.

2. Dum Martinus consecrat
In praesulum consocium,
In columbae specie
Sedet super Maurilium
Testans ejus merita
Mitis et sanctus spiritus,
Quibus et tunc adstitit
Angelicus exercitus.
V. O quam dignus Maurilius
Honoris reverentia,
Quem tantum honorificat
Deus cum coeli curia.

In Benedictus.

A. Benedictus Dominus
Benedixit Maurilium,
Quem recepit hodie
In agmine coelestium.

Ad Crucem.

A. Passionis memoria
Christi sit nostris mentibus,
Quam in cruce sustinuit
Pro nobis peccatoribus,

Quem secutus Maurilius
Cum cruce poenitentiae
Venit per vitam asperam
Ad locum omnis gloriae.

In Cantemus.

A. Sanavit manus aridas
Signo crucis imposito
Et usui Maurilius
Restituit has solito.

In Benedicite.

A. Benedicite Domino,
Cuncta ipsius opera,
Qui hodie Maurilium
Adduxit super sidera.

In Laudate.

A. Collaudemus Maurilium
Nos cum festivis laudibus,
In cymbalis et organis,
Choris bene sonantibus.

Psallentium in Baptisterio.

Mulieri, quae fuerat
Cum viro diu sterilis,
A Deo per Maurilium
Puer datur placibilis.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Signo crucis Maurilius
Daemonium de femina
Pellit, ipsi restituens
Caecae optata lumina.

2. Divina fretus gratia
Quatuor Maurilius
Resuscitavit mortuos,
Confessor egregius.

3. In divinis scientiis
Doctus et liberalibus
A Martino Maurilius
Ab annis puerilibus,
Doctorem suum sequitur
Cum sanctitatis gressibus.

4. Placens Deo Maurilius
Per sanctitatis opera
Inter discordes pontifex
Componit pacis foedera.

5. Maurilius se induit
Aspero cilicio,
Corpus suum subjiciens
Spiritus imperio.

6. Artam vitam Maurilius
Monachorum deseruit,
Qui artiorem ducere
Solus vivendo maluit.

7. Aetatis nonagesimo
Suae anno Maurilius
Migrans de carnis carcere
Fit supernorum socius.

8. Pia prece Maurilii
Igne demisso coelitus
Idolorum consumitur
Locus culturae deditus.

Post Kyrie.

A. Instar cameli genuum
Maurilii sunt genua
Dura facta cum cubitis
Flexione assidua.

In 2. Vesperis.

In Choro.

A. Latens praesul Maurilius
Sub hortulani specie,
A nuntiis fidelibus
Andegavensis patriae
In pisce claves recipit
Repertas dono gratiae,
Sub quibus clausae fuerant
Venerandae reliquiae.

9. In Vigiliis sanctarum Sophiae et filiarum ejus, martyrum et virginum.

Ad Vesperas.

Lucernarium.

R. O gloriosa femina,
Dans tria sancta germina
Ut vera mundi lumina,
Quae sunt Fides, Spes, Caritas;
V. Praesta cunctis juvamina,
Ut fugiant discrimina,
Intrent sanctorum agmina,
Quibus summa felicitas.

In Choro.

A. Solemni gaude gaudio,
Ambrosiana regio,
Quae supernorum civium
Felix auges collegium
Ex tuis sanctis civibus
Sophia et virginibus.

Cum Infantibus.

R. Sophiae natas honoremus
Omnes cum omni gaudio,
Insignem matrem collaudemus
Insigni cum praeconio,
Ipsarum festum celebremus
Solemni cum tripudio;
V. Sunt tuae nimis honorandae
Amicae, Deus, ac laudandae,
Quarum valde confortatus
Exstat per te principatus.

A. Quos gentium stultitia
Orat cum reverentia,
Omnes deos daemonia
Testantur cum constantia.

A. Quinque leprosos Dominus
Sophiae sanat precibus,
Quinque caecos illuminat
Suis orationibus.

In Magnificat.

A. Clemens Sophia liberat
De sua familia
A servitutis onere
Circa decem milia.

Psallentium in Baptisterio.

O Fidei stabilitas,
O mira Spei firmitas,
O fortis ut mors Caritas,
Quas non movent blandimenta,
Non promissa, non tormenta,
Vana colant ut figmenta.

Ad Vigilias.

R. Felix Sophia triplici
Sancto fecunda germine,
Cum quo caduca respuens
Coelesti gaudes culmine,
Ex tuo ventre prodeunt
Almae Fides, Spes, Caritas,
Praedicatrices, martyres,
Decorat quas virginitas;
V. Decor Carmeli et Saron
Et Libani nunc gloria
Venustant tuas filias
In regis regum curia.

A. Docet Sophia filias
Aeternum sponsum sumere,
Spretis carnis deliciis
Mundanaque contemnere.

R. Rerum suarum omnium
Pia Sophia pretium
Turbae donat egentium
Juxta Christi consilium;
V. Felix, quae super pauperes
Toto corde intelligit,
Duri quos claudunt carceres,
Ad redimendum colligit.

A. Servant matris consilium
Sanctae prudentes virgines,
Carnis, mundi contagium
Spernunt, mortis voragines.

R. Concomitantur angeli
Sophiam cum virginibus,
Quae Mediolanensium
Paternis spretis finibus
Ad urbem Petri properant,
Quibus nil in itinere
Molestum unquam accidit,
Sed cuncta cedunt prospere;
V. In viis suis omnibus
Has angeli custodiunt,
Quorum fultae praesidio
Adversa nulla sentiunt.

A. Ut fulget sol, cum oritur,
Fulgebant sanctae virgines
Humanis in adspectibus,
Quas dum cernebant homines,
Earum splendor oculos
Fuscabat ut caligines.

Psallentium.

In domo cujus praedicant
Servatae sub custodia,
Christo jungunt Palladium
Ac de sua familia
Sancta mater et filiae
Circiter octo milia.

Psallentium.

Velut acutus gladius
Sophiae transit animam
Trium natarum passio,
Quam sustinent acerrimam.

R. Sororum trium quamlibet
Triplex ornat aureola,
Cum quibus, mater inclita,
Laetare nunc coelicola;
V. Dura vincunt martyria,
Dei docent eloquia,
Agni servant vestigia
Cum virginum munditia.

Alia Psallentia.

1. In ardenti craticula
Fides pro fide ponitur,
Qua quiescens ut in rore
Non ignis flammis uritur,
Perfusum sanctae virginis
Plumbo caput non laeditur.
2. Beata spe quae figitur.
Illaesa Spes egreditur
Vas resinae bullientis
Atque sulphuris ferventis.
3. In cupa clausa Caritas
Horrendis cum serpentibus
Nullam jacturam patitur
Sanctis adjuta precibus.

Post Kyrie.

A. In decenti sepultura
Mater condit pia cura
Tres triumphales hostias
Oblatas Christo filias.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. O quam stupenda Fidei
Sanctae diraque passio,
Cujus mamillae tenerae
Horrenda fit praecisio;
O quam grande miraculum,
Ut unda lac egreditur
De loco sui pectoris,
De quo ipsa praeciditur;
V. Sanctam Christus mirificat
Miraculorum gratia
Mammam sibi redintegrans
Mirabili potentia.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Haec est vera germanitas,
Quam non mundana vanitas,
Non carnis vitiositas,
Non poenarum crudelitas,
Sed Christi traxit caritas.

V. Ecce quam bonum
Et quam jucundum
Sorores in unum habitare!
O quantum donum
His est datum, mundum
Spernere in coelis et regnare!

2. Ad ipsarum sepulturam
Apparent matri filiae
Imploranti et dicenti:
Juncta sim vobis hodie;
Ad quam vox grata loquitur
De alta sede gloriae:

V. Sophia, benedictarum
Veni mater filiarum,
Sume consors beatarum,
Quod oculis non cernitur,
Non auribus percipitur,
Non corde comprehenditur.

In Benedictus.

A. Optans ex fide vivere
Fides, pro fide ponere,
Vitam maluit perdere,
Simulacra quam colere.

Ad Crucem.

A. Crucem Christi venerari
Et in ipsa gloriari
Studeamus et laetari,
Qua sunt Sophiae filiae
Confixae regi gloriae
Coeli consortes patriae.

In Cantemus.

A. In Sophiae festo piae
Gloriose decantemus
Festivas laudes Domino,
Quem laudantes honoremus.

In Benedicite.

A. Spes in spe, quae non confundit,
Spem certam ponit gloriae,
Cujus corde se diffundit
Amor divinae gratiae.

In Laudate.

A. Divinis instant laudibus
Sanctae mater et filiae
Orantes pro fidelibus
Summae regem clementiae.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Exsultemus cum Sophia
De corona triumphali,
Qua coronantur filiae
Choro juncti virginali.

6. Quam felix tu Saminia,
Quae colligis hospitio
Sophiam cum virginibus,
Tanto dignas collegio,
Quas tibi commendaverat
Christi vera dilectio.

9. Sanctae vincunt Adrianum,
Mundi, carnis quoque vanum
Regnum vile ac insanum.

12. Ad mandatum Caritatis
In templo gentilitatis
Collisione mutua
Fit pulvis omnis statua.

Nach der Antiphon zum Psalm Laudate wiederholt sich als Psallentium in Baptisterio: O Fidei stabilitas etc. Mane ad Psallentium stehen im ganzen 12 Antiphonen. Nach der ersten wiederholen sich: 2. Docet Sophia etc. 3. Servant matres etc. 4. Clemens Sophia etc. 5. Quinque leprosos etc.; nach der sechsten: 7. In domo cujus etc. 8. Quos gentium stultitia etc.; nach der neunten: 10. Optans et fide etc. 11. Beata spe quae figitur.

10. In Vigiliis sanctarum undecim milium virginum.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Dux et magistra virginum,
Ursula virgo, Dominum
Exora, patrem luminum,
V. Ut omni mundi crimine
Fruamur vero lumine
Cum beatorum agmine.

In Choro.

A. Magna gaude Germania,
Felix felici agmine,
Laetare tu, Colonia,
Quae virginum tot sanguine
Contempta idolatria
Fuso pro Christi nomine
Ornaris et militia
Coeli locata culmine.

Cum Infantibus.

R. Ducunt constantes virgines,
Ursula et consociae,
Ad cultum Christi plurimos
Exemplis patientiae,
Omni virtutum gratia
Pollentes cum justitia;
V. Beatae, quae non ambulant
In pravorum consilio,
Et quae morari respuunt
In peccatorum devio.

A. Inflammatae caritate
Zelant sponsum, sunt paratae
Pro ipso mortem sumere
Magis quam mundo vivere.

A. Istae sponsae sunt regales
Mensae Christi consodales,
Quae cum choro virginali
Sponso cantant immortali.

In Magnificat.

A. Magnifica militia
Coetus undecim milium
Magna facta ecclesia
Regem collaudet omnium.

Psallentium in Baptisterio.

Sponsae regis angelorum,
Verae vitis propagines,
In odorem unguentorum
Sponsi concurrunt virgines,
Mundae mundum servant thorum,
Carnis vitant voragines.

Ad Vigilias.

R. Ursula et consociae
Virginalis munditiae
Desponsantur immortali
Sponso, non in mundo tali,
Qui est sponsus speciosus,
Prudens, dives, gloriosus.
V. Regum rex hic generosus,
Per quem homo criminosus
A peccatis expiatur
Et ad regnum revocatur.

A. In horto sunt ecclesiae
Per castitatem lilia,
Et rosae per martyrium
Sunt undecim haec milia.

R. Inaudita res miranda,
Mira res cunctis narranda,
Papa, multi episcopi
Mulierem juvenculam
Perpessi sunt martyrium
Sanctam sequentes Ursulam;
V. Qua duce omnes praevia
Intrant regna coelestia
Aeterna cum laetitia.

A. In his floribus rosarum,
Liliorum, violarum
Sponsus pascit praedilectus
Et ex milibus electus.

R. Sponsi fervens in amore
Trahitur ejus odore
Virginalis constantia
Liliorum cum candore
Hunc martyrii cruore
Haec sequitur per omnia;

V. His singulis martyribus
Atque sacris virginibus
Binae dantur aureolae,
Quae sunt cum sanctis omnibus
Factae coelestes incolae.

A. Fuerunt istae virgines
Fortes Christi pugnatrices,
Quas per virtutem fidei
Reddidit ipse victrices.

Psallentium.

Christum adolescentulae
Praedilexerunt sedulae,
Pro quo mortem subierunt
Et terrena contempserunt,
Currentes ad supplicia
Ut ad sponsi convivia.

R Mira morum honestate,
Castitatis claritate,
Fama et sapientia
Refulget regis filia;
V. Rex concupivit Ursulam
Pro ejus pulchritudine,
Quae corporis et animae
Erat in sancta virgine.

Alia Psallenda.

Veneretur ecclesia
Societatem virginum,
Quae cantans agnum sequitur,
Qui est redemptor hominum.

Post Kyrie.

A. Virgo devota Ursula
Fide Christi praeambula
Virginalem militiam
Ducit ad regis curiam.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Stirpe natam regia
Virginem juvenculam
Christus, Dei filius,
Sponsat sibi Ursulam,
In sponsi obsequiis
Vigilem et sedulam;

V. Undecim haec milium
Chorum convertit virginum,
Per durum supplicium
Istas ducens ad Dominum.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Regna carnis, diaboli,
Mundi falsi et subdoli
Per fidem Christi famulae
Vincunt pugnantes sedule
Consortes sanctae Ursulae;
V. Armis munitae fidei
Pugnant in sexu fragili,
Hostes sibi subjiciunt
Victoria mirabili.

2. Honoribus, divitiis,
Spretis carnis deliciis
Perfruuntur perennibus
Bonis cum sanctis omnibus;
V. Laetetur ecclesia,
Quam virginum jucundam
Reddunt natalitia
Ostendunt et fecundam.

In Benedictus.

A. Sit benedictus Dominus,
Qui cum sanctis virginibus
Suam ductricem Ursulam
Donat frui coelestibus.

Ad Crucem.

A. Virginalis militia,
Crucifixi vestigia
Secuta per martyrium,
Per viam patientiae
Migrat ad coeli solium,
Locum omnis laetitiae.

In Cantemus.

A. Cantemus Deo gloriam
Nos redemptori omnium,
Qui beatis virginibus
Coeleste donat bravium.

In Benedicite.

A. Benedicant Domino
Ejus mira opera,
Pro quo passae virgines
Sunt gaudentes aspera.

In Laudate.

A. Laudemus nomen Domini
Vocibus sonoris,
Revereamur Ursulam
Omnes cunctis horis.

Psallentium.

A. Barbarorum saevitiae
Ferro colla subjiciunt
Deo dicatae virgines,
Mortem laetae suscipiunt,
Quae peremptae pro Domino
Veram vitam inveniunt.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Ad festum sanctae Ursulae
Concurrant omnes populi,
Venerentur et virgines
Magni, majores, parvuli,
Ut nobis sint propitiae,
Rogemus omnes seduli.

2. Quae cum sponso nunc gaudetis,
Oleo vasis repletis,
Orate, ut dum janua
Patet, sponsus largiflua
Nos gratia recipiat
Et nuptiis reficiat.

3. Ut angelus praedixerat
Reversae sunt Coloniam,
Omnes adeptae virgines
Martyrii victoriam.

4. Quam pulchra tabernacula
Inhabitas nunc, Ursula
Cum beatis virginibus
Semper agnum sequentibus.

5. Stat regis nata Ursula
A dextris tuis, Domine,
Te Deum sponsum eligens
Spreto mortali homine.

6. Cognita pulchritudine
Ac ejus magnitudine
Princeps Hunnorum Ursulam
Sibi petit in uxorem,
Quae cum eum respueret
Christi praeferens amorem,
Per principem transfigitur
Sagitta et sic moritur.

7. Sit sanctarum multitudo
Semper nobis fortitudo,
Per quam carnem, diabolum,
Mundum vincentes subdolum
Mereamur ad praemia
Pervenire coelestia.

Post Kyrie.

A. Ora pro nobis, Ursula,
Ut vitemus pericula
Et coeli habitacula
Intremus sine morula.

Das Officium, das hier forma Ambrosiana geboten, wiederholt sich, wie schon in der Einleitung bemerkt, am Schlusse der Handschrift forma Roman. Hinzu kommt nur das Invitatorium

Jubilemus Domino,
undecim qui milia
Beatarum virginum
duxit ad coelestia.

Im übrigen findet nur eine Umstellung der Antiphonen und Responsorien statt, z. B. In 1. Vesperis Antiphonae: 1. Sponsae regis angelorum. 2. Inflammatae caritate. 3. Sponsae istae sunt regales. 4. Magnifica militia. 5. In horto sunt ecclesiae. Ad Magnificat: Magna gaude Germania etc. In der folgenden Messe fehlen: Post Evangelium und Confractio, Transitorium wird zur Communio.

11. In Vigiliis Omnium Sanctorum.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Christe, lumen de lumine,
Qui natus es de virgine,
Da videre sine fine
Nobis lumen in lumine;
V. O vera lux credentium,
Illuminatrix cordium,
Da nobis lucis radium.

In Choro.

A. Sancti omnes et singuli,
Magno gaudete gaudio,
Vobis datum est perfrui
Vitae perennis praemio,
Quos opibus, deliciis,
Perpetuis honoribus
Magnificavit Dominus,
Vos replens bonis omnibus.

Cum Infantibus.

R. Festum sanctorum omnium
Celebremus solemniter,
Revereamur singulos
Sanctos honorabiliter,
Qui nunc gaudent in gloria
Triumphantes feliciter;
V. Quorum beatis meritis
Suffragiis et inclitis
Tanto magis adjuvamur,
Hos quo magis veneramur.

A. In sancta sit ecclesia
De matre plena gratia
Digna commemoratio
Et sanctorum laudatio.

A. Omnes sancti merito
Sunt adepti gloriam,
Habentur in laudibus
Nunc apud ecclesiam.

In Magnificat.

A. Magnificis cum laudibus
Magnificum per omnia
Festum sanctorum omnium
Magnificet ecclesia,
Ut, quae non valet singulis
Honorem festi reddere,
Hunc una die conferat
Saltem cunctis in genere.

Psallentium in Baptisterio.

Sub una die celebri
Celebremus memoriam
Dignam sanctorum omnium
Multiplicantes plurium
Intercessorum copiam.

Ad Vigilias.

R. Constantes sancti martyres
Contempserunt supplicia,
Quae passi sunt pro nomine
Christi dira et varia,
Afflicti serris, ungulis,
Equuleo, lapidibus,
Igne, fame et carcere,
Sagittis et leonibus,
Plumbo, resina, sulfure,
Plagis, cruce, serpentibus;
V. Verberantur acerrime
Avulsis cute, dentibus,
Mersi aquis, fracti rotis
Plectuntur et capitibus.

A. Sancti regna contempserunt,
Quae per fidem devicerunt,
Operati justitiam
Et consecuti gloriam.

R. Ornatis cum lampadibus
Non oleo carentibus
Intrant sponsae ad nuptias
Dapes habentes regias,
Quibus delectabiliter
Fruuntur et feliciter.

V. O quam felix collegium,
O beatum convivium,
Quo angelorum ordines
Sunt justi atque homines.

A. Sunt reverenda agmina
Beatorum angelorum,
Qui vitam nostram muniunt
Ab incursu malignorum
Et nos ad Christi transferunt
Regnum plenum gaudiorum.

R. Data talenta duplicant
Sancti pastores ovium
Intrantes sui domini
Servi fideles gaudium;
V. Qui non in terra fodiunt
Occultantes pecuniam,
Sed hanc ipsi multiplicant
Prudentes per industriam.

A. Prudentes intrant virgines
Ad nuptias largifluas,
Quibus coronas exhibet
Sponsus Christus perpetuas.

R. Festum sanctorum omnium
Colat venerabilium
Cunctorum plebs fidelium;
V. Hos roget, ut frequentibus
Omnes nos piis precibus
In coeli locent sedibus.

Psallentium.

Sanctorum festum omnium
Solemnizat ecclesia,
Ut se in ipso expient
De sua negligentia,
Qui festi minus celebrant
Devote singularia.

Alia Psallentia.

1. Omnes orate Dominum,
Reverendi patriarchae,
Ut exutos miseriis
Nos coelorum locet arce.

2. Qui in coena Domini
Ad mensam sedetis,
Suo ut nos foveat
Pane, hunc rogetis,
Locum nobis exhibens
Aeternae quietis.

3. Donum beati spiritus
Vos, prophetae, recepistis,
Per quem de Deo homine
Christo vera praedixistis.

R. Sancti Christi apostoli,
Lux mundi, sal et principes,
Judicare duodecim
Tribus electi judices,
V. Christianorum populo
Celeriter succurrite,
Pro nobis, vestris famulis,
Preces ad Deum fundite.

Psallentium.

Omnes vocibus sonoris
Sanctis servis redemptoris
Odas laudis et honoris
Concinamus cunctis horis.

Post Kyrie.

A. Sancti spretis deliciis,
Honoribus, divitiis
Delectantur exaltati
Nunc in coelis honorati.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Est in coelesti patria
Magna sanctorum gloria,
Ubi nulla miseria,
Qui perfecte sunt beati,
Excellenter honorati,
Cunctis bonis sunt ditati;
V. A quorum Deus oculis
Abstersit omnem lacrimam,
Eis dolorem auferens,
Luctum, mortem teterrimam.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Pulchris amoenum floribus
Est Christi viridarium,
Quo rubicundi martyres
Ut rosae per martyrium
Sunt et prudentes virgines
Candentes velut lilium,
Confessores ut violae
In agmine humilium;
V. In his floribus rosarum,
Liliorum, violarum
Sponsus pascit praedilectus
Et ex milibus electus.

2. Deus, qui est mirabilis
In sanctis suis omnibus,
Ipsos sanctos mirificat
Miraculis insignibus:
Linguam mutis, gressum claudis,
Visum dant non videntibus,
Sanant languores varios
Et imperant daemonibus;
V. Fixis calcant vestigiis
Super profunda maria,
Immissi flammis ignium
Non sentiunt incendia,
Vitae priori mortuos
Divina reddunt gratia.

In Benedictus.

A. Sit benedictus Dominus,
Christus, redemptor omnium,
Qui benedictionibus
Sanctum replet collegium.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra medicina,
Qui de mortis nos ruina
Morte crucis liberasti
Et ad vitam revocasti,
Sanctorum praesta precibus
Tuum nobis praesidium,
Ne nos in mundi pelago
Incurramus naufragium.

In Cantemus.

A. Redemptori glorioso
Gloriose decantemus,
Sanctorum festum omnium
Celebrantes honoremus.

In Benedicite.

A. Cuncta Dei opera,
Ipsi benedicite,
In sanctorum omnium
Festo hymnum dicite.

In Laudate.

A. In sanctis ejus Dominum
Laudantes rogent populi,
Ut eis locum conferat
Coelestis habitaculi.

Psallentium in Baptisterio.

Una sanctorum omnium
Celebratur solemnitas,
Ut honoretur quilibet
Sanctus, cujus festivitas
Non fit, sed eam praeterit
Nostra impossibilitas.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. In manu sui domini
Nunc sunt sanctorum animae,
Quos non tormenta varia
Tangent mortis acerrimae.

2. Nostris peccatis omnibus,
Deus, pie pater, parce,
Quem dilexerunt principes
Patrum, sancti patriarchae.

3. Sponsae regis angelum,
Verae vitis propagines,
In odorem unguentorum
Concurrunt sponsi virgines,
Mundae mundum servant thorum,
Vitant carnis voragines.

4. Sancti loqui non trepidant
Coram regis praesentia,
Quos amor Christi fecerat
Audaces cum constantia.

5. Jacent sanctorum corpora
Pacis sepulta requie,
Ipsorum semper nomina
Vivent vita memoriae.

6. Sanctos suos Dominus
Induit fortitudine
Et praecinxit virtutibus
Hos in omni certamine.

7. Ad Christum, fontem luminis,
Sancti de luce vigilant.
Qui fidei et operum
Splendore clari rutilant.

8. Cuncti fideles populi
Deo nostro jubilate,
Servite in laetitia,
Omnes sanctos honorate.

9. Omnes rogemus omnium
Sanctorum multitudinem,
Ut nobis in molestiis
Implorent fortitudinem.

10. Sit apud nos memoria
Sanctorum venerabilis,
Ut nobis sanctus quilibet
Reddatur exaudibilis.

11. Apostolorum merita
Nos defendant in hac vita
Ab hostium insidiis,
Dent coeli frui gaudiis.

12. Te rubricatus martyrum,
Christe, laudat exercitus,
Qui variis suppliciis
Pro te fuit expositus.

Post Kyrie.

A. In sanctorum memoria
Honor Christo et gloria,
Sit hymnus sanctis omnibus
Cum ipso exsultantibus.

12. In Vigiliis beati **Eustachii** et sociorum ejus.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Christus illuminatio,
Salus atque protectio
Apparuit Eustachio;
V. Hunc caecum idolatria
Christus illustrat gratia.
Sanctorum lux et gloria.

In Choro.

A. Eustachi, regis gloriae
Miles, martyr egregie.
Qui summae patientiae
Ac fidei constantiae
Praebes exemplum omnibus,
Fac nos purgatos sordibus
Bonis frui coelestibus
Tuis orationibus.

Cum Infantibus.

R. Clarus martyr Eustachius,
Virtutum pollens gratia,
Ad Christum duxit plurimos
In multa patientia,
Cujus sequamur seduli
Beata nos vestigia.
V. Beatus, qui non abiit
In pravorum consilio.
Neque morari voluit
In peccatorum devio.

A. In camino martyrii
Probat Christus Eustachium,
Ut fornax vasa figuli
Per igneum incendium.

A. Qui prius luce fidei
Eustachium illuminat,
Post igne patientiae
Hunc Dominus examinat.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Eustachium
Fidelis plebs ecclesiae,
Justum sequatur martyrem
Per semitam justitiae.

Psallentium in Baptisterio.

Eustachi clemens, subveni
Tuis devotis famulis,
Exora Dei filium,
Ut a cunctis periculis
Nos liberatos collocet
Supernis habitaculis.

Ad Vigilias.

R. Eustachius misericors
Subveniens egentibus
Hos pascit, vestit, visitat,
Quos colligit in domibus;
V. Quem Dominus misericors
Ab idolorum sordibus
Vocat ad cultum fidei
Munificum pauperibus.

A. In conspectu nos sanctorum
Regi summo angelorum
Psallamus nunc Eustachio
In ejus natalitio.

R. Est alter Job Eustachius
In tribulationibus,
Quas patienter patitur,
Nullis concussus fluctibus
Sed semper constans permanens
Sanctis adjutus precibus;
V. Nudatus hic divitiis,
Honoribus, deliciis
Et conjuge ac filiis,
Christo semper eximias
Devotus refert gratias.

A. Est in conspectu Domini
Pretiosa mors sanctorum
Eustachii es conjugis
Et suorum filiorum.

R. Olim gentilis Placidus
Vocatus, post Eustachius,
De impio idolatra
Christianus egregius,
Egentium miseriam
Relevavit attentius;
V. Hic redemptori placuit
Propter misericordiam,
Gentilitatem horruit
Per fidei notitiam,
Cum uxore ac filiis
Ascendit coeli patriam.

Psallentium.

Pius martyr Eustachius,
Quem Adrianus impius
Poenis afflixit acrius.
Nunc gloria, quae reficit,
Gaudet, quae nunquam deficit
Sed sanctis semper sufficit.

R. Reverendi Eustachii
Uxor et duo filii
Ejus facti consocii
Sunt per palmam martyrii;
V. Stolas pro Christi nomine
Laverunt agni sanguine,
Cum quo nunc sunt in gloria
Propter dira supplicia.

Psallentium.

Praeclarum patientiae
Cunctis Christi fidelibus
Eustachius est speculum
Afflictis et moerentibus.

Post Kyrie.

Per pietatis opera
Christo Placidus placuit,
Qui pro ipso martyrium
Durum pati non timuit.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. In martyris Eustachii
Festivo natalitio
Festivas laudes resonet
Christianorum concio,
Ipsum cum reverentia
Honoret et cum gaudio;

V. Dei nimis honorandi
Sunt amici et laudandi,
Quem in sanctis honoramus,
Honorantes collaudamus.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Eustachio et sociis
Honorem exhibentibus
Multiplices dat gratias
Christus ipsorum precibus,
Quibus dat abundantiam
Bonorum temporalium,
Defendit a periculis
Et hos salvator omnium;
V. Peccatorum a Domino
Donatur istis venia,
Ipsos ipse misericors
Locat in coeli patria.
2. Quibus portasti sobolem,
Felicia sunt viscera,
Quibus lactasti filios,
O quam beata ubera,
Uxor sancti Eustachii,
Qui gaudent super sidera;
V. O quam beati conjuges,
O quam beati filii,
Ventre, fide, martyrio
Et gloria consocii.

In Benedictus.

Sit benedictus Dominus,
Eustachium qui visitat
Et mortuum idolatram
Per fidem hunc resuscitat.

Ad Crucem.

A. Adoremus Christi crucem
Omnes cum reverentia,
Cujus amara passio
In nostra sit memoria,
In qua salvator hominum
Pro nobis factus hostia,
Nos de inferni carcere
Duxit ad coeli gaudia,
In quo sanctus Eustachius
Est cum ejus familia.

In Cantemus.

A. Deo cantemus hodie
Magnae laudes laetitiae,
Qui de pravo Adriano,
Imperatore vesano,
Eustachio victoriam
Donat simul et gloriam.

In Benedicite.

A. Omnis Deum creatura
Benedicat mente pura,
Pro quo sanctus Eustachius
Est passus ut Laurentius.

In Laudate.

A. Deum semper honoremus
Et in sanctis collaudemus,
Veneremur Eustachium,
Qui coeli tenet solium.

Psallentium in Baptisterio.

Eustachi, cum tripudio
Perenni gaude gaudio,
Qui agminum coelestium
Multiplicas consortium
Ex filiis martyribus
Tuis tecum regnantibus.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Ad festum sancti martyris
Concurrant omnes populi,
Venerentur Eustachium
Magni, majores, parvuli,
Ut nobis sit propitius,
Rogemus ipsum seduli.

2. Devorandus Eustachius
Saevo leoni traditur,
Qui per virtutem fidei
Mitis ut agnus redditur.
A cujus hic saevitia
Nullam jacturam patitur.

3. Sprevit sanctus Eustachius
Gentilitatis idola
Adorans Dei filium
Factus verus Christicola.

4. Virtute patientiae
Ut alter Job emicuit,
Multiplices Eustachius
Aerumnas qui sustinuit.

5. Regna vicit Eustachius
Mundi, carnis, diaboli
Et os leonis per fidem
Clausit contemptor idoli,
Qui per palmam martyrii
Laetus regnat regno poli.

6. Quae praevenit Eustachium,
Hunc gratia subsequitur
Atque in ipso proficit
Et gloria perficitur.

7. Duobus privant filiis
Leo, lupus Eustachium,
Quos Christus sibi reddidit
Moerenti donans gaudium.

8. Per igneum incendium
Ut alterum Laurentium
Probat Christus Eustachium,
In quo non est iniquitas,
Sed est inventa puritas
Et ingens ardens caritas.

9. O gloriosi filii
Venerandi Eustachii,
Ventre, fide, martyrio
Fratres, coronae praemio:
Theopiste, Agapite,
Preces ad Deum fundite,
Ut post vae vitae beatum
Regnum nobis det obtatum.

10. O martyr, pater martyrum,
Qui tormentum passi dirum
Te sequuntur non delirum
Sed constantem fide virum,
Ut virginis sit filius
Nobis semper propitius,
Exora hunc attentius,
Eustachi, et frequentius.

11. Armis munitus fidei
Christi miles Eustachius
Tyrannum saevum superat
Propugnator industrius.

Post Kyrie.

A. Eustachii et conjugis
O quam beata copula,
Ex qua proles exoritur,
Christi fidelis famula,
Quae pro ipso mortem subit
Ut innocens ovicula.

13. In Vigiliis sancti Clementis, martyris et papae.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Clementem luce fidei
Christus Jesus illuminat,
Quem velut vasa figuli
Sic Dominus examinat;
V. Clemens in Dei populo
Ut lux vera radiavit,
Quem verbis et operibus
Ipse sanctus illustravit.

In Choro.

A. Festum Clementis martyris
Devote colant populi,
Exorent hunc mediocres,
Magni, majores, parvuli,
Ut redemptorem hominum
Pro nobis roget Dominum.

Cum Infantibus.

R. Fons vitae, agnus praevius
Fontem, qui est ut fluvius
Damnatis necessarius,

Pede pandit exsilio
Precum sancti suffragio
Clementis et indicio;
V. Sustinentes exsilia,
Moestos aquae penuria,
Laetificavit copia
Aquarum Dei gratia.
A. Clemente gaude martyre,
Matidiana, filio
Sancto, summo pontifice,
Regni fruente solio.
A. Faustiane felix, gaude.
Canta Deo laudes, plaude,
Qui Clementem genuisti,
Martyrem beatum Christi.

In Magnificat.

A. Christum Jesum magnificum
Magnificet ecclesia,
Qui Clementem magnifica
Magnificavit patria.

Psallentium in Baptisterio.

Pia Clemens clementia
Pater nobis remedia
Implora necessaria,
Quibus exuti noxiis
Coelestibus deliciis
Fruamur atque gaudiis.

Ad Vigilias.

R. Assidua indagine
Studens Clemens inquirebat,
Utrum humana anima
Immortalis remanebat,
Quo invento quam plurimum
Exsultando congaudebat:
V. Christi fidem apostolus
Petrus Clementem docuit,
Qui immortalem animam
Esse sibi aperuit.
A. Ex nobili prosapia
Ortus Romana patria
Clemens passus martyrium
Coeleste scandit solium.

R. Clemens doctrina claruit,
Sancta vita resplenduit,
Philosophia floruit,
Miraculis emicuit;
V. Sanctus Clemens pontifex
Et virtutum artifex
Caeco visum restituit,
Audito surdum praebuit.
A. Qui damnatis exsilio
Clemens fontem praebuerat,
Leonicinis etiam
Fontem reclusum reserat.

R. Sanavit Clemens languidos
Suae salutis avidos,
Afflictos prae tristitia
Remisit cum laetitia,
Cunctis prodesse studuit,
Nulli nocere voluit;
V. Illi cura de proximo
Corde fuit et animo,
Qui creatori placuit,
Pro quo mortem sustinuit.

Psallentium.

A. Sic excellenter moribus
Sanctus Clemens praepollebat,
Quod Judaeis et gentibus
Christianis complacebat.

Aliud Psallentium.

A. Omnes laudemus Dominum
Cum laudibus magnificis,
Qui Clementem mirificat
Virtutibus mirificis.

Post Kyrie.

A. Martyr Clemens gloriosus
Amat, sperat vere credens,
Opus bonum operatur,
A malitiis recedens
Studet cunctis hic prodesse
Praesul pius, nullum laedens,
Qui gaudet in coelestibus
Beatorum sede sedens.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Christe, regnum rex Domine,
Clemens, pro tuo nomine
Maris mersus voragine,
Cum sancto gaudet agmine
Locatus coeli culmine.
V. Quam beatus, qui residet
In supernorum curia,
Cunctis fruens deliciis,
Divitiis et gloria.

Inter Lectiones.

Responsoria.

1. Clemens pro Christi nomine
Perit morte pretiosa,
Qui gaudet nunc aureola
Coronatus gloriosa;
V. Submerso maris fluctibus
Sepultura praeparatur,
Quae populis orantibus
Sicco mari demonstratur.
2. Omnes vocibus sonoris
Isti servo conditoris
Melos laudis et honoris
Concinamus cunctis horis;
V. Celebremus solemniter,
Cuncti fideles populi,
Clementis natalitium,
Sancti Petri discipuli.

In Benedictus.

A. Sit benedictus Dominus,
Cujus benedictio
Sanctum Clementem martyrem
Donat alto praemio.

Ad Crucem.

A. Crucifixum collaudemus,
Collaudantes honoremus,
Cujus Clemens vestigium
Secutus per martyrium,
Venit ad coeli gaudia
Omni plenus laetitia.

In Cantemus.

A. Jesus Christus Dominus
Sanctos suos exaltavit,
Qui Clementem pontificem
Gloriose honoravit.

In Benedicite.

A. Fideles, benedicite,
Hymnum Deo dicite.
Qui per viam martyrii
Duxit ad locum gaudii
Clementem sanctum praesulem,
Pro fide Christi exsulem.

In Laudate.

A. Laude dignum et gloria
Sanctum laudet ecclesia
Clementem, qui virtutibus
Corruscat in coelestibus.

Psallentium in Baptisterio.

Clementer sancte subveni
Clemens devoto populo,
Defende tuis precibus
Ab omni nos periculo
Et collocari facias
Coelesti habitaculo.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Per Barnabam apostolum
Clemens ad fidem ducitur,
Civis Romanus nobilis,
Qui papa martyr moritur.
2. Deo, in quo nullae fraudes,
Personemus dignas laudes
In Clementis sui festo,
Ut sit nobis semper praesto
Nos defendens a funesto.
3. Sequens Petri vestigia
Discipulus egregius,
Hic Clemens summus pontifex
Fuit post Petrum tertius.

4. Sanat Petrus apostolus
Matris Clementis hospitam,
Languore paralytico
Membris jacentem perditam.

5. Venit per juge studium
Ad culmen sapientiae
Clemens factus philosophus
Divinae dono gratiae.

6. In tuo festivo die
Clemens regem clementiae
Roga, ut nobis gratiam
Ipse donet et gloriam.

7. O felix Matidiana,
Quae spernentem cuncta vana
Natum paris, in membrana
Vitae scriptum, pastum manna.

8. Dei consecrat ancillam
Sanctus Clemens Domitillam,
Sanctam, prudentem virginem,
Horrentem sponsum hominem,
Quae Deum sponsum eligit,
Quem prae cunctis haec diligit.

Post Kyrie.

A. Quem mortuum crediderat
Mater in maris fluctibus
Natum Clementis recipit
Vivum orationibus.

14. In Vigiliis beatae Luciae, virginis et martyris.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Virgo Lucia, gratiae
Luce lucens et gloriae,
Ora Christum attentius
Pro nobis et frequentius,
V. Ut peccati caligine
Pulsa fruamur lumine
Christo sole justitiae
Coeli rege militiae.

In Choro.

A. Clemens virgo, martyr pia,
Caecis lumen da, Lucia,
Te cunctis reverentibus
Tuis beatis precibus,
Infirmos sana oculos
Pietatis collirio,
Christi defende famulos
A peccati contagio.

Cum Infantibus.

R. Celebremus solemniter
Omnes vocibus sonoris
Festum Luciae virginis,
Sociatae sanctis choris,
Quae nunc cum sponso residet,
Non ut stultae, quae sunt foris;
V. Prudens virgo juvencula
Ad Christum sponsum properat,
Ne recludatur janua,
Si introire differat.

A. In amore fervens Dei
Zelat zelatrix fidei,
Pro Christo vitam ponere
Magis quam mundo vivere.

A. Virgo haec immaculata,
Deo placens, Deo grata,
Est in coelis coronata,
Summo regi sociata.

In Magnificat.

A. Magnificet ecclesia
Sponsum Luciae virginis,
Qui pro salute hominum
Naturam sumens hominis
De inferni voragine
Suo nos duxit sanguine.

Psallentium in Baptisterio.

Syracusana civitas,
Felix felici germine,
Redde grates altissimo
Qui de amaritudine

Mundi Luciam separat
Et locat coeli culmine,
Ubi optata fruitur
Sui sponsi dulcedine.

Ad Vigilias.

R. Laetare, urbs Catania,
Agatha tuo germine,
Et, Syracusa, Lucia
Gaude tua propagine,
Quae sunt pro Christo martyres
In virginali agmine.
V. O martyrum et virginum
Quam beata collegia,
In quibus rosae rubeae
Et candida sunt lilia.

A. Ut columba sine felle
Fuit mens hujus puellae,
Quae dat Christo suum velle
Data sibi sua pelle.

R. Mater Luciae virginis,
Languens pro fluxu sanguinis,
Fide sanatur filiae
Virtute regis gloriae
Et sibi suffragantibus
Agathae sanctae precibus.
V. Sanctas Christus mirificat
Insignibus miraculis,
Quas collocat feliciter
Aeternis habitaculis.

A. Non cum stultis virginibus
Mansit haec clausa janua,
Sed patriam ingreditur
Cum corona perpetua.

R. Est de quinque virginibus
Lucia haec prudentibus,
Quae nuptiis perpetuis
Gaudens, non vasis vacuis,
Cum sponso nunc reficitur
Christo, qui nunquam moritur;
V. Non in mundo sponsus talis
Reperitur, iste qualis,
Pulcher, prudens et regalis,
Dives, cunctis liberalis.

A. Ora, Lucia lucida,
Christum, ut mente nitida
Vitantes cuncta sordida
Nos aula locet fulgida.

Psallentium.

Virgo adolescentula
Christum dilexit sedula,
Quam nunc fovet amplexibus
Ipse supernis sedibus.

Aliud.

Lucia virgo sequitur
Cum cantico laetitiae
Agnum, quocunque ierit,
Habens palmam victoriae.

R A Christo non poterat
Poenis separari,
Lucia, quem noverat
Sponsum sine pari
Et quem praedilexerat
Zelo singulari.
V. Praedilectam praedilectus
Et ex milibus electus
Luciam sponsam eligit,
Quem prae cunctis haec diligit.

Psallentium.

Spreto thoro maritali,
Contempta sorde carnali
Virgo ad sponsum properat,
Quem immortalem noverat.

Post Kyrie.

Decoram habens faciem,
Virgo, rex tuam speciem
Concupiscens desiderat,
Qui pulcher te zelaverat.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Lucia et Eutitia
Pie mater et filia
Cuncta, quae habent propria,
Donant Christi pauperibus,
Condentes horum manibus
Thesaurum in coelestibus;

V. Beatae sunt, quae affluunt
Pietatis visceribus
Et largas elimosynas
Ministrant indigentibus.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Virgo ferens martyrium
Est inter spinas lilium,
Quod, cum ab eis pungitur,
Major odor emittitur:
Sic poenis puncta pluribus
Virgo refundit omnibus
Odorem patientiae
Cum candore munditiae;
V. Haec rosa per martyrium,
Per castitatem lilium,
Fragrat in ecclesia
Virtutum fragrantia.

2. Tam gravi fixa pondere
Divino fuit opere,
Quae se in Christo fixerat,
Quod moveri non poterat
Humana fortitudine
Neque boum conamine;
V. Haec Lucia, generosa
Mente, carne speciosa,
Est in coelis exaltata
Et a Christo coronata.

In Benedictus.

A. Sit benedictus Dominus,
In poenis qui fortificat
Luciam suam martyrem
Et in coelo magnificat.

Ad Crucem.

A. Virgo pro Christi nomine
Pugnat, cujus juvamine
Consequitur victoriam,
Ad crucifixi gloriam
Coelestem intrans patriam.

In Cantemus.

A. Cantet laudes fidelium
Plebs redemptori omnium,
Qui dat Luciae solium
Coeleste per martyrium.

In Benedicite.

A. In hujus festo virginis
Deum benedicite
Et, ejus mira opera,
Laudem sibi dicite.

In Laudate.

A. Laudet Christum ecclesia
In ejus potentatibus,
Qui Luciam associat
In regno cum virginibus.

Psallentium in Baptisterio.

O virgo Syracusana,
Mentes nostras clemens sana,
Da, spernamus ut mundana
Et vitemus cuncta vana
Deponentes veterana,
Fac in vitae nos membrana
Scriptos frui dulci manna.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Haec variis virtutibus
Amicta velut vestibus
Virginalem servans thorum
Placuit regi coelorum.

2. Fideles Deo jubilent
Et laudibus invigilent,
Qui Luciam pugnatricem
Fortem sexu fragili
Atque reddidit victricem
Triumpho mirabili.

3. Christus Luciam virginem
Induit fortitudinem,
Indutam nunc regalibus
Aula coelesti vestibus.

4. Virtutibus quae rutilat
Virgo de luce vigilat,
Cujus festum veneremur
Et in ipso collaetemur.

5. Constans et firma, patiens
In persecutionibus
Virgo Lucia exstitit,
Sanctis adjuta precibus.

6. Licet tyrannus saeviat
Et in poenis deficiat,
Virgo semper immobilis
Perseverat et stabilis.

7. Haec non minis reducitur,
Non tormentis concutitur,
Quae in dilecto figitur.

8. Hujus corpus prosternitur,
Mens ad Deum erigitur,
Martyr coelum ingreditur,
Supernis laeta fruitur.

9. In hujus gula virginis
Gladius infigitur,
Haec sumpto Christi corpore
Mox coelum ingreditur.

10. In martyrum consortio
Et virginum collegio
Coronatur aureola
Lucia spernens idola.

11. Inclita urbs Catania
Per Agatham honoratur,
Syracusana civitas
Per Luciam sublimatur.

Post Kyrie.

A. Est intus cum prudentibus
Cum accensis lampadibus
Lucia, non cum fatuis
Foras cum vasis vacuis.

15. In Vigilia Omnium Apostolorum.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Apostolorum omnium
In festiva memoria
Illumina nos, Domine,
Qui lux es lustrans omnia;
V. Per te remotis tenebris
Cunctis de nostris cordibus
Lucis aeternae gaudiis
Fruamur fac perennibus.

In Choro.

A. Omnes Christi apostoli,
Magno gaudete gaudio,
Vobis datum est perfrui
Vitae perennis praemio,
Quos opibus, deliciis,
Perpetuis honoribus
Magnificavit Dominus
Vos replens bonis omnibus.

Cum Infantibus.

A. Gloriosos apostolos
Honoremus solemniter,
Horum laudes magnificas
Personemus suaviter
Et hos devotis precibus
Imploremus humiliter,
V. Ut ipsi rogent Dominum
Pro nobis efficaciter,
Quod ad aeternam gloriam
Perducat nos feliciter.

A. Ad festum apostolicum
Concurrant omnes populi,
Veneremur apostolos
Magni, majores, parvuli.

A. Apostolorum meritis
Suffragiis et inclitis
Tanto magis adjuvamur,
Hos quo magis veneramur.

In Magnificat.

A. Christum Jesum magnificum,
Magnificet ecclesia,
Qui beatos apostolos
Magnificat in patria.

Psallentium.

Qui in coena Domini
ad mensam sedetis,
Suo ut nos foveat
pane, hunc rogetis,
Locum nobis exhibens
aeternae quietis.

Ad Vigilias.

R. Apostolorum omnium
Celebremus omnes festum,
Quos devote deprecemur,
Ut defendant, ne molestum
Quid affligat nos, infestet
Et cor nostrum reddat maestum;
V. Faciant, ut et infernum
Devitemus nos funestum
Et intremus paradisum,
Locum pulchrum et honestum.

A. Multas poenas apostoli
Passi pro Christi nomine
Perenni gaudent gloria
Cum beatorum agmine.

R. Sancti Christi apostoli,
Passi pro Christi nomine,
Suas stolas mundificant
Lavantes agni sanguine
Vanaque spernunt idola
Electo vero numine;
V. Apostolorum omnium
Mors sanctorum pretiosa,
Qui tyrannos prosternentes
Palma gaudent gloriosa.

A. Exstiterunt apostoli
Fortes Christi bellatores,
Quos per virtutem fidei
Reddidit ipse victores.

R. Omnes Christi apostoli
Sancti, nobis succurrite,
Pro nobis, vestris famulis,
Preces ad Deum fundite,
V. Ne nos mundus, diabolus,
Caro vincant, defendite,
Nos meritis et precibus
Vestris ad regnum ducite.

A. Caritate inflammati
Sunt apostoli parati
Pro Christo mortem sumere
Magis quam mundo vivere.

Psallentium.

Apostoli martyrii
Sunt decorati laurea,
Ornati Christi milites
Aureola et aurea.

Allia Psallenda.

Munito scuto fidei
Et lorica justitiae
Apostoli sunt pugiles
Fortes in Christi acie.

R. Christi omnes apostoli,
Virtutibus magnifici,
Magnificate Dominum,
Chori concives coelici.
V. Qui vos sua magnifica
Magnificavit gloria,
Magnificandos laudibus
Solemni cum laetitia.

Psallentium.

Nobis, sancti apostoli,
Vestrum date praesidium,
Quo currentes in stadio
Participemus bravium.

Post Kyrie.

A. Quantum sanctis apostolis
Erimus devotiores,
Tantum dare suffragia
Nobis erunt promptiores.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Apostolorum gloria
Est in coelesti patria,
Ubi nulla miseria;
Qui perfecte sunt beati,
Excellenter honorati,
Cunctis bonis sunt ditati.
V. A quorum Deus oculis
Abstersit omnem lacrimam,
Eis dolorem auferens,
Luctum, mortem teterrimam.

Inter Lectiones.

Responsoria.

1. Apostoli nudipedes,
Secuti sunt vestigia
Christi, spernentes saeculum
Qui reliquerunt omnia;
V. Castigant sua corpora
Vigiliis, jejuniis
Et macerant laboribus,
Affligunt modis variis.

2. Omnia sunt apostolis
Christi Jesu communia,
Ad quorum pedes omnium
Vendentes ponunt pretia,
Qui dividunt haec singulis,
Prout sunt necessaria;
V. Qui pleni sancto spiritu
Loquuntur cum fiducia,
Linguis loquuntur variis
Alta Dei magnalia.

In Benedictus.

A. Benedictus ab omnibus
Sit Dominus viventibus,
Qui benedictionibus
Apostolos perennibus
Replet in coeli sedibus.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra redemptio,
Praesta, ut crucis passio
Sit nostra gloriatio,
Per quam mundum redimisti,
Morte mortem diluisti,
Vitam vita reddidisti,
Cujus fidem celeriter
Apostoli et firmiter
Sumpserunt et salubriter.

In Cantemus.

A. Bellatori glorioso
Gloriose decantemus,
Omnes sanctos apostolos
Collaudantes honoremus.

In Benedicite.

A. Benedicite Domino
Cuncta ipsius opera,
Qui beatos apostolos
Adduxit super sidera.

In Laudate.

A. Collaudemus apostolos
Nos cum festivis laudibus.
In cymbalis et organis,
Choris benesonantibus.

Psallenda in Baptisterio.

Fiebant per apostolos
Multa signa, prodigia,
Resuscitabant mortuos
Fugabant et daemonia,
Sanabant umbra languidos
Divina freti gratia.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. In manibus sunt Domini
Apostolorum animae,
Quos non tanget de cetero
Poena mortis acerrimae.

2. Christo Jesu apostoli
Reddebant testimonium,
Quibus ipse contulerat
Gratiae beneficium.

3. Liberati a carcere
Angelico suffragio
Congaudebant apostoli
Dimissi a concilio,
Quod erant contumeliam
Passi pro Dei filio.

4. Magnificantes Dominum
Fide, verbis, operibus
Honoremus apostolos
Magnificis cum laudibus,
Magnificos divitiis,
Deliciis, honoribus.

5. Ad lucem verae fidei
Luce divinae gratiae
Sancti ducti apostoli
Facti sunt lux ecclesiae.

6. Amici tui, Domine,
Sunt honorati nimium.
Qui sunt sancti apostoli
Regni tenentes solium.

7. Fide fuerunt milites
Christi athletae incliti,
Apostoli operibus
Justis ferventer dediti.

Post Kyrie.

A. Apostolorum merita
Nos defendant in hac vita
Ab hostium insidiis,
Dent coeli frui gaudiis.

16. In Vigiliis beatae Margaritae Virginis.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Lux lucis et fons luminis
Est Christus, proles virginis,
Davidicae propaginis,
Homo, redemptor hominis;
V. Qui Margaritam virginem,
Fulgentem luce gratiae,
Illuminavit radio
Splendoris suae gloriae.

In Choro.

A. Aerumnis mundi variis
Afflictis et moerentibus,
O Margarita, subveni
Nobis beatis precibus;
Fac, ut purgati vitiis
Et peccatorum sordibus
Intremus locum gloriae,
Quo fruamur coelestibus.

Cum Infantibus.

R. Nos Margaritam martyrem
Solemnibus cum gaudiis
Veneremur et virginem
Cum debitis obsequiis,
Ut suum patrocinium
In cunctis necessariis
Det nobis apud Dominum
Cum precibus propitiis;
V. Haec margarita canduit
Virginitatis lilio,
Ut rubens rosa floruit
Rubricata martyrio.

A. Est in virtute Domini
Margarita liberata,
Et est in ejus nomine
Salva facta coronata.

A. A dextris tuis, Domine,
In deauratis vestibus
Stat Margarita variis
Circumdata virtutibus.

In Magnificat.

A. Christum Jesum magnificum
Magnificet ecclesia,
Qui Margaritam virginem
Magnificat in patria.

Psallentium in Baptisterio.

Caritate inflammata
Margarita est parata
Pro Christo mortem sumere
Magis quam mundo vivere.

Ad Vigilias.

R. Virginitate subjicit
Haec carnis petulantiam,
Contemptu temporalium

Conculcat avaritiam,
Humilitate reprimit
Diaboli superbiam;
V. Quam fortis, quam mirabilis
Margaritae constantia.
Quae carnem, mundum, daemonem
Subegit cum victoria.

A. Prudens virgo Margarita
Nescit in delicto thorum,
Coeli, terrae regem colens
Cultum spernit idolorum.

R. O quantum commendabilis
Est virginum prudentia,
Quae sponsum carnis respuens
Relinquit transitoria,
Aeternum sponsum eligens
Amplectitur coelestia;
V. O quam felix connubium
Christi atque Margaritae,
In quo nullum divortium,
Sed perdurat factum rite,
Quae beata nunc residet
Cum coelesti sponso vitae.

A. Passa pro Christi nomine
Multas poenas Margarita
Cum supernorum agmine
Sempiterna gaudet vita.

R. Virtutum septae floribus
Et gemmis corruscantibus
Margaritae, quam meruit,
Christus coronam tribuit;
V. Haec martyr, virgo sapiens,
Pro Christo mortem patiens
Coeli choros ingreditur,
Bonis optatis fruitur.

A. Dat Margaritae Dominus
In animo constantiam,
Per quam tormenta superans
Intravit donans gloriam.

Psallentium.

Haec Margarita nobilis
Exstitit Antiochena,
Elegans mente, corpore,
Virgo decens et amoena.

R. Ornata virgo lampade
Margarita ingreditur
Nuptiale convivium,
Cum Christo quae reficitur;
V. Margarita non exstitit
De fatuis virginibus,
Quae pleno vase oleo
Intravit cum prudentibus.

Psallentium.

Margaritae collaetemur
De corona triumphali,
Qua coronatur hodie
Choro juncta virginali.

Post Kyrie.

Haec tormentis laniata,
Margarita candidata,
Christo sponso copulata
Non est deos venerata.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. A Christo non potuit
Saevis poenis separari
Haec virgo, quem noverat
Haec sponsum sine pari
Et quem praedilexerat
Amore singulari;
V. Praedilectam praedilectus
Et ex millibus electus
Margaritam praeelegit,
Quem prae cunctis haec dilexit.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Margarita fortissima,
juvenis puella,
Contra saevum olybrium
Christi gessit bella,
Quae per acuta fidei
hunc devicit tela.

V. Carnis, mundi, diaboli
Regna per fidem despicit,
Perquam prudens haec omnia
Victoriose subjicit.

2. Margarita consodalis
Sancti coetus virginalis,
Christi sponsa est regalis,
Qui est sponsus speciosus,
Nobilis et generosus,
Super omnes gloriosus;

V. Non in mundo sponsus talis
Reperitur, iste qualis,
Qui est prudens, liberalis,
Sponsus dives, immortalis.

In Benedictus.

A. Benedictus ab omnibus
Sit Dominus viventibus,
Qui benedictionibus
Margaritam perennibus
Replet in coeli sedibus.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra medicina,
Qui de mortis nos ruina
Morte crucis liberasti
Et ad vitam revocasti,
Da Margaritae precibus,
Fruamur ut coelestibus.

In Cantemus.

A. Cantemus Deo gloriam
Nos redemptori omnium,
Qui Margaritae virgini
Coeleste donat bravium.

In Benedicite.

A. Omnia Dei opera,
Ipsi benedicite,
De Margarita virgine
Hymnum sibi dicite.

In Laudate.

A. Domini nomen laudemus
Vocibus sonoris,
Honoremus Margaritam
Omnes cunctis horis.

Psallentium in Baptisterio.

Haec Margarita, candida
Virginali munditia,
Parvam se Deo praebuit
Humilitatis gratia,
Se virtuosam reddidit
Virtutum affluentia.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Gaude, virgo Margarita,
Quae pro Christo data vita
Carnis coeli sede sita
Es corona redimita.

2. Magnificemus Dominum
Magnificis cum laudibus,
Qui Margaritam virginem
Magnificat perennibus
Divitiis, deliciis,
Perpetuis honoribus.

3. Haec Margarita gratiam
Partu periclitantibus
Impetravit a Domino
Devote hanc rogantibus,
Ut prolem suam pariant
Illaesam suis precibus.

4. Non seducta blandimentis,
Non promissis, non tormentis
Haec Margarita idola
Colit, sed spernit frivola.

5. Haec de quinque prudentibus
Christo sponso est unita
Et intrans laeta nuptias
Est corona insignita.

6. Carnalem sponsum respuit
In praesenti virgo vita,
Regem regum praeeligens,
Christum sponsum Margarita.

Post Kyrie.

A. Haec Margarita sanguinem
Christi compensat sanguine,
Quem ipsa mortem patiens
Fudit pro ejus nomine.

17. In Vigiliis sancti Silvestri.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Lux lucis et fons luminis,
Christe, nos luce gratiae
Praesenti lustra saeculo
Post mortem luce gloriae;
V. Vitiorum tenebras
Virtutum pelle radio,
Silvestri nos adjuva
Confessoris suffragio.

In Choro.

A. Silvester, ad catholicam
Fidem tauri miraculo
Reginam ducis Helenam
Cum Judaeis et populo;
Summe pastor, nos libera
De corporis ergastulo.
Nos liberatos colloca
Coelesti tabernaculo.

Cum Infantibus.

R. Silvestri papae celebrent
Festum fideles hodie,
Quem Dominus ad patriam
Duxit omnis laetitiae;
V. In domo Dei gloria,
Sempiternae divitiae,
Sine moerore gaudium,
Perennes sunt deliciae.

A. Justus Silvester pontifex
Laboravit finaliter,
Qui pro justis operibus
Nunc vivit aeternaliter.

A. Est Silvester justissimus
In aeterna memoria,
Non ab auditu metuit
Malo, qui gaudet gloria.

In Magnificat.

A. Christum fideles hodie
Magnificent magnificum,
Qui Silvestrum magnificat
Dans sibi regnum coelicum.

Psallenda in Baptisterio.

Est Silvester sublimatus
Ad papalem dignitatem,
Nunc in coelis coronatus
Propter ejus sanctitatem.

Ad Vigilias.

R. In Silvestri matricula
Describitur plebecula
Gentis Romae paupercula,
Quaerentis victus pabula;
V. Qui vestem, cibum, pocula
Praesul dat, habitacula
Compassione sedula.

A. Os piscis, Tarquinius,
Cujus guttur intraverat,
Moritur, qui carceri
Silvestrum mancipaverat.

R. Honorat tanto quoslibet
Silvester eminentius,
Quanto cognoscit vivere
Cunctos antistes sanctius;
V. Magis ad elegantiam
Morum quam ad potentiam
Personae pastor respicit,
Qui vana mundi despicit.

A. Silvestri vita praesulis
Cumulabantur merita,
Sanctitatis operibus
Indesinenter dedita.

R. Constantinus, ab omnibus
Mundatus leprae sordibus
In aquis baptismalibus
Per Silvestrum, regalibus
Papatum multiplicibus
Honoravit honoribus;
V. Constantinus ecclesiae
Romanum dat imperium
Sanitatis considerans
Collatae beneficium.

A. Decedente Melchiade
Summus praesul eligitur
Silvester, Justae filius,
Ut ejus gestis legitur.

Psallentium.

Sanctus Silvester pontifex
Per pietatis opera
Fuit in domo Domini
Ut oliva fructifera,
Qui locum tenens gloriae
Laetatur super sidera.

R. Sicut fecunda redditur
Silva multis arboribus,
Fecundatur ecclesia
Per Silvestrum fidelibus,

V. Quos hic ad fidem provocat
Miraculis patentibus,
Verbo doctrinae populum
Convertens et operibus.

Psallentium.

Nos, Silvester, tua prece
Peccatorum purga faece,
Ne nos necent turpi nece.

Post Kyrie.

A. Papa Silvester separat
Aures a detractoribus,
Ipsas ab eis subtrahens
Sanctus vir a serpentibus.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Exaltat apostolicam
Clemens Deus ecclesiam
Per sanctum summum praesulem
Personam sanans regiam,
Constantinum, baptismatis
Percipientem gratiam;

V. A leprae mundat pontifex
Imperatorem sordibus,
Per quem fides diffunditur
In orbis terrae finibus.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Sanctus Silvester duplicans
Talenta pastor ovium,
Servus in sui domini
Fidelis intrat gaudium;

V. Non in terra fodiens
Abscondit pecuniam,
Sed ipsam multiplicat
Prudens per industriam.

2. Silvestro, sancto praesuli,
Sanctus Petrus apparuit,
Ut ad draconem pergeret,
Ut hunc orantem monuit;

V. Filo ligat perpetuo
Draconis os pestiferi,
Signo sigillans annuli
Silvester hoc cruciferi.

In Benedictus.

A. Benedictus ab omnibus
Deus Silvestri precibus
Nos benedictionibus
Benedicat coelestibus.

Ad Crucem.

A. In mundum Deus veniens
Passus crucis patibulum
Per mortem suam liberat
Amore suum populum.
Cunctorum gloriatio
Sit Christi crucis passio,
Cujus sequens vestigia
Silvester est in gloria.

In Cantemus.

A. Fideles Deo populi
Cantent laudes magnificas,
Qui mansiones tribuit
Sancto Silvestro coelicas.

In Benedicite.

A. Benedicite Domino
Coeli, terra, maria,
Qui Silvestro pontifici
Regna dat coelestia.

In Laudate.

A. In Silvestri pontificis
Festo laudet in tympano
Deum fidelis populus,
In chordis atque organo.

Psallenda in Baptisteria.

In praedicando gratiam
Tantam Deus contulerat
Silvestro, quod hunc quilibet
Gratum sibi dilexerat.

Mane ad Processionem.

Antiphonae.

1. Silvester hospitalibus
Intendebat operibus
Vagabundos hospitio
Recipiens cum studio.

2. Sunt apertae coeli portae
Nunc Silvestro sumpta sorte
Supernorum cum cohorte,
Quibus vita sine morte.

3. Praesul mirae sanctitatis
Cum talentis duplicatis
Est Silvester cum beatis.

4. Concelebret ecclesia
Confessoris solemnia
Silvestri cum laetitia,
Qui fide, verbo claruit,
Sanctitate resplenduit
Miraculis emicuit.

5. Serve prudens et fidelis,
Subvenire nobis velis
Te cunctis reverentibus,
Silvester, tuis precibus.

Post Kyrie.

A. A matre cum nomine
Justa Silvester genitus,
Miris fuit virtutibus
Et sanctitate praeditus.

18. In Vigiliis sanctorum martyrum Marcellini et Petri.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. In Marcellini et Petri
Festivo natalitio
Festivas odas personet
Christianorum concio,
Ipsos cum reverentia
Honoret et cum gaudio.

2. Marcellinus, assecutus
Sacerdotis dignitatem,
Est in coelis coronatus
Propter suam sanctitatem.

3. Firmus in petra fidei
Petra poenarum teritur,
Petrus a petra Domino
Cum palma qui suscipitur.

4. Quam gloriosi martyres
Sancti, Petrus, Marcellinus,
Quos cum triumpho gloriae
Abrahae recepit sinus.

5. Sancti regna contempserunt,
Quae per fidem devicerunt,
Operati justitiam
Sunt consecuti gloriam.

Ad Magnificat.

A. Marcelline atque Petre
Virtutibus magnifici,
Magnificate Dominum,
Chori concives coelici,
Qui sua vos magnifica
Magnificavit gloria,
Magnificandos laudibus
Solemni cum laetitia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deo nostro salutari
Exsultantes jubilemus,
Marcellinum atque Petrum
Jubilantes honoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Marcelline, tua prece
Nos peccati purga faece,
Ne nos necet turpi nece.

2. Christi compensant sanguinem
Martyres suo sanguine,
Ut rosae facti rubei
Passi pro Christi nomine.

3. Marcellinus atque Petrus
Sunt adepti gloriam,
Habentur et in laudibus
Nunc apud ecclesiam.

Responsoria.

1. Celebrantes ad honorem
Tui festum, Jesu Christe,
Marcellini sacerdotis,
Petri simul exorcistae,
Precibus horum gaudentes
Fac nos, pellens quidquid triste.
V. Appetentes te jucundum,
Da, spernamus ut hunc mundum,
Vitiorum nos immundum,
Fac, vitemus ut profundum.

2. Marcellinus atque Petrus
Passi pro Christi nomine
Suas stolas mundificant
Lavantes agni sanguine
Vanaque spernunt idola
Electo vero numine.
V. O quam Petri, Marcellini
Mors sanctorum pretiosa,
Qui tyrannum prosternentes
Palma gaudent gloriosa.

3. Plagis caesus, carceratus,
Tortus Petrus exorcista,
Cippo strictus, decollatus
Saevo fuit a lanista;
V. A Christo non potuit
Poenis separari
Martyr hic, quem noverat
Regem sine pari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Utriusque sexus fuit
Multitudo baptizata
Per beatum Marcellinum,
Christianis aggregata.

2. Petrus Paulinam liberat
Vexatam a daemonio,
Fugans ipsum deificae
Virtutis beneficio.

3. Fuerunt isti martyres
Fortes Christi bellatores,
Quos per virtutem fidei
Reddidit ipse victores.

Responsoria.

1. Consocii martyrio,
Fide, festi memoria,
Consortes facti gloriae,
Gaudentes nunc in patria,
Marcelline atque Petre,
Nobis date suffragia;
V. Christianorum populo
Celeriter succurrite,
Nos a cunctis molestiis
Prece pia defendite.

2. Nudus orans Marcellinus
In carceris ergastulo
Per angelum eximitur
A carcerali vinculo
Et vestibus induitur
Deifico miraculo;
V. Hic martyr ut apostolus
Petrus a Deo solvitur
Et cum Petro Marcellinus
Liber exire cernitur.

3. Marcellinus atque Petrus
Sapientes exstiterunt,
Mundum, carnem, diabolum
Qui per fidem devicerunt,
Studentes regno perfrui,
Sine fine quod noverunt;
V. Quam felices, qui resident
In regis regum curia,
Cunctis pleni divitiis,
Deliciis et gloria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nobis, beati martyres,
Date vestrum praesidium,
Quo currentes in stadio
Percipiamus bravium.

2. Marcellinus atque Petrus
Insimul orantes
Genu flexo decollantur
Pacem sibi dantes.

3. Juxta dictum altissimi,
Dantis vitam pro populo,
Vitam pro Christo martyres
Poenarum dant patibulo.

Responsoria.

1. Missarum pium celebrans
Marcellinus officium
Per mortem dat martyrii
Se Christo sacrificium,
Qui pro ipso sustinuit
Mortis dirae supplicium;
V. Hic non oblitus exstitit
Fidejussoris gratiam,
Vicem Christo retribuens
Per mortis tolerantiam.

2. Qui decollarunt martyres
Attestantes hoc dixerunt,
Quod velut pulchras virgines
Horum animas viderunt,
Quas coronantes angeli
Mox ad coelum transtulerunt;
V. O quam beati martyres
Petrus atque Marcellinus,
Quos gloriosus Abrahae
Hodie recepit sinus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctos Christus induit
Mira fortitudine,
Praecinxit virtutibus
In omni certamine.

2. Cuncti fideles populi
Deo Jacob jubilate,
Servite in laetitia,
Marcellinum honorate.

3. Ad Christum, fontem luminis,
Petrus de luce vigilat,
Qui fidei et operum
Splendore clarus rutilat.

4. Dominum benedicite
Coeli, terra, maria,
Per quem Petrus, Marcellinus
Assumpti sunt in gloria.

5. In Marcellino et Petro
Sanctis laudemus Dominum,
Quos coronavit hodie
Christus, redemptor hominum.

Ad Benedictus.

A. Dominus Deus Israel,
Benedictus per omnia,
Marcellinum atque Petrum
Benedixit in patria,
Quibus donavit perfrui
Vitae perennis gloria.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Orate Christum, martyres
Sancti, Petre, Marcelline,
Quod nos in regno collocet,
Quo regnemus sine fine.

2. Sacerdotalis cardinis
Quos honoravit titulus,
Beatos Christi martyres
Honorent clerus, populus.

3. Nobis beatis precibus
Sancti Petri exorcistae
Da gratiam cum gloria,
Fili Dei, Jesu Christe.

4. Devote, sancti martyres,
Nos colentes vestrum festum
Custodite, ne quid turbet
Et cor nostrum reddat maestum.

5. Pro Jesu Christi nomine
Tormenta passi varia,
Sunt coronati martyres
Honore atque gloria.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Magnificum per omnia,
Qui Marcellinum et Petrum
Pia magnificentia
Magnifice magnificat
In supernorum patria,
Hos laudibus plebs omnium
Magnificet fidelium.

In Commemoratione.

Antiphona.

Sacerdotem Marcellinum
Atque Petrum exorcistam
Deprecemur, ut ad regnum
Nos post vitam ducant istam,
Fluctuantem in pressuris
Et aerumnis multis mistam.

Alia.

Marcellinum exoremus,
Exorcistam simul Petrum,
Ut nos juvent, ut vitemus
Inferorum locum taetrum
Christi regnum et intremus,
Aperitur quod per Petrum.

In Choro.

A. Marcelline atque Petre
Sancti nobis succurrite,
Pro nobis vestris famulis
Ad Deum preces fundite,
Ne nos mundus, diabolus,
Caro vincat, defendite,
Nos meritis et precibus
Vestris ad regnum ducite.

19. In Vigiliis beatae Eugeniae.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Lux vera, Christe, tenebras
Omnes nostras illumina,
Quae nos trahunt ad inferos,
Tu taetra dele crimina;
V. Jesu, lumen de lumine,
Da meritis Eugeniae
Nobis in coeli culmine
Beatam lucem gloriae.

In Choro.

A. Aerumnis mundi variis
Afflictis et moerentibus,
Eugenia, subvenias
Nobis beatis precibus;
Fac, ut purgati vitiis
Et peccatorum sordibus
Intremus locum gloriae,
Quo fruamur coelestibus.

Cum Infantibus.

R. In martyris Eugeniae
Solemni natalitio
Congaudeat ecclesia
Mater festivo gaudio;
V. Exsultet chorus virginum
Cum martyrum collegio,
Cum quibus est Eugenia
Sedens in regni solio.

A. Orta virgo Eugenia
De Philippo et Claudia
Fuit martyr eximia
In Romanorum patria.

A. Haec de quinque prudentibus,
Eugenia, in omnibus
Perita liberalibus
Est excellenter artibus.

Ad Magnificat.

A. Christum Jesum magnificum
Magnificet ecclesia,
Qui virginem Eugeniam
Magnificat in patria.

Psallentium in Baptisterio.

Eugenia testificat
Se patri scissis vestibus
Esse dilectam filiam,
Patre, matre gaudentibus.

Ad Vigilias.

R. Haec carnis luxus subjicit
Virginali munditia,
Conculcat avaritiam
Contemnens temporalia,
Supplantat haec superbiam
Humilitatis gratia;
V. Quam fortis, quam mirabilis
Eugeniae constantia,
Quae carnem, mundum, daemonem
Vicit Christi potentia.

A. Elegans mente, corpore,
Virgo decens et amoena,
Cum Christo nunc Eugenia
Gloriosa gaudet coena.

R. O quam felix virginitas,
Suprema carnis castitas,
O quam felix humilitas,
Humilium sublimitas,
Quam dives copiositas
Sanctis, quibus sunt claritas
Spretae mundi et vanitas;
V. Quam felix es, Eugenia,
Quae virginum consocia
Praedives nunc in patria
Sublimaris in gloria.

A. Eugeniam cum servulis
Locat in monasterio
Beatus praesul Elenus,
Quos Christi dat obsequio.

R. Sancta virgo Eugenia,
De sapientum numero,
Ingressa regni januam
Cum sponso gaudet supero,
Quae prudens sprevit jungere
Se sponso carnis infero;
V. Haec calcat transitoria
Relicto mundo misero,
Poenalitatum sentibus
Multis et diris aspero.

A. Multas poenas Eugenia
Passa pro Christi nomine
Perenni gaudet gloria
Cum supernorum agmine.

Psallenda.

In gestis Theclae perlegens,
Pro Christo quae sustinuit,
Eugenia mox credere
In Jesum Christum voluit,
Protum, Jacinthum vernulas
Ad quem converti studuit.

R. Descendens ignis coelitus,
Domum falsae Mellantiae
Consumpsit totam funditus
Virtute regis gloriae
V. Et hanc combussit penitus
Propter crimen calumniae,
Quod falsus falso spiritus
Imposuit Eugeniae.

Psallenda.

Deprecemur Eugeniam,
Aggregatam virginibus,
Ut apud Dei filium
Nos juvet suis precibus.

Post Kyrie.

Beata es, Eugenia,
Quae spernens transitoria
Recepisti coelestia
Nunquam deficientia.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Laureata martyrio
Cum palma virginitatis
Ad nuptias Eugenia
Introivit cum paratis,
Quae sponsi nunc amplexibus
Jucundatur peroptatis;
V. Haec regnat coeli sedibus,
Compta serto venustatis,
Conviva regis gloriae
Cibis fruens delicatis.

Ad Lectiones.

Responsoria.

1. Haec sub virili specie
Sexum velans femineum
Manum misit ad fortia,
Fortis cor habens ferreum,

Honores, opes respuens
Corpus strinxit virgineum
Per jugem abstinentiam
Et castitatis balteum;
V. Virgo martyr Eugenia
Coelum scandit empyreum,
Excussa carnis palea
Ingressa Christi horreum.

2. Recepit haec divinitus
Abbatis ministerium,
Quod peragit humiliter
Velut sit servus omnium;
V. Se promptam et beneficam
Dat cunctis per obsequium,
Quae sublimata residet
In choro nunc humilium.

In Benedictus.

A. Saeva fugat daemonia,
Sanat aegros Eugenia,
Per ipsam quartanaria
Sanata est Mellantia.

Ad Crucem.

A. Jesu, nostra medicina,
Qui de mortis nos ruina
Morte crucis liberasti
Et ad vitam revocasti,
Eugeniae da precibus,
Fruamur ut coelestibus.

In Cantemus.

A. Praestantior vigiliis
Atque orationibus
Reperitur Eugenia
Fuisse cunctis fratribus.

In Benedicite.

A. A divinis colloquiis,
Crebris orationibus
Non cessabat Eugenia
Diebus neque noctibus.

In Laudate.

A. Festivitatem virginis
Honoremus Eugeniae,
In cymbalis et organis
Laudantes regem gloriae

Psallentium in Baptisterio.

In thermarum fornacibus
Deponitur Eugenia,
Quarum virtute Domini
Exstincta sunt incendia,
Nullam beatae virgini
Jacturam inferentia.

Mane ad Processionem.

Antiphonae.

1. Occiditur Eugenia
Die, qua Christus nascitur,
Et in perenni gloria
Martyr laeta suscipitur.

2. Protum, Jacinthum vernulas
Hortatur sic Eugenia:
Simus nos fratres animo,
Voto atque concordia
Mundi spretis honoribus
Et derelicta gloria.

3. O quantae Christo virgines
Junguntur per Eugeniam,
O quantae Christo viduae
Copulantur per Claudiam,
Protus, Jacinthus juvenes
Multos ducunt ad gloriam.

4. Ut in Joseph Putipharis
Uxor, sic in Eugenia
Castitatem exstinguere
Conata est Mellantia,
Quod facere non potuit
Ipsius impudentia.

5. Ductis ad templum idoli,
Hoc colere spernentibus
Proto, Jacintho, corruit
Coram eorum pedibus:
Qui regni scandunt solium
Cum praecisis capitibus.

6. In tenebrosi carceris
Dira clausa custodia
Privatur pane, lumine
Decennio Eugenia.

7. Avitus atque Sergius,
Sanctae fratres Eugeniae,
Paganos ducunt plurimos
Ad Christum regem gloriae.

Post Kyrie.

A. Fuit corpus Eugeniae
Sepultum ejus praedio,
Quo sancta pio corpora
Haec tumularat studio.

In 2. Vesperis.

In Choro.

A. Sanctae festo Eugeniae
Gaudeamus in Domino,
Quae gaudens gaudet gaudio
Coelesti sine termino,
Aureolae ac aureae
Ornata serto gemino.

R. Sacris Christi virginibus
Sancta virgo Eugenia
Construxit monasterium
Cum decenti ecclesia,
Quae corpus patris martyris
Philippi condit filia;
V. Fundavit xenodochium
Ipsius mater Claudia,
De quorum fructu viverent
Peregrini, dans praedia.

20. In Vigiliis sancti Johannis, Archiepiscopi Mediolanensis.

Ad Vesperum.

Lucernarium.

R. Fili Mariae virginis,
Lux lucis, lumen mentium,
Nos redde tibi placidos
In lumine viventium;
V. Illuminatos radio
Splendoris tuae gratiae
Sancti Johannis meritis
Duc nos ad lucem gloriae.

In Choro.

A. Aerumnis mundi variis
Afflictis et moerentibus,
Sancte Johannes, subveni
Nobis beatis precibus,
Fac, ut purgati vitiis
Et peccatorum sordibus
Intremus locum gloriae,
Quo fruamur coelestibus.

Cum Infantibus.

R. Johannes, plenus gratia,
Fide pollens et moribus,
Deo gratus et homini
Fulsit in suis actibus,
V. Lucis exempla proximis,
Lucernas tenens manibus
Ardentes, quibus Dominum
Laudent, monstrat operibus.

A. Johannes, justus pontifex,
Laboravit finaliter,
Quem Christus nunc remunerat
Viventem aeternaliter.

A. In aeternae justissimus
Johannes est memoria,
Qui nunc cum sanctis omnibus
Perenni gaudet gloria.

In Magnificat.

A. Christum fideles hodie
Magnificent magnificum,
Qui Johannem magnificat
Dans sibi regnum coelicum.

Psallentium in Baptisterio.

Concelebret ecclesia
Confessoris solemnia
Johannis cum laetitia,
Qui fide, verbo claruit,
Sanctitate resplenduit,
Miraculis emicuit.

Ad Vigilias.

R. Januensis dioecesis,
Festivo gaude gaudio,
Quae tuum germen aggregas
Confessorum collegio,
Johannem, qui te adjuvat
Multiplici suffragio;
V. Hujus Johannis meritis.
Suffragiis et inclitis
Tanto magis adjuvaris,
Hunc quo magis veneraris.

A. Villa Camulli nascitur
Johannes de parentibus
Januensis dioecesis
Valle Rechi nobilibus.

R. Humilitatis gratia
Fuit Johannes praeditus,
Trino refecit pabulo
Gregem pastor sollicitus.
Pietatis operibus
Hic totus fuit deditus.
Hic relevare miseros
Et consolari solitus;
V. Hic famelicos pascebat,
Hic et nudos vestiebat
Sitientes hic potabat,
Aegros, captos visitabat.
Peregrinis hospitium,
Dat mortuis officium.

A. Johannes a parentibus
Mediolanum ducitur,
Metropolis ecclesiae
Qui clericus efficitur.
R. Januensis pontificis,
Sancti Syri ad Derium
Ecclesiam aedificat
Pii Johannis studium,
Qui plebis sibi contulit
Primatus beneficium,
Ut in chori pariete
Scriptura dat indicium.
V. Apostolorum omnium,
Syri, Mariae variis
Johannes hanc magnificat
Sacrosanctis reliquiis.

A. A Mediolanensibus
Cunctis digne praedilectus
Johannes in pontificem
Merito fuit electus.

A. Johannes pastor similis
Fuit viro sapienti,
Domum suam super petram
Sapienter construenti.

A. Nobis, Johannes pontifex,
Tuum dona praesidium,
Quo currentes in stadio
Percipiamus bravium.

R. In suis facultatibus
Haeredem hic instituit
Ambrosii ecclesiam,
Quam gubernare studuit
Johannes per decennium,
Praesul qui Deo placuit;
V. Quam Dei thecam omnium
Bonorum temporalium
Suorum esse voluit,
Ut thesaurum in patria
Inveniat cum gloria,
In coelis quem reposuit.

Psallentium.

Talenta sacra duplicans
Johannes, pastor ovium,
Intrat in sui domini
Servus fidelis gaudium.

Post Kyrie.

Ad paradisi gloriam
Merito Christus provexit
Johannem, gestu, habitu
Qui se totum hic despexit.

Ad Matutinum.

Post hymnum.

R. Sic se Johannes humilem
Coram cunctis exhibuit,
An esset ipse pontifex.
Vix hic discerni potuit.
Humilitatis merito
Cui porta coeli patuit;

V. O quam felix humilitas,
Per quam vera sublimitas
Veris datur humilibus
In coelis jam regnantibus.

Inter Lectiones.

Responsoria.

1. Urso pio divinitus
Johannes hic apparuit,
Ubi ejus quiesceret
Corpus, sibi exposuit,
Quod vidit, Ursus praesuli
Heriberto aperuit,
Quem rogat, ut extumulet,
Quod diu luto jacuit;
V. Quia Johannem Dominus
Hunc venerari voluit,
Et corpus honorifice
Reponi sibi placuit,
Heribertus sollicite
Hoc adimplere studuit.

2. Vallis de Recho incolae
Laeti portant ad patriam
Sancti Johannis brachium,
Costam simul et tibiam,
Thesaurum honorabilem
Ad sancti reverentiam.
V. Juxta promissum construunt
Venerandam ecclesiam
Ad decus tanti praesulis,
Laudem quoque ac gloriam.

In Benedictus.

A. Benedictus ab omnibus
Deus Johannis precibus
Nos benedictionibus
Benedicat coelestibus.

Ad Crucem.

A. In mundum Deus veniens
Passus crucis patibulum
Per mortem suam liberat
A morte suum populum;
Cunctorum gloriatio
Sit Christi crucis passio,
Cujus sequens vestigia
Johannes est in gloria

In Cantemus.

A. Fideles Deo populi
Cantent laudes magnificas,
Qui mansiones tribuit
Sancto Johanni coelicas.

In Benedicite.

A. Benedicite Domino
Coeli, terra, maria,
Qui Johanni pontifici
Regna dat coelestia.

In Laudate.

A. In Johannis pontificis
Festo laudet in tympano
Deum fidelis populus,
In chordis atque organo.

Psallentium in Baptisterio.

De ara sancti Stephani
Non poterant reliquiae
Moveri sancti praesulis,
Donec opus ecclesiae
Fabricari promittitur
Ad suae decus gloriae.

Mane ad Psallentium.

Antiphonae.

1. Veneremur memoriam
Johannis venerabilem,
Ut hic in nostris precibus
Se reddat exaudibilem.

2. In prato carbonario
Immobiles reliquiae
Sunt sancti, donec redditur
Sancto pratum plenarie.

3. Sanctum Johannem Dominus
Supra multa constituit,
Qui super pauca sapiens
Se sapienter habuit.

4. Diebus suis Domino
Sacerdos magnus placuit
Johannes, ante Dominum
Quia justus apparuit.

5. Pietatis operibus
Se Johannes exercitat,
Contemplativus pontifex
Activa vita militat.

6. Johannes, sanctus pontifex,
Servus fidelis et prudens,
Novit mensuram tritici
Dare gregi pastor studens.

7. Conditum aromatibus
Corpus Johannis conditur
Michaelis ecclesia,
Qui vere sanctus colitur.

8. Venerandis reliquiis
Sancti Johannis obviam
Caterva Januensium
Venit ad ejus gloriam.

Post Kyrie.

A. A largitore gratiae,
Datore omnis gloriae,
Implora nobis gratiam,
Johannes, atque gloriam.

In 2. Vesperis.

In Choro.

A. Humilitate praeminens
Johannes venerabilis,
Pietatis operibus,
Caritate, praestabilis,
Nostris devotis precibus
Sis semper exaudibilis,
Per te donetur gloria
Nobis interminabilis.

III.

MISSAE.

---

1. De sancto Galdino.

Ad Missam.

Ingressus.

Festo Galdini praesulis
Cantemus Deo gloriam.
Suis beatis meritis
Ingressi coeli patriam,
Qui cum sanctis agminibus
Bonis gaudet coelestibus.

Psalmellus.

Pro finali nunc labore
Est Galdinus in honore,
Sublimatus coeli sede
Digna fruens hic mercede;
V. Justus si morte aliqua
Praeoccupatus fuerit,
Laetus in refrigerio
Paradisi semper erit.

In Alleluja.

Ora pro nobis Dominum,
Magne pastor, o Galdine,
Ut nos ad regnum transferat,
Quo regnemus sine fine.

Post Evangelium.

Galdinus pius, patiens,
Duros labores subiens,
Exsul transit in Galliam,
Unitatem catholicam
Servans horret discordiam
Perfidorum schismaticam.

Offerenda.

Galdini natalitio
Haec offertur oblatio,
Post futura corpus Christi,
Quod pro mundo datur tristi,
Passum crucis patibulo
Pro perdito tunc populo.

Confractio.

Pro juribus ecclesiae
Defendendis sollicitus
Et fortis pugil exstitit
Galdinus, praesul inclitus.

Transitorium.

Caro Christi, mundo cara,
Quae pependit crucis ara,
In altari nunc est sumpta,
Quae tamen non est consumpta,
Quam Galdinus saepissime
Sumpsit et devotissime.

2. De sancto Barnaba.

Ad Missam.

Ingressus.

Apostolatus Barnabam
Sublimant ad fastigium
Petrus, Johannes, Jacobus
Et ordinant consortium
Post passionem Domini
Anno tertiodecimo,
Qui plenus sancto spiritu
Gratus fuit altissimo.

Psalmellus.

Principes terrae Dominus
Apostolos constituit
Et his subjecit populos,
Sicut David asseruit,
Quorum sonus in partibus
Cunctis terrarum sonuit.
V. His ligandi et solvendi
Confert Christus potestatem,
Quam et beato Barnabae
Dat insignem dignitatem.

In Alleluja.

Sunt tui nimis honorandi
Amici, Deus, et laudandi,
Quorum valde confortatus
Exstat per te principatus.

Post Evangelium.

Gens nobilis Italiae,
Magno gaude tripudio,
Quae Barnabae apostoli
Edocta magisterio
Veram doctrinam recipis
Ex Christi evangelio.

Offerenda.

Offert se Christo Barnabas
Acceptum sacrificium,
Qui est pro ejus nomine
Durum passus martyrium.

Confractio.

Doctorem suum Barnabam
Gens perfida Judaica
Tradit ignis incendio
Pro fide apostolica,
Qui coeli sedens solio
Nunc aula regnat coelica.

Transitorium.

Praedicatoris martyris
Ornabitur aureola
Beatus noster Barnabas,
Coelestis factus incola,
Qui animae jam retinet
Stolam verus Christicola.

3. De ss. Nabore et Felice.

Ad Missam.

Introitus.

Nabor, Felix martyrii
Condecorati laurea,
Ornati Christi milites
Aureola et aurea,
Intrant gaudentes patriam
Praeoptatam paradisi,
Qui stultorum conspectibus
Sunt tormentis mori visi,
Beatae nunc per omnia
Pacis fruentes gloria.

Graduale.

Data sanctorum corpora
Sunt martyrum martyribus
Minoribus divinitus
Custodienda fratribus,
Durae vitae martyrium
Libenter amplexantibus.
Ut servi Christi humiles
Honorent sibi similes.
V. O quam verum martyrium
Paupertas voluntaria,
Quae fame, siti, frigore,
Laborum tolerantia
Suos professos cruciat
Jugi obedientia.

In Alleluja.

Gaudete passi, martyres,
Pro Christo contumeliam,
Quibus honoris contulit
Deus aeterni gloriam.

Offertorium.

Sacrificare idolis
Nabor, Felix respuentes,
Se Christo praebent hostiam
Ejus cultores prudentes,
Qui fuerunt consocii
Fide, palma martyrii.

Communio.

Sua nos carne reficit
Christus, quae nunquam deficit,
Sed sumpta semper sufficit;
Nabor, Felix hoc credentes
Multas poenas patientes
Intrant regnum congaudentes.

4. De sancta Anna.

Ad Missam.

Ingressus.

Mariae tabernaculum,
Anna, defende populum,
Ut peccatorum scrupulum
Vitemus et periculum;
Esto nobis umbraculum
Commissorum piaculum,
Da coeli habitaculum
Ad praemiorum cumulum.

Psalmellus.

Joachim et uxor ejus,
Justi ambo ante Deum,
Praebent soli justitiae
Hospitium virgineum,
Mariam suam filiam,
Palatium eburneum;
V. Quod Christus novem mensibus
Inhabitat a gentibus
Desideratus omnibus.

In Alleluja.

Anna nimis honoranda
Et a cunctis veneranda,
Quae reginam concepisti,
Matrem nostri Jesu Christi,
Exora hunc cum filia,
Ut nos locet in patria.

Post Evangelium.

Exaltat Deus Joachim
Singulari dignitate,
Avum sibi praeeligens
Redimitum sanctitate,
Qui matrem Christi generat
Excellentem puritate.

Offerenda.

Accepta Christo munera,
Regnanti super sidera,
Oblatus cruce vulnera
Qui passus est mortifera,
Sanctae coetus ecclesiae
Offerat omnis hodie
In festo suae aviae,
Matris virginis Mariae,
Quae regno gaudent gloriae.

Confractio.

Conjuges Anna, Joachim,
Parentes nostrae dominae,
Servant mandata Domini
Sic cum sollicitudine,
Quod reprehendi nequeunt
Justi ab ullo homine.

Transitorium.

Corpus Christi, de virgine
Natum de Annae germine,
Recipitur ab homine
Pro salutis juvamine,
Quo et Annae precamine
Purgemur omni crimine.

5. De sancta Perpetua.

Ad Missam.

Ingressus.

Ingressa est Perpetua
Aulam coelestis patriae,
Cum filio Nazario
Nunc locum tenens gloriae,
Qui dat nobis auxilium
In hac valle miseriae.

Psalmellus.

In festivis et profestis
Nos diebus rex coelestis
Juvet, ne nobis infesti
Daemones sint et molesti;
V. Nos merita Perpetuae
Et filii Nazarii
Defendant ab insidiis
Horum pravi collegii.

In Alleluja.

Sancta mater Nazarii,
Ora pro nobis Dominum,
Ut nos ornet virtutibus
Purgatos labe criminum.

Post Evangelium.

In coelesti collegio
Assumpta nunc Perpetua
Gaudet cum sanctis omnibus
Laetitia continua.

Offerenda.

Perpetua Nazarium
Hostiam Christo filium
Exhibens per martyrium
Offert Christo Africanum,
Servatorem legis vanum,
Per hanc factum Christianum.

Confractio.

Corpus Christi frangitur
Panis sub figura,
Non tamen infligitur
Signato fractura,
Cujus non minuitur
Status nec statura,
Perpetua creditur
Cum Christo mansura.

Transitorium.

Sumatur corpus Domini
Cum omni reverentia,
Natum de pura virgine,
De virgine egregia,
Passum, surgens a mortuis,
Ascendens cum laetitia,
A quo clemens Perpetua
Assumpta est in gloria.

6. In Assumptione BMV.

Ad Missam.

Ingressus.

Mater misericordiae,
Divinae plena gratiae,
Conscendens coelum hodie,
Ingressa aulam regiam,
Roga regis clementiam,
Ut nobis donet veniam
Cum gratia et gloriam.

Psalmellus.

Et Nazareno Joachim
Florido floriferam
Floris campi Jesu matrem,
Virginem puerperam,
Domum panis de Bethlehem,
Anna, das Christiferam.
V. Matrem intrantem hodie
Aulam nati superam
Et sedentem in solio
Ad ipsius dexteram,
Ignoro, quibus laudibus
Hanc reginam praeferam.

In Alleluja.

Quam digne domum coelicam
Matri, Christe, tribuisti,
Cujus in terris uterum
Mundam domum habuisti.

Post Evangelium.

Coelestis gaude curia,
Quod assumpta in gloria
Mater Dei et filia
Est plena cunctis gaudiis,
Exuberans divitiis,
Honoribus, deliciis.

Offerenda.

Matri, quae Deo obtulit
Se virginalem hostiam,
Donavit Deus hodie
Regalem excellentiam
Honorans hanc regalibus
Throno, corona, vestibus,
Coeli praefert agminibus.

Confractio.

Sub vera panis specie
Corpus Christi frangitur,
Cujus signatum integrum
Manet, quod non scinditur,
Virgo, quae ipsum peperit,
In coelo recipitur.

Transitorium.

Corpus, quod virgo peperit
Sine virili semine,
Lactavit, fovit gremio,
Recipitur ab homine,
Consociatum hodie
Cum genitrice virgine,
Quae cum Christo tripudiat,
Suo beato germine.

7. In Nativitate BMV.

Ad Missam.

Ingressus.

Ut lilium munditiae
Virgo mundum ingreditur,
Ut rosa patientiae
Per mundum haec progreditur,
Cunctis virtutum floribus
Septa mundum egreditur.

Psalmellus.

Aufert supernus aurifex
De argento rubiginem,
Originali macula
Dum purgat ipse virginem,
Quae Christum nobis peperit
Deum verum et hominem;
V. Haec tamquam vas purissimum
Ventrem matris egreditur,
In quo redemptor hominum
Deus homo recipitur.

In Alleluja.

Ortam rogemus virginem
Prae cunctis venerabilem,
Quod precibus se praebeat
In nostris exaudibilem,
Ut assequamur gloriam
Per ipsam ineffabilem.

Post Evangelium.

Laeteris pater Joachim
Mariae, matris Domini,
Qui genuisti virginem
Omni praelatam virgini,
Angelorum quae praesidet
Felix superno agmini.

Offerenda.

Offert Anna de Bethlehem
Mundo domum paniferam

Ex Joachim de Nazareth
Christi floris floriferam,
Per quam redempti ducimur
Ad aulam vitae superam.

Confractio.

Sub sacramenti specie
Corpus Christi frangitur,
Cujus signatum integrum
Nullam scissuram patitur,
Natum de nata virgine,
Quod ara crucis figitur,
Per quod a mortis vinculis
Captiva plebs absolvitur.

Transitorium.

De regali progenie
David Maria nascitur,
Ex qua rex regum Dominus,
Christus Jesus, producitur,
Cujus corpus vivificum
A sacerdote sumitur.

Aliud Transitorium.

Natus de nata virgine
Christus matre deifera
Sub panis latens specie
Quondam hac aula infera,
Dum transit ipsa species,
Ipse transit ad supera.

8. De sancto Maurilio.

Ad Missam.

Ingressus.

Ingressus est Maurilius
Aulam supernae patriae,
In qua Christus cum gaudio
Recepit ipsum hodie,
Qui super ejus posuit
Caput coronam gloriae.

Psalmellus.

Fidelis verbi Domini
Dispensator, Maurilius,
Aselli sessor humilis,
Dispensat hoc attentius,
Perlustrat sic et visitat
Infirmos et ecclesias,
Verbum salutis praedicans
Contra hostis insidias.
V. Mirabilem se Dominus
Ostendit in Maurilio,
Dum fur asellum rapiens
Est raptus a daemonio.

In Alleluja.

Sanctus praesul Maurilius
Ascendit coelum hodie,
In quo laetus perfruitur
Vita perennis gloriae.

Post Evangelium.

Confessor sancte, subveni,
Maurili, tuis famulis,
Libera sanctis precibus
A cunctis nos periculis,
Ora Christum, ut nos locet
Aeternis habitaculis.

Offerenda.

Se obtulit Maurilius
Deo viventem hostiam
Per castigati corporis
Rigorem et duritiam,
Qui sibi dedit hodie
Coelestis vitae gloriam.

Confractio.

Fit modo Christi corporis
Sacramentalis fractio,
Signato non infligitur
Ulla tamen divisio,
Cujus in cruce mortuos
Salvat dira passio,
Concelebrata saepius
A praesule Maurilio.

Transitorium.

Corpus venerabile
Christi Dei et hominis,
Quod concepit uterus
Sacrae Mariae virginis,
Nunc sacerdos recipit
Verum, pro toto populo
Crucifixum, mortuum,
Clausum, surgens de tumulo,
Quod sumpsit Maurilius
Cum digna reverentia.

9. De sancta Sophia.

Ad Missam.

Ingressus.

Fides in duodecimo
Aetatis, Spes in decimo,
Anno noveno Caritas,
Quas trucidat gentilitas,
Mortem carnis suscipiunt,
Veram vitam inveniunt.

Psalmellus.

Enarrent omnes populi
Omni cum laetitia
Sophiae sapientiam
Et ejus laudes nuntiet
Fidelis ecclesia
Ad hujus sanctae gloriam.
V. Quae sapienter despicit
Cuncta transitoria
Et sapienter eligit
Aeterna coeli gaudia.

In Alleluja.

Sunt tuae nimis honorandae
Amicae Deus et laudandae,
Quarum valde confortatus
Exstat per te principatus.

Post Evangelium.

Solemni gaude gaudio,
Ambrosiana regio,
Quae supernorum civium
Felix auges collegium
Ex tuis sanctis civibus
Sophia et virginibus.

Offerenda.

Virtutis sanctae triplicis
Tres insignitas nomine
Offert Sophia filias
Regi nato de virgine,
Cum triumpho virginali
Perpurpuratas sanguine.

Confractio.

De peremptae Caritatis
Exit ore venustatis
Columba splendidissima
Coeli scandens altissima.

Transitorium.

Cum matre Sapientia
Fides, Spes atque Caritas
Coelesti regnant patria,
In qua omnis jucunditas.

10. De sancta Ursula.

Ad Missam.

Ingressus.

Fuerunt istae virgines
De prudentum numero,
Quae accensis lampadibus
In tempore non sero
Ingressae omnes januam
Cum sponso gaudent vero.

Psalmellus.

In beatae Ursulae
Festivo natalitio
Festivas laudes resonet
Christianorum concio,
Ipsam cum reverentia
Honoret et cum gaudio.

V. Dei nimis honorandae
Sunt amicae et laudandae,
Quem in sanctis honoramus,
Honorantes collaudamus.

In Alleluja.

Beata virgo Ursula
Per viam patientiae
Cum sacratis virginibus
Venit ad locum gloriae.

Post Evangelium.

Omnes rogemus virginum
Sacrarum multitudinem,
Ut nobis in molestiis
Implorent fortitudinem,
Suis orationibus
Nostris nos purgent sordibus.

Offerenda.

Offerunt regi virgines
Gratas se Christo hostias,
Qui pro humano genere
Oblatus cruce varias,
Ut hominem redimeret,
Substinuit injurias
Et mortem morte diluit,
Vita vitam restituit.

Confractio.

Christi perpessae virgines
Multas amaritudines
Fuerunt in Colonia
Dotata tanta gratia,
Innocentes jugulatae,
Nunc in coelis coronatae.

Transitorium.

Consociae et Ursula,
Consortes Christi virginum,
Pro nobis preces fundite
Pias semper ad Dominum,
Cujus corpus hic sumitur,
Sumptum nunquam consumitur.

11. De Omnibus Sanctis.

Ad Missam.

Ingressus.

Ingressi sancti patriam,
Optatam super omnia,
Exsultant ineffabili
Magnificati gloria,
Quibus mercedem Dominus
Dat pro suis laboribus
Et hos justus remunerat
Nunc pro justis operibus.

Psalmellus.

Quod ad decus est cunctorum
Templum factum idolorum,
Opus gentis Romanorum
A papa Bonifatio
Dedicatur collegio
Sanctorum pio studio.

V. Pii muneris donator
Papae templum imperator
Phocas dat Christi zelator,
Ejus cultus dilatator.

In Alleluja.

Beati sunt, qui habitant
In domo tua, Domine,
Quibus donasti perfrui
Mira tua dulcedine.

Post Evangelium.

Sunt reverendi angeli
Missi in ministerium,
Qui a cunctis insidiis
Custodiunt nos hostium
Et exutos corporibus
Portant ad coeli solium.

Offerenda.

Omnes sancti obtulerunt
Se Christo vivas hostias,
Qui cum mundo calcaverunt
Omnes carnis delicias,
Inimicum subjecerunt
Per virtutum victorias.

Confractio.

Corporis Christi hostia
In tres partes dividitur,
Divisum parte qualibet
Totum vere asseritur,
Est gratiarum actio
Prima pro jam regnantibus,
Una purgandos adjuvat
Est una pro viventibus.

Transitorium.

Corpus Christi non concisum,
Non confractum, non divisum
Integrum accipitur;
Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille
Nec tamen consumitur;
Hoc est omnium sanctorum
Firma fides beatorum,
Hoc constanter creditur.

11 b. De Omnibus Sanctis.

Sequentia.

1 a. Omnes fideles laudibus
Laudent Deum solemnibus
In sanctis suis omnibus.

1 b. Cantent sonoris vocibus,
Jucundi plaudant manibus,
Laetis exsultent cordibus.

2 a. Angelicis spiritibus,
Apostolis, martyribus
Et piis confessoribus,

2 b. Supplicamus virginibus,
Ut nos suis sermonibus
Informent et operibus.

3 a. Nos deserentes devia
Imitemur vestigia
Sanctorum fide praevia,

3 b. Per quae divina gratia
Veniamus ad gaudia
Cum peroptata gloria.

4 a. Spreta via mortifera
Sancti per sancta opera
Scandunt ad regna supera.

4 b. Reliquerunt itinera,
Per quae pergunt ad infera
Damnati propter scelera.

5 a. Instant misericordiis,
Se macerant jejuniis,
Attenuant vigiliis,

5 b. Affligunt modis variis,
Diris dantur suppliciis,
Interimuntur gladiis.

6 a. Includuntur carceribus,
Conteruntur lapidibus,
Subjiciuntur ignibus.

6 b. Exponuntur leonibus,
Venenosis serpentibus,
Privantur cute, dentibus.

7 a. Nunc in coelesti patria
Sunt, ubi magna gloria,
Ubi nulla miseria.

7 b. Ubi nulla tristitia,
Ubi omnis laetitia,
Pax et bona sunt omnia.

8 a. Bonis illis perennibus
Fac nos, Christe, coelestibus
Frui supernis sedibus.

8 b. Cum beatorum civibus
Sine fine regnantibus
Subjectis sibi hostibus.

12. De sancto Eustachio.

Ad Missam.

Ingressus.

In pugna miles strenuus
Adeptus victoriam,
Imperatoris superans
Per fidem perfidiam,
Ingressus est Eustachius
Paradisi patriam;
Qui cum palma martyrii
Gaudiis perennibus
Cum conjuge ac filiis
Gaudet in coelestibus.

Psalmellus.

Ignosce, Jesu, populo
Suis peccatis tremulo
Et, quos crucis patibulo
De inferni voragine
Duxisti tuo sanguine,
Hos loca coeli culmine.
V. O Eustachi, martyr Christi,
Pro quo mortem pertulisti,
Exora ipsum jugiter,
Det nobis, ut feliciter
Regnemus et perenniter.

In Alleluja.

Sanctus martyr Eustachius,
Christi miles egregius,
Per viam patientiae
Venit ad locum gloriae.

Post Evangelium.

Filiorum Eustachii
O quam felix germanitas,
Quos faciunt consocios
Parentum Christi caritas,
Una fides et passio,
Coronae pretiositas;
Horum beatis precibus
Detur nobis felicitas
Coelestis habitaculi,
Ubi omnis jucunditas.

Offerenda.

Verus martyr Eustachius
In accensi bovis ara
Sacrificatur hostia,
Clemens, pia, Deo cara;
Cujus est dulce praemium,
Quamvis passio amara.

Confractio.

Hoc verum corpus Domini
In tres partes dividitur,
Quod in earum qualibet
Totum vere asseritur;
Est gratiarum actio
Prima pro jam regnantibus,
Una purgandos relevat
Est una pro viantibus;
Cum primis est Eustachius
In gloria consocius.

Transitorium.

Pro nobis factus hostia
Jesus noster salutaris,
Ad patrem transit filius
Immolatus sacris aris,
Coronavit Eustachium
Hic rex coeli, terrae, maris.

13. De sancto Clemente.

Ad Missam.

Ingressus.

Festum Clementis martyris
Celebremus solemniter,
Hujus sanctum suffragium
Implorantes humiliter,
Quo nos intremus gloriam,
Qua fruamur feliciter.

Psalmellus.

Fideles cum tripudio
Clementi apostolico
In ejus natalitio
Promant laudes cum cantico,
Ut se per hoc obsequium
Reddat eis propitium.
V. O Clemens venerabilis,
Sis nobis exaudibilis
Apud Christum conditorem
Et cunctorum redemptorem.

In Alleluja.

Honorandus Clemens iste,
Qui se tibi totum, Christe,
Martyr donavit hostiam
Intrans supernam patriam.

Post Evangelium.

Post peractum miraculum
De fontis beneficio
Quingentas Clemens animas
Verbi Dei eloquio
Praesul pius associat
Christiano collegio.

Offerenda.

Se Clemens sacrificium
Dat Christo per martyrium,
Qui Christi esse meruit
Grata et placens hostia,
Quem ipse non deseruit
Ipsum amans per omnia.

Confractio.

Fractae primae pars hostiae
Sumetur pro regnantibus,
Pro purgandis est altera,
Tertia pro viventibus,
Cum primis Clemens residet
In supernorum sedibus.

Transitorium.

Quod natum est de virgine
Non ex virili semine
Sed mystico spiramine,
Hoc sumitur ab homine,
Corpus Christi, crucis ara
Probra passum et amara,
Cujus morte mors solvitur
Et vita restituitur,
Qua nunc Clemens perfruitur.

14. De sancta Lucia.

Ad Missam.

Ingressus.

Omnis Luciae gloria
Fuit in conscientia,
Quae in veste deaurata,
Caritate vulnerata
A dextris tuis, Domine,
Stat pro te fuso sanguine.

Psalmellus.

Virginali munditia
Gaude, mater ecclesia,
Qua Lucia te ornavit
Et cruore rubricavit,
Aggregata martyribus
Et beatis virginibus.
V. Pro amore praedilecti
Sponsi Christi, veri, recti,
Subit virgo supplicia,
Quae nunc gaudet in patria.

In Alleluja.

Festum sit nobis celebre
Luciae venerabilis,
Ut nobis suis famulis
Reddatur exaudibilis.

Post Evangelium.

Animae et corporis
fuit pulchritudo
In Lucia martyre
atque fortitudo,
Per quam gaudens sustinuit
Tormenta, quae non horruit.

Offerenda.

Se Lucia eximiam
Dat vivam Christo hostiam,
Quae per dura supplicia
Regna scandit coelestia.

Confractio.

Virgo Christo serviens
totam se dicavit,
Mente, lingua, opere
ipsum honoravit.

Transitorium.

Natum de ventre virginis
Corpus Christi nunc sumitur,
Quod pro salute hominis
In ara crucis figitur,
Per cujus poenam perditus
Totus mundus redimitur.

15. De Omnibus Apostolis.

Ad Missam.

Ingressus.

Deserentes apostoli
Hujus vitae miseriam,
Christi, solis justitiae,
Desideratam regiam
Ingressi sunt cum gaudio
Adepti coeli gloriam.

Psalmellus.

Sunt beati apostoli
Christi regni clavigeri,
Qui claudunt et aperiunt,
Nam pravis, qui sunt miseri,
Hoc claudunt, his aperiunt
Qui pio vacant operi.
V. His ligandi et solvendi
Confert Christus potestatem,
Insignem hanc apostolis
Donat ipse potestatem.

In Alleluja.

Sunt tui nimis honorandi
Amici, Deus, ac laudandi,
Quorum valde confortatus
Exstat per te principatus.

Ante Evangelium.

Exsultemus jubilantes
Nos redemptori omnium,
Qui beatis apostolis
Coeleste dedit praemium.

Post Evangelium.

Veneremur apostolos
Festi dignos memoria,
Rogantes, ut nos adjuvent
Per beata suffragia.

Offerenda.

Acceptam laudis Domino
Nos offeramus hostiam,
Dantes ejus obsequiis
Nos per vitae munditiam,
Apostolorum omnium
Qui agimus memoriam.

Confractio.

Sub sacramenti specie
Christi corpus est confractum,
Quod in se tamen remanet
Non divisum neque tactum,
Apostoli hoc saepius
Sumpserunt et devotius.

Transitorium.

Corpus Christi non concisum,
Non confractum, non divisum
Integrum accipitur;
Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille
Nec tamen consumitur;
Haec fides apostolorum
Omnium est beatorum.

16. De sancta Margarita.

Ad Missam.

Ingressus.

Ab Olybrio tyranno
Gravibus poenis attrita,
Martyr est ingressa coelum
Prudens virgo Margarita,
Quae cum sponso glorioso
Sempiterna gaudens vita
Gloriosae sedis regni
Est corona redimita.

Psalmellus.

Est de quinque virginibus
Margarita prudentibus,
Quas non cum vasis vacuis
Exclusis quinque fatuis
Intrantes Christus dapibus
Nunc cibat nuptialibus,
Quam coronavit hodie
Christus Jesus, rex gloriae.
V. Margarita juvencula
Velox ad Christum properat,
Ne praecludatur janua,
Si hanc intrare differat.

In Alleluja.

Margaritam fortificat
Christus suam pugnatricem,
Quam per virtutem fidei
Reddidit ipse victricem.

Ante Evangelium.

Fidejussoris gratiam
Prudens virgo non oblita,
Poena mortis recompensat
Mortem Christi Margarita.

Post Evangelium.

Margarita juvencula,
Dilectrix Christi sedula,
Venusta sine macula,
Vitans mundi pericula,
Intravit Christi famula
Coelorum habitacula.

Offerenda.

Dat Margarita Domino
Se gratum sacrificium,
Acceptam praebens hostiam
Se per dirum martyrium,
Equuleo et facibus
Ardentibus affligitur
Et decollata gladio
In coelo haec recipitur.

Confractio.

Corpus Christi nunc frangitur
Sub vera panis specie,
In nulla tamen scinditur
Parte suae substantiae,
Quod concepit et peperit
Mariā, templum gratiae,
Sine jactura qualibet
Virginalis munditiae;
Cum qua regno perfruitur
Nunc Margarita gloriae.

Transitorium.

Ut salutis fidelibus
Proficiat juvamine,
Conceptum sancto spiritu
Sine virili semine
Sumit sacerdos Domini
Corpus natum de virgine,
Pro cujus mortem pertulit
Haec Margarita nomine.

17. De sancto Silvestro.

Ad Missam.

Ingressus.

Sanctus Silvester deserens
Hujus vitae miseriam,
Christi, solis justitiae,
Desideratam regiam
Laetabundus ingreditur.
Adeptus coeli gloriam.

Psalmellus.

Monet Silvester filios
Ad caritatem mutuam,
Dum migrat corpus deserens
Ad gloriam perpetuam,
V. Commendans ecclesiam
Clero, sacerdotibus,
Hos hortatur monitis
Piis cunctis flentibus.

In Alleluja.

Suis diebus Domino
Justus inventus placuit
Silvester, quem fideliter
Sacerdos magnus coluit.

Post Evangelium.

Dum praedicat, qui aderant,
Silvester cunctis flentibus
Intrat coelestem patriam,
Ipsis quoque psallentibus.

Offerenda.

Acceptam laudis Domino
Nos offeramus hostiam,
Dantes ejus obsequiis
Nos per vitae munditiam,
Qui Silvestri pontificis
Peragimus memoriam.

Confractio.

Sub sacramenti specie
Christi corpus est confractum,
Quod in se tamen remanet
Non divisum neque tactum;
Silvester istud saepius
Confecit et devotius.

Transitorium.

Christi sub panis specie
Corpus quod olim latuit,
A sacerdote sumitur,
Sicut Christus instituit;
Conficere, recipere
Silvester istud meruit.

18. De ss. Petro et Marcellino.

Ad Missam.

Introitus.

Marcellinus atque Petrus
Sedent in Christi curia,
Quam intraverunt hodie
Optatam super omnia,
Cunctis plenam divitiis,
Deliciis, honoribus,
Exuberantem gaudiis,
Refertam bonis omnibus.

Graduale.

Sunt apertae coeli portae
Sanctis istis sumpta sorte
Supernorum cum cohorte,
Quibus vita sine morte.
V. In qua sanctis gaudium
Est sine moerore,
Beataque requies
Est sine labore,

Et optata sanitas
Est sine languore.

In Alleluja.

Coelestibus cubilibus
Omni referti gloria
Exsultant passi martyres
Dirae mortis supplicia.

Offertorium.

Offeramus nos Domino
Acceptum sacrificium,
Per gratum et assiduum
Sanctae vitae obsequium,
Marcellini atque Petri
Colentes natalitium,
Qui obtulerunt hostias
Se Christo per martyrium,
Quos deprecemur sedule,
Ut dent nobis auxilium.

Communio.

Sumptum nunquam consumitur
Corpus Christi, quod sumitur,
Sed datum semper sufficit,
Comestum nunquam deficit;
Quod sacerdos Marcellinus
Sumpsit cum reverentia,
Qui cum Petro consocio
Laetatur nunc in patria.

19. De sancta Eugenia.

Ad Missam.

Ingressus.

Ingressa tabernaculi
Locum Dei mirabilis
Martyr constans Eugenia.
Virginitate nobilis,
Exuberat divitiis,
Deliciis, honoribus,
Nunc in supernis residens
Beatis coeli sedibus.

Psalmellus.

Apparens juxta tumulum
Matri dixit Eugenia,
Laetare, gaude gaudio,
Quod nunc tua sum filia
Cum patre tuo conjuge
In beatorum patria
V. Suscipiet te Dominus,
Mater, die dominica
Et dabit tibi Claudiae
Regna coeli magnifica.

In Alleluja.

Eugeniam fortificat
Christus, suam pugnatricem,
Quam per virtutem fidei
Reddidit ipse victricem.

Ante Evangelium.

In monachis humilior
Nullus fuit Eugenia,
Quae se dans cunctis humilem
Prompta praebet obsequia.

Post Evangelium.

Dum oraret Eugenia,
Templum Dianae corruit,
In quo Dei potentia
Mirabilis apparuit.

Offerenda.

Duplicatam martyrii,
Virginitatis hostiam
Recepit Christus hodie
Oblatam per Eugeniam,
Quae nunc habet aureolae
Martyr et virgo gloriam.

Confractio.

Corpus Christi nunc frangitur
Sub vera panis specie,
In nulla tamen scinditur
Parte suae substantiae,
Quod concepit et peperit

Maria, templum gratiae,
Sine jactura qualibet
Virginalis munditiae;
Cum qua regno perfruitur
Eugenia nunc gloriae.

Transitorium.

De salvatoris manibus
Pane sumpto Eugenia
In carceris reficitur
Tenebrosi custodia.

Aliud Transitorium.

Sumptum nunquam consumitur
Corpus Christi, quod sumitur,
Sed datum semper sufficit,
Comestum nunquam deficit;
Cum quo gaudet in patria
Virgo martyr Eugenia.

20. De s. Johanne Mediolanensi.

Ad Missam.

Ingressus.

Sanctus Johannes hodie
Ingressus regnum gloriae
Cum sanctis confessoribus
Bonis gaudet coelestibus,
Quibus adsunt divitiae,
Honores et deliciae.

Psalmellus.

Johannes venerabilis
Multiplici miraculo
Suis beatis meritis
Resplenduit in saeculo;
Languentes iste liberat,
Lumen dat non videntibus,
Iste contractos erigit,
Laetitiam dat tristibus.
V. Deus, qui est mirabilis
In sanctis suis omnibus,
Johannem hunc miraculis
Sanctum monstrat insignibus.

In Alleluja.

Johannem archipraesulem
Honoremus solemniter
Et hunc devotis precibus
Imploremus humiliter.

Post Evangelium.

Deprecamur te, Johannes,
Qui cum Christo felix manes,
A peccatis quod nos sanes,
Ne nos trahant haec ad manes,
Qui damnatos ut immanes
Mordent serpens, leo, canes.

Offerenda.

Acceptam Christo hodie
Nos offeramus hostiam,
Dantes ejus obsequiis
Nos per vitae munditiam,
Qui Johannis pontificis
Peragimus memoriam.

Confractio.

Sub sacramenti specie
Christi corpus est confractum,
Quod in se tamen remanet
Nec divisum neque tactum;
Johannes istud saepius
Confecit et devotius.

Transitorium.

Christi sub panis specie
Corpus quod olim latuit,
A sacerdote sumitur
Sicut Christus instituit;
Conficere, recipere
Johannes istud meruit.



Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

II. Verbal-Index.

O. A. M. D. G.



Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

fecasti martyres. Nec signum sup
faciem. arue liquisti rabide. ut
xpianis tolleres. suffragatores mili
tes. Quorum post nece stygici
facta notarunt picci. pdigna qz no
mina resospitantes corpora. Polor
ergo lumina. orosas odoriferas.
uris nos almis pcib; scor iungat
cetib;. Hoc prestet summa trinitas
simplex q cedat unitas. cui honor
& imperiu pmanet in ppetuu. Am.



YM. INCIP PETRI.
ET PAULI.

AUREA LUCE ET DECO
re roseo. lux lucis omne
perfudisti seclm. dc
corans celos inclito
martyrio. hac sacra die. que dat
reis uenia. Janitor celi doctor orb
paritr. iudices secli. uera mundi lu
mina. p cruce alter. alt ense tri
uphans. uite senatu laurea possi

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XV.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder.

Erste Folge.

Herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1893.

PIA DICTAMINA.

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Erste Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1893.

VORWORT.

Vorliegendes Heft der Analecta beginnt in einer ersten Folge die Veröffentlichung s. g. Reimgebete oder Leselieder, d. h. von Liedern, welche nicht für den liturgischen Gebrauch, sondern für Privatandacht und häusliche Erbauung gemeint waren. Ich sage Privatandacht, um diese Erzeugnisse nicht nur von der streng liturgischen Dichtung, sondern auch von den s. g. Cantiones und Cantilenae zu scheiden, die, oft aufser-, immer praeterliturgisch, doch bestimmt waren, durch den Gesang zu Gehör gebracht zu werden und die öffentliche Andacht zu verschönern. Weisen die Cantiones, eng verwandt mit der Tropendichtung, auf Kleriker- und Schüler-Kreise, so die Reimgebete in erster Linie auf die beschauliche Ruhe klösterlicher Genossenschaften, nicht am wenigsten der Karthause, die als eine Hauptpflegerin dieser Dichtungsart zu gelten hat.

Die Reimgebete sind von den bezeichneten Dichtungsarten im allgemeinen nicht schwer zu unterscheiden. Ein äufseres Merkmal ist schon der verschiedene Fundort. Die Reimgebete finden sich in der Regel nicht in liturgischen Handschriften; nur ausnahmsweise trifft man sie in diesen und alsdann nicht im Körper der Liturgie, sondern irgendwo nachgetragen oder eingeschaltet, etwa auf Vorsatzblättern oder leergelassenen Seiten. Ihr eigentlicher Fundort ist das Gebetbuch, Orationale oder Devotionale, für welches der beliebte und daher vielfach aufgelegte Hortulus animae als Typus gelten kann. Seltener und vereinzelter finden sie sich in den s. g. Horarien, Livres d'heures, deren Inhalt in den meisten Fällen sich auf die marianischen Tagzeiten und das Officium defunctorum beschränkt. Doch schliefsen sich diesen obligaten Teilen zuweilen Gebete, Antiphonen und vermischt mit diesen Reimgebete zu verschiedenen Heiligen an. Endlich sind unsere Lieder in den häufigen asketischen

Sammelbänden, sowie da und dort zerstreut in Handschriften fremdartigen Inhaltes zu treffen. Natürlich sind dieselben an solchen Stellen nur dann aufzufinden, wenn ein detailliertes Handschriftenverzeichnis dieselben namhaft macht. Sonst werden sie sich in den meisten Fällen dem Auge des Forschers entziehen.

Das andere Kennzeichen zur Unterscheidung des Reimgebetes von anderen Arten religiöser Lyrik ist ein inneres. Bestimmt für die persönliche Erbauung des einzelnen, prägen sie diesen Charakter des Privaten, des Subjektiven im Gegensatze zu der liturgischen, auf das Allgemeine berechneten Poesie meist deutlich und kenntlich genug aus. Ganz abgesehen von den mancherlei Vorwürfen, welche in der liturgischen Poesie ausgeschlossen wären, von dem nicht seltenen Vorwiegen des Lehrhaften, sowie dem vielfach gröfseren Umfange als der bei liturgischen Dichtungen hergebrachte, ist das prägnante Hervortreten des Ich's des Dichters beziehungsweise Beters meist ein sicherer Leitstern. Man könnte diese Poesie füglich die Ich-Dichtung im Gegensatze zur liturgischen Wir-Dichtung nennen.

Von den metrischen Eigentümlichkeiten bietet nur das Fehlen strophischer Gliederung, deren die liturgische Poesie nicht entraten kann, für einzelne Lieder ein verlässiges Unterscheidungszeichen. Im übrigen sind alle Dichtungsformen in den Reimgebeten zulässig und vertreten. Gleichwohl läfst sich behaupten, dafs Einheit des Metrums in ihnen die Regel bilde; seltener ist Wechsel des Metrums innerhalb desselben Stückes, selten schlechthin streng eingehaltener Sequenzenbau.

Die Schwierigkeit, in vereinzelten Fällen zu unterscheiden, ob ein Lied zu den Leseliedern zu rechnen oder nicht, kann hauptsächlich von zwei Seiten kommen. Einmal daher, dafs in die Gebetbücher auch liturgische Gebete aufgenommen werden, auch solche, deren liturgischer Gebrauch vielleicht diplomatisch nicht mehr nachweisbar ist; dann aber auch deswegen, weil einzelne, ursprünglich für die Privatandacht geschriebene Lieder später gleichwohl in liturgischen Gebrauch genommen wurden. Ein Beispiel bietet in diesem Bande das Lied: Dispensator scripturarum; ein auffallendes Beispiel bieten die beiden herrlichen Sequenzen Dies irae und Stabat mater, von denen es kaum einem Zweifel unterliegen kann, dafs sie ursprünglich als Leselieder für die Privatandacht niedergeschrieben worden.

Ähnlich geraten auch wohl einzelne Cantiones in Sammlungen von Reimgebeten und umgekehrt, oder es geschieht, daſs Leselieder eine Singweise bei sich haben, ein Zeichen, daſs einige derselben ähnlich wie die Psalterien auch als christliche Hausmusik verwendet wurden.

Was nun den dichterischen Charakter dieser Poesie betrifft, so finden sich auf der einen Seite gerade hier endlos sich fortspinnende Lieder, die nicht müde werden, die bekannten symbolischen Beiwörter des Herrn und seiner Mutter litaneiartig zu wiederholen. Im allgemeinen aber veranlaſst der gröſsere Spielraum, dessen sich der private Dichter vor dem liturgischen sowohl in Wahl als bei Behandlung seines Stoffes erfreut, daſs in der uns beschäftigenden Poesie eine gröſsere Abwechslung und Originalität herrscht, als wir in der Hymnen- oder Sequenzendichtung zu finden gewohnt sind. Der liturgische Dichter bewegt sich mehr in ausgetretenen Geleisen, einem Bittgange vergleichbar, der auf offener Heerstraſse feierlich ernst dahinzieht; der asketische Dichter darf es sich als einsamer Lustwandler schon eher erlauben, verlassene Wald- und Gebirgspfade einzuschlagen. Nicht an jenes juste milieu gebunden, das der für die Gesamtheit Denkende und Dichtende nicht aus dem Auge verlieren darf, kann er beliebig die ganze Leiter der Gefühle auf- und niedersteigen, ja in den Spott- und Zürn-Liedern gegen Welt und Laster sogar den satyrischen Launen seiner Muse sich hingeben, ein Gebiet betretend, dessen Grenzen sich nicht selten mit denen der s. g. Vagantenpoesie berühren.

Mit Rücksicht auf die vielfach (auch in hymnologischen Sammlungen) zu Tage tretende Vermischung liturgischer und nicht liturgischer Dichtung war es vielleicht nicht unangezeigt, diese wenigen Worte voraufzuschicken.

Paris, Esto mihi 1893.

Guido Maria Dreves.

I.

DE DEO.

---

1. De Essentia Dei.

Esse, quod est ex se, Deus est, per quem datur esse,
Quod non est ex se, deitatis non habet esse.
Esse, quod est, Deus est, cui verum competit esse,
Convenit huic soli, quod nulli convenit, esse.
Ante Deum nihil est, quod possit eo prius esse,
Post illum nihil est, quod posterius queat esse.
Supra quem nihil est, quod dicam celsius esse,
Extra quem nihil est, quod dicam latius esse.
Omne quod est, opus illius est, dedit omnibus esse,
Et sine quo nihil est, nihil aut fuit aut valet esse.
Cujus majestas disponens cuncta penes se,
Ut nunquam coepit, sic nunquam desinit esse.
Omne, quod est, quod erat, quod erit, par huic nequit esse,
Praeter quem solum Deus alter non valet esse.
Namque Deum verum verax ratio negat esse,
Quem labor aut manus hominis perduxit ad esse.
At Deus omnipotens, cui nullus homo dedit esse,
Immo qui faciens hominem reparavit ad esse,
Hic vere Deus est, et non Deus hic nequit esse,
Et Deus ipse deos super omnes creditur esse.
Totum totus habens, toti vult jure praeesse,
Cuncta creando sibi, vult cuncta creata subesse.
Totus ubique suum non alternat Deus esse,
Qui modo non alius quam pridem creditur esse.
Omnia transmutans nequit hic mutabilis esse;
Aeternusque Deus habet aeternaliter esse.
Qui cum sit magnus, minor aut major nequit esse.
In quo semper erat, in eodem permanet esse.
Quem decet esse, quod est, sed non decet esse necesse,
Immo nec esse, per hunc bonus omnis homo valet esse.
Non aliena bonum bonitas illum facit esse,
Ex propria bonitate sua scitur bonus esse.
Ergo factorem factura Deum sciat esse,
Cui mirabiliter mirabile competit esse.
Orthodoxa fides personas tres probat esse
In deitate, deos sed tres negat in tribus esse.
Ingenitus genito genitura dat Deus esse,
Nec tamen hic genitor habuit genito prius esse.
Spiritus almus ab his procedens par habet esse,

Una sed in tribus substantia creditur esse.
Utque coaeternum personis convenit esse,
Sic par majestas, par virtus fertur inesse.
Quod pater est, hoc filius est, hoc spiritus esse
Dicitur, unus enim Deus unum continet esse.
Qui tamen est genitor, non et genitus valet esse,
Qui vero genitus est, et spiritus nequit esse.
Sicut in uno tres personas dicimus esse,
Sic in personis tribus unum credimus esse.
Garriat ergo licet Sabellius, hunc nihil esse,
Sic orthodoxus tenet et sic adstruit esse.
Arrius infelix quod non sic credidit esse,
Tartareis flammis meruit sine fine subesse.
Taliter alma fides de vero disputat esse,
Taliter ut credant, reor, omnibus esse necesse.
Hoc nisi credamus, nisi confiteamur, id esse,
Firmiter et sane, salvi non possumus esse.

Clm. Monacen. (ol. Raitenhaslacen.) 12513 anni 1240. A. — Cod. S. Floriani XI 436. saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindobonen. 5352 anni 1402. C. — Cod. Vatican. Palat. 719 anni 1529. D. — Cod. Parisin. 16699. saec. 12/13. E. — Cod. Parisin. 8865. saec. 13. F. — 7. Super quem B; quod credam latius esse A. — 8 fehlt A; quod credam C. — 9 und 10 umgestellt A. — 10. Omne fehlt C. — 14. non habet esse BEF. — 15. ratio verax A; Deum ratio verax alium negat B. — 16 Quem lapis aut B; produxit B. — 17 und 18 fehlen B. — 20 fehlt B. — 27. major nequit aut minor E. — 28 steht vor 26 CF. — 33 und 34 stehen in BEF hinter 48. — 37. Ingenitus genitor genitum genuit Deus ex se EF. — 38. Non tamen BEF. — 44. creditur esse C. — 49. ergo fehlt C. — 50. Hoc orthodoxus B; orthodoxa A; fehlt C. — 54 fehlt B. — 55. Et nisi credamus nec B.

C giebt als Verfasser Henricus de Hassia (Heinrich von Langenstein) an: „Incipiunt versus leonini de essentia deitatis M. Henrici de Hassia felicis memoriae“; B Bruno von Holstein (1245—1281): „Bruno episcopus Olomucensis fecit metrum“; E nennt in Pierre le Peintre („Versus Petri Johannis filii“) den wirklichen Autor.

2. De divinis Nominibus.

(Margarita Exorcistarum.)

Deus pater piissime,
Christe Jesu dulcissime,
Spiritus clementissime,
Non est, Deus, rex praeter te.
Tu habitas, o Domine,
Incircumscripto lumine,
Aeternus sine tempore
In trinitatis nomine.
Sanctus ave, sanctus salve,
Sanctus trinus unus vale.

Tu sedes super Cherubim,
Gloriosus in Seraphim,
Abba pater, Ben filius,
Ruha amborum spiritus,
Deus deorum dominus,
Exaudi nos propitius.
El, fortis rex, summe Deus,
Tu es primus, novissimus,
Praeter te non est alius.
Pax, ostium, vita, Jesus,

Aeterni patris filius,
Magni consilii angelus,
Sanctus procedens spiritus
Ab utroque paraclitus,
Patris natique spiritus,
Trinus unus altissimus,
Emunda me a sordibus
Et a cunctis criminibus
Et ab iniquitatibus.
Libera me propitius
A tribulationibus
Et a cunctis doloribus
Et ab infirmitatibus
Et de necessitatibus
Erue me propitius.
Clemens creator Eloi,
Te tremunt omnes angeli,
Adorant et archangeli.
Verbum patris ingeniti,
Tu theu ho monogeni,
Panis et vita saeculi.
Tu digitus dextrae Dei,
Donum Dei altissimi,
Ruha patris et filii,
Trinus unus, memor mei
Sis et Deus auxilii
Atque domus refugii,
Inter procellas saeculi,
Fluctus hujus exsilii,
Mihi labanti subveni.
O Eloe, theos fobos,
Deus timoris ischyros,
Anastasis, athanatos.
Verbum patris, veritas, os,
Tu destruxisti angelos
De coelis apostaticos.
Spiritus sanctus o theos,
Spiramen, sacrum, lumen, fos,
Super aquas Domini vox.
Trinus unus piissimos
Tuos super me oculos,
Rex, aperi dulcissimos.
Tu mitte sanctos angelos,
Ministros tuos inclitos,
Hodie mihi socios,
Adjutores fortissimos
Et custodes fidissimos
Ductores atque praevios,
Hostes repellant impios,
Superbos, reos, noxios.
Qui creasti, rex Sabaoth,
Cuncta simul ex nihilo,
Tu es Deus alpha et o.
Jesu, nostra redemptio,
Vita et resurrectio,
Salus, amor, defensio,
Tu criminum remissio,
A patre et a filio
Es spiritalis unctio.
Trinus unus, te obsecro,
Sis mihi tu protectio
Atque firma defensio,
Sis pia consolatio,
Sis criminum ablutio.
Peccatorum remissio
Meorum, Deus, obsecro.
Deus excelsus Elion,
Deus deorum pantheon,
Rerum creator hypsiston;
Emmanuel pantocraton
Pastorque homousion,
Salvator mundi tu theon;
Patris, nati synhagion
Amborum sacrum pneumaton
Caritas, ignis, vivus fons;
Trinus unus, tu de Sion
Succurre mihi, pater on,
Per nomen tuum arrheton
Gloriosum strathymaton.
Ascher eje, rex, tibi est
Nomen, quod sempiternum est,
Et nomen, quod aeternum est;
Moysi nomen, quod est Est,
Per angelum delatum est.
Per nomen tuum, quod est Est,
Quidquid mihi necesse est,
Concede mihi, Deus Est,
Aufer a me, quod malum est,
Et peccatum, quod abs te est;
Dona mihi, quod bonum est,
Illud, pater, quod per te est.
Adonai mirabilis,
Magnus et admirabilis,
Creator ineffabilis;

Fili Dei amabilis,
Via infatigabilis,
Vitis immarcessibilis;
Spiritus invisibilis,
Patri, nato visibilis,
Splendor inexstinguibilis;
Trinus inseparabilis,
Unus indivisibilis,
Deus inenarrabilis,
Sis custos invincibilis,
Murus inviolabilis
Mihi, Deus laudabilis;
Ne sis mihi terribilis,
Esto mihi placabilis,
Super me deprecabilis,
Libera me ab aemulis,
Ab impiorum laqueis
Et a cunctis periculis,
Ab omnibus insidiis.
  Verus Deus, verus Ia,
Exaudi me et adjuva,
Ab omni malo libera,
Audi mea precamina
Et dimitte peccamina,
Solve nexorum vincula
Et da quieta tempora
Per haec sacrata nomina
Tua Deus sanctissima.
Per hoc nomen sanctissimum,
Magnum atque fortissimum,
Gloriosum et inclitum,
Per quod Adam in tartarum,
Dum esset in supplicium
In inferni miserrimum,
Te reclamavit Dominum,
Suum factorem proprium,
Et habuit propitium.
Hoc nomen sacratissimum,
Rex, explicare nequeunt
Omnes linguae viventium
Nec mens nec sensus hominum.
Nomenque anecfoneton,
Quod fronte tulit Aaron
Sculptum per tetragrammaton
Quatuor gemmis in petalon:
Joth, He, Vau, Heth Hebraicum.
He iste sonat proprium,
Vau vita, Joth principium,
Heth passionis obitum.
Latine sic expositum
Est Christus vita omnium.
Iste vitae principium
Per mortem, per patibulum,
Per passionis obitum.
Per hoc nomen piissimum,
Terribile, mitissimum,
Diem concede prosperum,
Aeternae vitae praemium,
Praesentis vitae gaudium
Et, quod est necessarium,
Da mihi, factor omnium.
Deus communis omnium,
Per hoc nomen sanctissimum
Esto salus, refugium
Mihi et adjutorium
Et ubique praesidium.
Exsurge contra odium
Inimicorum omnium
Me quoque persequentium
Et in me insurgentium.
Tu destrue consilium
Illorum et eloqium
Invidiam et odium
Quo contra me insiliunt.
Per hoc nomen sanctissimum
Quod per crucis mysterium
Complevisti rex inclitum,
Per procedentem spiritum
Ab utroque paraclitum,
Quae hic te deprecatus sum,
Da mihi, factor omnium.
  Rex Sadai omnipotens,
Rex angelorum praepotens,
Ad omnia sufficiens,
Justitiae sol oriens,
Lumen, lux indeficiens,
Sophia patris sapiens;
Spiritus sanctus procedens
Ab utroque, cuncta tenens,
Sciens, videns, intelligens;
Trinus unus cunctipotens,
Sis mihi pius et clemens,
Misericors et patiens,

Dator nunquam deficiens
Qui es pius largifluens.
Tu patris sapientia
Via, vita et veritas,
Virtus patris et pietas,
Regressus, unde veneras,
In sinu patris habitas,
Ubi omnis divinitas
Est et perfecta deitas,
Immortalis aeternitas,
Deo patri in gloria
Coaequalis per omnia.
Ibi te, Jesu, alloquor,
Ibi te, Jesu, deprecor,
Te Deum verum fateor
Et hominem confiteor
Et judicem profiteor.
Jesu benigne, respice
Sursum te quaero, Domine,
In sinu patris, hagie,
Ubi sedes, rex gloriae,
Ad dextram patris, Domine,
Tu in patre, pater in te.
Ibi, Jesu, obsecro te,
Interveni, quaeso, pro me
Apud patrem, piissime.
Non voce dico, Domine,
Sed communi essentia
Et aequali potentia
Et pietate unica.
Tu, creator, creasti me,
Et tuo sancto sanguine,
Redemptor, redemisti me.
Et ideo invoco te
Et nomen tuum super me.
Verbum patris, visita me
In pace tua, Domine.
Qui omnium pro salute
Ex illibata virgine
Humanam carmen sumere
Et sanguinem suscipere
Es dignatus, o Domine,
Jesu Christe, rex gloriae.
Rex regum, rex pacificus,
Rex dominator dominus,
Rex aeternus, rex immensus,
Rex supernus, rex benignus,
Rex coelestis, gloriosus,
Rex in regno tuo clarus,
Moderator rerum unus,
Qui gubernas cuncta solus,
Exaudi me propitius,
Mihi clemens sis et pius.
Cui servit ordo coelicus
Et coelestis exercitus.
Tibi patri ingenito
Natoque unigenito,
Spiritui paraclito
Laus, honor atque gloria,
Sit virtus et potentia
Per saeculorum saecula.

Cod. Vallicellan. B 63 saec. 11. A. — Clm. Monacen. (ol. S. Crucis ap. Offemont) 11325 saec. 12. B. — Cod. Palat. Vindobonen. 4096 saec. 15. C. — Cod. Vatican. 3769 saec. 15. D. — Cod. Monasterien. 209 (560) saec. 15. E. — Nach 1. Deus deorum unice E. — 2. Christus Jesus E; Christe fili sanctissime C. — 4. o rex C. — 8. Cum filio cum flamine B. — 9. ave sanctus vale B; sanctusque vale E. — 10. Sanctus quoque vale A; Sanctus quoque salve BE. — 13. On filius C; Ben fili B. — 17. Hel fortis summe C. — 18. Tu primus, tu novissimus C; Tu primus et novissimus E. — 27. Tu lava me a B; Tu lava nos E. — 29. Et fehlt C. — Zwischen 29 und 30 stehen in B:

Et de necessitatibus
Et a tribulationibus
Et a cunctis doloribus
Et ab infirmitatibus.

30. Libera nos E; Erue me B. — 31. Ab omnibus tribulationibus E. — 32. Et fehlt C. – 33. Et fehlt C. — 34. Ac necessitatibus C. — 35. nos E; me fehlt C. — 40. Tute ut homonogeni A; Tu theu homogeni E; Tu theos o monogeni C. — 45. Trinus et unus sis memor nostri E. — 46. Sis in Deum B; Et in Deum E. — 47. Atque domum B; Et in domum E. — 49. Et fluctus

E. — 50. Tu laboranti subveni C; Mihi mergendo subveni B; Nobis submergentibus subveni E. — 51. Heloe AE; *ΘHHωC ΦωC* A; theos sebos C; theos phonos E. — 52. Deus timoris Kyrios B. — 54. veritas *ωC* A; 54—59 fehlen C. — 56. Superbos rex apostatas B; Apostatas rex superbos E. — 58. lumen fax BE, fox A. — 60. piissimus E. — 61. super nos E. — 63. sanctos fehlt E. — 64. tuos coelitus C; coelicos B. — 65. nobis socios E. — 66. Adjutores sanctissimos BC; vorher geht noch Custodes praeclarissimos E. — 67 fehlt BCE. — 69. Ut hostes E. — 71 bis 87 stehen in BE hinter 111. — 71. Tu creasti E; Qui creasti ex nihilo C. — 72. Rex Sabaoth cuncta saeculi C. — 76. amor et defensio C; amor et vera defensio E. — 74 bis 83 fehlen C. — 78. A patre procedens et filio E. — 80. Qui trinus et unus es E. — 81. Sis et nostra protectio E. — 82 und 83 umgestellt E. — 82. Nec non et defensio E; Salus amor et defensio C. — 83. Sis nostra consolatio E. — 84. absolutio E. — 86. Deus deorum obsecro E. — 87. Ylion B. — 89. Rex creator E; ysiton AE, hysiton C, ipsiston B. — 90. pantaeraton E, panthagaton C. — 96. Trine une A; Trinus et unus E. — 97. nobis pater E; hon A. — 98. Pro nobis tuum C; arethon C, areton E, arehton A. — 99. strammaton E, strathimathon C, *CΘPαΘYƆ-CαΘωN* A. — 100 bis 111 stehen in BE hinter 133. — 100. Eserie C (אשר אהיה: Exod. 3, 14), Eseritiae A, Eici B; Adonai rex tibi nomen est E. — 101. Yeye quod sempiternum est E. — 102. Et fehlt C, das ganze fehlt E. — 103. est Est fehlt E. — 104 fehlt C. — 105. Est fehlt CE. — 106. mihi fehlt CE. — 107. Concede Deus Est A; Concede nobis Deus E; Concede cito Deus Est C. — 108. Et aufer a nobis quod E. — 109. Et peccatum hoc quod abs te est E. — 110. Et da nobis quod bonum est E. — 111. Id praesta quod per te est C. — 113. Magnus inaestimabilis C; et laudabilis E. — 114 und 115 fehlen C. — 118 fehlt A. — 119. Patri natoque E. — 123 fehlt B. — 124. Sis meus invincibilis B, Sis nobis murus invincibilis E, fehlt C. — 125. Mirus inviolabilis C, Custos inviolabilis BE. — 126. Sis nobis Deus laudabilis E, fehlt C. — 127 und 128 fehlen C. — 127. Ne sis nobis E. — 128. Esto nobis E. — 129 fehlt AC; Super nos E. — 130. Libera nos E. — 132. cunctis insidiis E. — 133. Et ab omnibus periculis E. — 135. Exaudi nos E. — 136. malo nos libera E. — 137. Exaudi mea C; Audi nostra E. — 138 fehlt C. — 141. Per haec sancta E; Per tam sacrata C; Per tua sancta nomina A. — 142 fehlt A. — 144. Magnum nomen fortissimum A. — 146 bis 153 fehlen C. — 146. tartaro E. — 147. supplicio E. — 148. In inferni patibulum B; Infernali patibulo E. — 153. Quod explicare C. — 156. auchfeneton A; anackeneton BC; ascheneton E. — 159. Quatuor gramis AB, grammis E. — 160. Joth, He, Vau, He E; The, Joth, Vau, Thet C; *HYVT* ebraycum A; hebraicum fehlt E. — 161. H iste A; The iste C; Quod sic est expositum E. — 162. Et Vau C; Joth id est principium E; Job principium A. — 163 bis 168 fehlen B. — 163. He iste vau heth et vita E. — Hierauf folgt in E:

Principium iste et vita.
Per hoc nomen magnificentissimum
Et inaestimabile
Miserere nobis miserrimis
In cunctis angustiis
Et necessitatibus
Corporis et animae.
Adjuva nos etiam,
Dulcissime Domine.

164 und 165 fehlen E. — 169. Ac per nomen E. — 170 bis 173 fehlen C. — 171. Concede diem E. — 176. Deus hoy communis A. — 177. nomen piissimum B, fehlt E. — 178. Esto nobis salus E; Sis salus et C. — 179. Salus et adjutorium E. — 183. Nos quoque E. — 184. Atque in me surgentium C; Et in nobis insurgentium E. — 186. colloquium E; et fehlt A. — 188. Qui contra C; contra nos E. — 189. Ac per hoc E; nomen piissimum B. — 191. Complesti C; auf diesen Vers folgt in E: Heli (Heli) lama sabacthani. — 194. Quod hic B. — 196 bis

210 stehen vor 100 B, vor 71 E. — 200 bis 203 stehen hinter 209 AC. — 203 fehlt C. — 206. Sis nobis E. — 208. Sis nobis consolator indeficiens E. — 209. Pius doctor largifluens E. — 210. O patris C; darauf folgt in E noch der Vers: Cum ipso creans omnia. — 215. Ibi omnis E; omnis claritas C. — 216. Est fehlt E; Sed et perfecta C. — 218. et gloria BC. — 222 bis 231 lauten in E: Tu misericors et vitae dator aeternae sis nobis, Christe, clemens apud Deum patrem. Te verum Deum deprecamur, te confitemur et judicem justum profitemur. Veritatem tuam sursum a te quaerimus, Domine. — 224. Judicemque A. — 226. Te sursum C. — 227. In sinu tuo, hagie. — 228 bis 230 fehlen B. — 230. et pater in te C. — 232. Interveni pro nobis quaeso E; fehlt B. — 233 fehlt B. — 234. dico fehlt E. — 238. Tu nos creator creasti E. — 239. sancto fehlt E. — 240. me fehlt E. — 241. Ideo nunc invoco te B; Ideo te invocamus, Domine El E. — 242. Sit nomen tuum B; Et nomen tuum, quod est Ariel E. — 243. Tu verbum patris altissimi E. — 244. In parte tua colloca me C; Visita nos in pace, Domine E. — 245. Qui pro salute omnium passus es in cruce E. — 247. Carnem sumere dignatus es E. — 248. Et sanguinem fundere C. — 249. O dulcissime Domine E. — 251. sqq. pacifice Domine, immense etc. C. — 254. Rex supremus B. — 255. rex gloriosus E. — 258. cuncta gubernas C. — 259. Exaudi nos E. — 260. Nobis sis clemens E; fehlt A. — 263 sqq. fehlen AB. — 268. In saeculorum E. — Man vergl. Pitra, Spicilegium Solesmense III, 449, wo das Lied aus einer Handschrift des 13. Jahrh. mitgeteilt ist.

3. De divinis Nominibus.

1. Jesu Christe, summe Deus,
Sancte pater rex et meus,
Tu me clemens audi reum
Et intende nunc in meum
Pie adjutorium.
Sum injustus et immundus,
Fallax, vagus, iracundus,
Homo mendax, qui commisi
Multa mala et amisi
Divinum auxilium.

2. Nam offendi te scienter,
Matrem tuam et frequenter,
Qua de causa me odisti
Et hinc juste subtraxisti
Mihi tuam gratiam.
Sed confido prece matris,
Quod tu, fili Dei Patris,
A me tuam nunc avertas
Iram magnam et convertas
In misericordiam.

3. Juste judex, te iratum
Scio meum per peccatum,
Unde reus ad Mariam,
Tuam matrem summe piam,
In hac vita fugio;
Et tu, Christi mater pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Tu quae porta es signata,
Mihi tu sis advocata
Coram tuo filio.

4. Virgo sancta, pro me ora
Et si placet in hac hora
Mihi redde, quod amisit,
Et indulge, quod commisit
Corpus atque spiritus.
Tu sis mihi medicina
Et de morte repentina
Et in vita temporali
Ab incursu hostis mali
Me defende coelitus.

5. Funde preces Deo meo
Pro me servo tuo reo
Et, dum vivo, me tuere,
Dona mihi possidere,
Quae sunt necessaria.
Ergo, Jesu, pater pie,
Preces matris in hac die
Tu exaudi, fili Dei,
Atque miserere mei
Mea et suspiria.

6. Tu qui sacer Adonai
Nominaris et Sadai,
Emmanuel, Deus mecum,
Da ut semper mei tecum
Cordis sit principium.
Tu qui theos appellaris,
Athanatos et vocaris,
Ischyros, o Deus fortis,
Fac me scire diem mortis
Meum atque transitum.

7. Tu Deus [summus] Elion,
Qui das salutem in Sion,
Salva, Christe, me clamantem,
Nam te timet judicantem
Mea nunc fragilitas.
Deus pater theodoron,
Jesu Christe, fili, on,
Et amborum sacrum flamen,
Tu sis mihi adjuvamen,
Sancta Dei trinitas.

8. Sabaoth o et Messia,
Tetragrammaton et Ja,
Cuncta mala procul pelle,
Venti cedant et procellae,
Et turbo concutiens.
Tu lux mea, ops et vita,
Heli Deus, velis ita
Meam visere personam,
Ne res perdat et coronam
Angelus percutiens.

9. Mihi praesta sanitatem
Et hanc confer pietatem,
Ut hinc hostes effugentur,
Cum haec tua invocentur
Gloriosa nomina.
O vos omnes sancti Dei,
Sitis defensores mei,
In hac hora subvenite
Mihi reo et venite,
Beatorum agmina.

10. O magne princeps Michael,
Gabriel atque Raphael,
O chorus angelorum,
Coetus apostolorum,
Me reum defendite;
O vos omnes confessores,
Sancti patres et doctores
Martyrumque turba pia
Dei matre cum Maria
Mihi nunc succurrite.

11. Et oretis pio more
Deum pro me peccatore,
Ut dignetur me salvare,
Mihi velit et praestare
Poenitendi spatia.
Ergo, Jesu pater, Christe,
Per quem vivit mundus iste,
Dona mihi possidere
Per te semper et habere
Sempiterna gaudia.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — „Quicumque orationem subsequentem, quae est beati Augustini, usque ad finem vitae suae devote dixerit absque dubio ad regnum coelorum ab angelis perducetur.“ Verfasser vielleicht Arnest von Pardubic. — 6, 3 Emmanuel o Deus. — 7, 1 Tu Deus eleison; offenbares Verschreiben bei Mangel von zwei Silben. — 7, 7 fehlt eine Silbe; ebenso 10, 3 sq.

4. Oratio de Incarnatione Christi.

1. Multis a confratribus
Sum saepe rogatus,
Ut eis exponerem
totiens probatus,
Quare Dei filius
sic est humanatus,
Ut in crucis cornibus
fieret assatus,
Et cur ejus lancea
foderetur latus;
Sic incepi dicere
multis invitatus:

2. Viri venerabiles,
viri literati,
Hostes injustitiae,
legibus armati,

Vestri nunc sufficio
sarcinae mandati,
Nec adire grandia
licet novitati.

3. Verbi ministerium
mihi credidistis,
Cujus est solemnitas
in diebus istis,
Erubescit facies
animus est tristis,
Factus sum insipiens,
vos me coegistis.

4. Sapientes alloquor.
supplico discretis,
Si non digne dixero,
parcere debetis,
Loqui de coelestibus
nescio secretis,
Caecus in apostolo,
caecus in prophetis.

5. Quia magnitudine
superant ignarum
Notiones singulae
trium personarum,
Quid pater, quid filius,
patet mihi parum,
Quid sit, unde filium
Pater habet carum.

6. Una est substantia
tribus in personis,
Unitatis regula
plus quam unionis,
Nuntiat in angelis,
judicat in thronis
Ad aeternae seriem
dispositionis.

7. Cum creator temporum
non sit temporalis,
Statim est sub tempore
res materialis;
Pater est efficiens,
filius formalis,
Utriusque spiritus
causa est finalis.

8. Creatori serviunt
omnia subjecta,
Sub mensura, numero,
pondere perfecta,
Ad invisibilia
per haec intellecta
Sursum trahit hominem
ratio directa.

9. Praedicat potentiam
rerum magnitudo,
Ordo sapientiam
sive pulchritudo,
Bonitatem copiae
summa plenitudo,
Pascit mentis oculos
trinitas hoc ludo.

10. Dignitate praeminet
universae rei
Factus ad imaginem
majestatis Dei,
Cuncta sibi serviunt,
ipse servit ei,
Quem nox nocti praedicat
et dies diei.

11. Obligavit omnia
nostrae servituti,
Alia deliciis,
alia saluti,
Sciunt evangelicis
regulis imbuti,
Quibus frui convenit.
quibus decet uti.

12. His nos beneficiis
voluit ditari
Et adjecit cumulum
muneris praeclari,
Cum pro nobis filium
misit incarnari,
Ut uniret hominem
suo salutari.

13. Est inenarrabilis
ista genitura,
In persona simplici
duplex est natura,

Ipse, qui creator est,
ipse creatura,
Ligans dissimilia
stabili junctura.

14. Taceo particulam
virginis beatae,
Non originaliter
carnis obligatae
Nec in lumbis Abrahae
quondam decimatae,
Unde Levi major est
Christi dignitate.

15. Haec simul in omnia
Deo counita,
Inde personaliter
una mundi vita,
Fides ita praedicat,
fides credit ita,
Haereat in perfidis
haeresis sopita.

16. Habens carnem similem
carni peccatrici,
Formam servi praeferens,
habitum mendici,
Qui in dolo repulit
dolum inimici,
Tale bellum perfido
decuit indici.

17. Cum in Deum hominem
misit hostis manum,
Ut moveret stabilem,
infirmaret sanum,
Si quid juris habuit
in genus humanum,
Irrevocabiliter
abiit in vanum.

18. O pugna mirabilis,
o trophaeum dignum,
Agnus lupum perimit,
innocens malignum,
Qui per lignum vicerat,
victus est per lignum,
Quod est terror hostium,
quod est vitae signum.

19. Infirmatur medicus,
sanet ut aegrotum,
Non per quinque porticus
nec per aquae motum,
Sed in vase fragili
et in parte totum,
Proximo parieti
copulat remotum.

20. Incipit in saeculo
factor saeculorum,
Vitae panis esurit,
sitit fons hortorum,
Noctis somno clauditur
oculus caecorum,
Plebi fit abjectio
decus angelorum.

21. Sol in nube tegitur,
dies obscuratur,
Trepidat securitas,
virtus infirmatur,
Disciplina caeditur,
salus exsecratur,
Vita cruci figitur,
ordo conturbatur.

22. Parum nobis proderat
redemptorem mori,
Ni rediret iterum
vita redemptori,
Liber inter mortuos
redditur honori,
Et a dextris assidet
natus genitori.

23. Ut divinae resonat
pagina scripturae,
Praecesserunt tempora
legis et naturae,
In antiquis patribus
operum figurae,
Sensus allegorici,
species obscurae.

24. Ut a primis ordiar
mundi rudimentis,
Fit de costa mulier
Adae dormientis,

Rutilans ecclesia
vitae sacramentis
Prodiit ex latere
Christi morientis.

25. Haec est arca, quam Noë
cataclismo rexit,
Hunc Jacob evigilans
lapidem erexit,
Haec in vase scirpeo
Mosysen inspexit,
Haec est nurus Noëmi,
quam Booz dilexit.

26. Haec est tabernaculum
in deserto factum,
Atriis circumdatum,
tabulis compactum,
Haec est arca foederis,
hoc est vitae pactum,
Inter verum Israel
et Deum contractum.

27. Atrium exercitus
vita est activa,
In quo sacrificia
sunt figurativa,
Hoc altare concremat
carnis incentiva,
Demolitur pinguia,
macerat lasciva.

28. Incenduntur hostiae
carnibus oblatis
Ligno crucis Domini,
flamma caritatis,
Agnus innocentiae
et simplicitatis,
Hircus poenitentiae,
turtur castitatis.

29. Primum tabernaculum
contemplationem,
Mensa, quae proponitur,
signat lectionem,
Panes verbum fidei,
thus orationem,
Candelabrum spiritus
illustrationem.

30. Futurorum pontifex
Christus est bonorum,
Qui semel introiit
in sancta sanctorum,
Non hircorum sanguine
neque vitulorum,
Sed in suo reserans
aditum coelorum.

31. Hic exstinxit gladium
sibi resistentem,
Gladium versatilem,
gladium ardentem,
Et removit Cherubim
gladium tenentem,
Dum latronem suscipit
Christus confitentem.

32. Quod fraternis manibus
Abel est occisus,
Quod oblatus puer est,
cui nomen risus,
Quod missus in puteum
fratribus invisus,
Quod ascendens in Bethel
calvus est derisus;

33. Coram agno mystico
mors est Pharaonis,
Quod saliva defluit
patre Salomonis,
Quod intravit Daniel
lacum Babylonis:
Totum est mysterium
Christi passionis.

34. Tangere sublimia
res est onerosa,
Aeris in nubibus
aqua tenebrosa,
Ut a spinis discrepat
lilium vel rosa,
Sic a Dei laudibus
vita vitiosa.

35. Tangens montem bestia
debet lapidari,
Et indignus timeo
plecti poena pari,

Sed a vobis postulo
veniam praestari,
Quorum voluntatibus
nolo refragari.

36. Supplicemus iterum
gratiae divinae,
Quam humanae credimus
summam medicinae,
Ut expertes ultimae
faciat ruinae,
Sitque salus omnibus
hic nunc et in fine.

Cod. Londinen. Reg. 2 A IX saec. 13/14. — 17, 5 Sed quid. — 20, 7 adjectio. — 20, 8 Deus angelorum. — 23, 1 resonet. — 28, 3 Signo tibi Domine. — 29, 5 verbum foederis. —

Dies Lied ist von Th. Wright, The Latin Poems, commonly attributed to Walter Map S. 31 W, unter dem Titel Praedicatio Goliae, der handschriftlich nicht vorkomme, nach sechs Handschriften gedruckt, deren Alter er nicht angiebt, nämlich Harl. 978. H; Vespas. E XII. C; Titus A XX. T; Sloane 1580. S; Lambeth. 238. L 1; Lambeth. 481. L 2. Er bietet folgende Lesarten, von denen die mit W bezeichneten im Text stehen. Str. 1 fehlt SL 1 L 2. — 1, 2 pridie rogatus W. — 1, 7 quod in C. — 1, 8 parvitati W; novitati C. — 3, 2 commisistis W; credidistis SC. — 3, 3 Quod est satis congruum W; cujus est solemnitas SC. — 3, 7 incipiens W. — 4, 2 decretis C. — 4, 3 Si non bene C. — 4, 7 apostolis W. — 5, 1 Sui magnitudine W. — 5, 2 fugiunt ignarum S. — 5, 5 Quo pater quo S. — 5, 6 constat mihi S. — 5, 7 Quo sit S. — 7, 3 cum tempore S. — 8, 3 sq. pondere numero S. — 8, 7 Sursum ducit S. — 9, 5 Bonitatis copiam W; bonitatem copiae SC. — 10, 2 universitate rei C. — 11, 6 induti W. — 11, 8 fas est uti W; decet uti SC. — 12, 3 adducit C. — 12, 6 fecit incarnari S. — 14, 8 Christus W. — 15, 1 simul cum anima W; omnia C. — 15, 3 Unum personaliter W. — 15, 7 Pereat W. — 16, 5 Quasi dolo W; Qui in dolo H. — 16, 8 debuit S; judici W Schreib- oder Druckfehler. — 17, 2 hostis misit S. — 19, 2 ut sanct S. — 19, 5 figuli W; fictili S. — 20, 5 Mortis somno W; Noctis S. — 20, 7 Plebis W. — 21, 2 obsecratur C. — 21, 6 salus vulneratur S. — 22, 1 proderet W; proderat C. — 22, 7 in dextris C; assides H. — 24, 1 ardear C. — 24, 8 dormientis C. — 25, 1 qua Noe W; quam S. — 25, 3 Hic Jacob S. — 25, 6 adspexit S. — 26, 3 Atrio W. — 26, 4 stabile compactum S. — 26, 6 haec est vitae W. — 27, 5 Hic altare W. — 27, 7 Demollitur C. — 27, 8 lacerat W. — 28, 6 aut simplicitatis H. — Str. 28 fehlt S. — 31, 1 exstinguit SC. — 31, 2 nobis resistentem W. — 31, 4 gladium manentem C. — 31, 7 recipit S. — 31, 8 Christo C. — 32, 4 nostri forma risus S. — 32, 5 Quod Joseph est venditus S. — 32, 7 ascendit H; irrisus S. — 33, 1 Quod in agno S. — 33, 2 mortem Pharaonis S. — 33, 4 patri S. — 33, 6 locum Babylonis W, Schreib- oder Druckfehler. — 34, 5 sq. lilium discrepat S. — 34, 7 Sic ab his sermonibus S. — Str. 35 fehlt S. — 36, 1 interim W; ultimo C. — 36, 7 Sic sit W; sicque C. — 36, 8 et nunc et W; hic et sine C.

5. De Incarnatione Christi.

1. Salve, festa dies, quae vulnera nostra coerces,
Angelus est missus, est passus et in cruce Christus.
Est Adam factus et eodem tempore lapsus,
Conterit in coelis zabulon virtus Michaelis.
5. Ob meritum decimae cadit Abel fratris ab ense,
Israel medium transivit per mare rubrum.
Offert Melchisedech, Isaac supponitur aris,
Est decollatus Christi baptista beatus.

Est Petrus ereptus, Jacobus sub Herode peremtus,
Lex datur in Sina, veniens rex judicat bina,
Corpora sanctorum cum Christo sepulta resurgunt,
Latro dulce tamen paradisum suscipit Amen.
Per hoc dictamen nos salvet flamen et Amen.

Cod. S. Floriani XI 369 saec. 14. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 3593 saec. 15. B. — 4 fehlt B. — 10 judicat vina, lies bina, d. h. vivos et mortuos; fehlt B. — 11 fehlt B. — 13 fehlt A. — Unmittelbar vorher geht in A folgende Kalendernotiz für den 25. März (die erwähnten Daten sind zum Teil von den obigen verschieden): VIII Kal. Apr. annunciatio sanctae Mariae et passio Domini et decollatio sancti Jacobi apostoli, fratris Domini. Ipso die mundus creatus est, Adam formatus et animatus, a serpente deceptus et cruce redemptus, Abel occisus, periit in diluvio mundus, interiit Sodoma et Gomorrha, Isaac immolatur, Joseph venditus, Pharao in mare mersus, Samson obiit, latro paradisum possedit, Petrus a catenis liberatus est, Jerosolyma a Tito vastata est. Dicunt etiam Judaei hodierno die fieri judicium mundi. Vgl. Analecta XIVb S. 171.

6. In laudem Dominicae nativitatis.

1. O beata gaude infantia,
Sed et gaudens doleas pariter,
Aggredere sancta mysteria
Pereuntis mundi letaliter.
Jam paterna adimplens nuntia
Gaude simul et dole flebilis,
Grandis enim tibi restat via
Nascens pauper servus et humilis.

2. A vagitu sumas exordia
Nilque spernens nostrae miseriae,
Vagi, infans, inter praesepia,
Sed oscula pia dans Mariae
Solare, nam patris imperia
Decreverunt cruoris te stillis
Jam perfundi super altaria,
Qui natus es pauper et humilis.

3. Ad gaudium reduxit litera,
Nam confestim alacres prodeunt
Reges Tarsis ferentes munera
Nec Herodem deinceps adeunt.
Aurum sicut regi magno donant,
Thus ut Deo myrrhamque cum illis
Inhumando; haec mystice sonant
Tibi, qui es pauper et humilis.

4. Dum Simeon miratur haec gesta,
Laetus psallit et plaudens manibus:
Tendo, inquit, ad alia festa,
In ferendis pro te muneribus

Speculabor, dum templum adies,
Et baculo aetate senilis
Sustentatus dicam millesies:
Salve, infans puer et humilis.

5. Sed heu dolor, statim praedicetur:
Nam in signum, cui contradicetur,
Eris, inquit, nec matri mitius
Fiet, cujus animam gladius
Pertransibit. Sic ergo passurum,
Te attende atque moriturum,
Sed sic volens, sic es passibilis,
Nasci volens pauper et humilis.

6. Princeps praestans et pastor ovium,
Princeps pacis et pastor omnium,
Princeps mundi, Herodes malignus,
Tyrannide nos quaerit perdere
Et barathri ad ima ruere,
Sed succurre nobis, rex benignus,
Propitius sis et placabilis,
Natus pauper servus et humilis.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481, post. Sanctorale.

7. Oratio ad Christum.

Ave, Jesu, cruciate
Sub Pilato Pontio;
Ave, Jesu, coronate
Spinis in patibulo;
Ave, Jesu, conclavate
Manibus, vestigio;
Ave, Jesu, vulnerate
Lateris in medio;
Ave, Jesu, morti date,
Die surgens tertio;
Jesu, plene pietate,
Tuae mortis mentio
Nobis in necessitate
Fiat consolatio.

Horar. Anglican. ms. saec. 15. Cod. Londinens. Reg. 2 A XVII.

8. Ad Christum Oratio.

1. Rex, salvator saeculorum,
Jesu Christe Domine,
Qui cum Deo patre manes
et cum sancto flamine,
Opem mihi confer pius
tuo medicamine.

2. Tua, Deus, me conservet
praesens visitatio,
Tua semper me defendat
clemens obumbratio,
Tua salvet me clamantem
potens incarnatio.

3. Ex utero virginali
carnalis egressio
Me protegat atque tua
sancta circumcisio,
Me splendore pietatis
lustret apparitio.

4. Per baptismum tuum, Christe,
fac me frui gloria
Jejunium tuum mundet
ab omni nequitia,
Me relevent atque salvent
tua mirabilia.

5. Pia, Deus, amicorum
tuorum electio
Fiat mihi peccatorum
cunctorum remissio,
Ut gaudere tecum queam
in coeli palatio.

6. Mors in cruce tua, Deus,
et ingens angustia,
Magnus dolor, quem es passus
pietate nimia,
Me supernae civitatis
ducat ad consortia.

7. Tua, pie Christe Jesu,
rex regum, redemptio
Sit ubique praesens mihi,
salus et defensio,
Ut aeterno possim felix
interesse gaudio.

8. Me triumphus ille magnus
atque resurrectio,
Me conservet tua, Christe,
gaudens apparitio
Et in coelum mirabilis
ad patrem ascensio.

9. Tua clara, pie Deus,
et ingens victoria,
Tua magna sempiterna,
quam habes, laetitia,
Exoptata mihi reddant
paradisi gaudia.

10. Paraclitus septiformis,
quem tuis fidelibus
Tribuisti dono patris
de supernis sedibus,
Me conservet et faciat
frui bonis omnibus.

11. Sit ubique mihi, Deus,
tua gubernatio,
In adversis et prosperis
tua consolatio,
Muro tuo me circumda
pius et auxilio.

12. Non me sinas violari
tentationis laqueo,
Sed extende manum tuam
et protege clipeo,
Ne demergar cum iniquis
in Averni puteo.

13. In adventu tuo, Christe,
fac, ut mea portio
Tecum fiat in aeternum
in coelesti gaudio,
Ut te laudans et exsultans
vitae fruar praemio.

14. Sit laus, virtus trinitati,
decus et potentia,
Imperium sempiternum,
salus, honor, gloria
Detque mihi sempiternae
claritatis gaudia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

9. Ad Dominum Jesum Christum.

1. Ave, Jesu, qui de Deo
Deus natus es ab eo,
Nobis missus coelitus;
Ave, verbum Dei patris,
Es conceptum alvo matris
Luce sancti spiritus.

2. Ave, qui es homo natus
Et in terris nobis datus
Ad pastum ex virgine;
Ave, qui in sancta mente
Saepe nasceris habente
Fidem sine crimine.

3. Ave, cui magi thesaurum
Mysticum, myrrham, thus, aurum
Libabant cum laudibus;
Ave, qui eras portatus
In templum atque oblatus
Cum libis legalibus.

4. Ave, qui aquam in vinum
Mutasti, architriclinum
Sic laetificaveras;
Ave, qui panibus quinis
Atque de piscibus binis
Turbas satiaveras.

5. Ave, qui in coena victum
Eucharistiae invictum
Tuis dabas sociis;
Ave, qui in ara crucis
Passus eras mortem trucis
Ut agnus ex hostiis.

6. Ave, qui resurrexisti,
Ut leo vivens vicisti
Vincula hostilia;
Ave, polos qui petisti
Et ut aves ascendisti,
Duc nos ad coelestia.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19 824 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurin. saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B. — 3, 2 thus et aurum A. — 6, 4 polos qui fecisti AB.

10. Ad Christum oratio.

1. O Messia,
De Maria
Natus alma virgine,
Qui purgasti
Et salvasti
Mundum tuo sanguine,

2. Pius esto
Et memento,
Quid pro nobis feceris,
Pro indignis
Et malignis
Quanta sustinueris.

3. Rex aeterne,
Pius cerne
Supplices intuitu
Et illustra
Corda nostra
Tuo sancto spiritu.

4. Pastor bone,
A leone
Tuas oves libera
Et cum illis,
Qui in coelis
Gaudent, nos adnumera.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15. — Das kurze Gedicht schliefst unmittelbar an das Lied Ave nate Dei vivi fol. 222a an, zu dem es aber nach Inhalt und Form nicht gehört, auch sonst (vgl. fol. 240) sich nicht findet.

11. Ad Christum Oratio.

1. Ave, Jesu, splendor patris,
Ave, flos Mariae matris,
Verbum patris increatum,
Alvo matris incarnatum,
Dulcis vitalisque fructus,
Medicina nostri luctus,
Morbos fuga, da virtutem
Mentis, corporis salutem.

2. Ave, sol aeternitatis,
Rex regum, rex majestatis,
Princeps summae largitatis,
Vultu tuae bonitatis
Respice super egenum
Omni foeditate plenum,
Larga manu da petenti
Et ostende te quaerenti.

3. Solum quaero te dilectum
Intra cordis mei lectum,
Non declines sed intende,
Mihi faciem ostende,
Quae est plena gratiarum,
Omnium deliciarum,
Quem videre est amoenum,
Nam suavitate plenum.

4. Ave, Jesu, panis vivus,
Melos, odor, mellis rivus,
Ave, Jesu, pacis donum,
Salus, honor, summum bonum,
Verus Deus, verus homo,
Tibi psallo, tibi promo,
Te collaudo voce, voto,
Ore, cordis nisu toto.

5. Ave, decus angelorum
Gaudiumque supernorum,
Via, veritas et vita,
Lux in coeli regno sita,
Jesu, pacis mediator,
Tu redemptor ac creator,
Semper tu amabilis,
Totus desiderabilis.

6. Ave, speculum sanctorum
Et corona beatorum,
Jesu, pater orphanorum
Et mundator peccatorum,
Te adorans in te credo,
Amor, jubilus, dulcedo,
Ad te clamo toto corde,
Criminum me munda sorde.

7. Ave, agnus immolatus,
Tamquam latro judicatus,
Duris spinis coronatus,
Nudus, caesus, vulneratus,
Passus es, ne patiamur,
Mortuus, ne moriamur;
Agne Dei, tu spes rei,
Miserere pie mei.

8. Jesu, agonista fortis,
Memor esto tuae mortis;
Mors aeterna non me gravet,
Sanguis tuus foedum lavet,
Mundans intus me ac foris,
Et tu, Jesu, fons amoris,
Cordis tui de piscina
Mihi poculum propina.

9. Cujus haustu creatorem,
Dulcem meum redemptorem,
Diligam te super cuncta
Proximumque lege juncta;
Jesu, mi dilecte, audi
Intendentem tuae laudi
Caritate cum perfecta,
Cum spe firma, fide recta,

10. Sincera cognitione,
Intima contritione
Puraque confessione
Oleique unctione,
Virtutum perfectione,
Tua consolatione,
Dextra tua me defende
Fove, rege, cor accende.

11. Confer mihi finem bonum,
Ut per hoc salutis donum
Merear te summum bonum
Ac coelestis regni thronum;
Vita, salus, mundi vere,
Jesu, mei miserere;
Hoc confer salutis munus,
Qui regnas trinus et unus.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 7 manu te petenti.

12. Novena gratiarum actio.

1. Ad beatae trinitatis
Simplicisque deitatis
Sempiternam gloriam
Recolendo, Jesu Christe,
Cujus laudis hymnus iste
Personat victoriam,

2. Grates tibi pro tuorum
Reddo beneficiorum
Nobis facta gratia,
Orans, ut, qui minus grati
Tibi, simus excusati
Pro tua clementia.

3. Jesu pie, Jesu bone,
Qua possum devotione,
Te rogo suppliciter,
Corda nostra ad orandum
Et os ad te salutandum
Aptes efficaciter.

4. Primum ergo te laudare
Decet ab hoc et amare,
Quod de carne virginis
Incarnari voluisti,
Incarnatus induisti
Veri formam hominis.

5. Propter hanc humilitatem,
Qua sic tuam majestatem
Inclinasti, Domine,
Fac nos tibi semper esse
Humiles ut est necesse
Et mundos a crimine.

6. Nunc secundo collaudandus
Et a cunctis praedicandus
Es, Jesu dulcissime,
Quod cum Deus ab aeterno
Sis cum patre, de materno
Virginis castissimae

7. Es dignatus ventre nasci
Et ejusdem lacte pasci
Natus mirabiliter.
Per illam nativitatem
Da, ut tuam claritatem
Cernamus perenniter.

8. Tertio nunc honorari
Debes et magnificari,
Christe, a fidelibus
Eo quod in mundo natus,
Circumcisus, adoratus
Magorum muneribus,

9. Templo patri praesentatus,
Baptizatus et temptatus,
Clarus in miraculis,
Jejunasti, laborasti,
Discurrendo praedicasti
Verbum vitae parvulis.

10. Quarto tibi grates ago,
Splendor patris et imago,
Pro poenis innumeris,
Quas in carne consecrasti,
Post et antequam portasti,
Crucem sacris humeris.

11. Te Judaei flagellabant
Et acerbis vulnerabant
Flagris crudelissime,
Te frementes conspuebant,
Deridentes illudebant
Tractando vilissime.

12. Tibi vultum velaverunt
Colaphisque ceciderunt
Faciem clarissimam,
Tibi vestes detraxerunt,
Spoliantes nudaverunt
Carnem sacratissimam.

13. Tibi crucem praeparantes
Et in ipsam te levantes
Blasphemando nequiter,
Inter fures suspenderunt,
Manus, pedes confixerunt
Cruci clavis fortiter.

14. Caput spinis coronatur,
Latus tibi perforatur
Et inflicto vulnere,
Totus poenis es afflictus,
Morti dirae es addictus
Pro humano scelere.

15. Per plagas, quas pertulisti,
Per cruorem, quem fudisti,
Te rogo, rex gloriae,
Ut qui fons es pietatis,
Nobis dones de peccatis
Spem et actum veniae.

16. Quinto tibi laus est danda,
Mundi salus adoranda,
Quod morte ad inferos
Jam devicta descendisti
Et captivos redemisti
Liberando miseros.

17. In sepulchro jacuisti,
Sed ad vitam surrexisti
De morte post biduum;
Vitam nobis morituris,
Regnum nobis surrecturis
Concede perpetuum.

18. Sexto tibi reddo grates,
Qui, ut praedixerunt vates,
In coelum ascenderas,
Quod tunc vere complevisti,
Cum in coelum transvexisti
Carnem, quam assumpseras.

19. Per illam ascensionem
Et tuam per sessionem
In paterna dextera,
Fac nos ad te transportari
Et post mortem gloriari
Tecum super aethera.

20. Septimo laus tibi detur
Et semper continuetur
Omnibus in saeculis
Propter donum, quod electis
Tuis sanctis et dilectis
Misisti discipulis.

21. Sanctum eis qui dedisti
Spiritum, quos docuisti
Loqui linguis omnium,
Tuum nobis sanctum flamen
Dona, precor, ut tutamen
Contra fraudes hostium.

22. Octavo tu venerandus
Et obnixe praedicandus
Es, redemptor omnium,
Ut cum dies erit durus,
Quando crederis venturus
Esse ad judicium,

23. Ubi facta singulorum
Tam bonorum quam malorum
Pensabis aequissime,
Horum, quibus dices Ite,
Non simus tunc, sed Venite
Dic nobis dulcissime.

24. Nono laude hac es dignus,
Christe, quod tu es benignus
Vere poenitentibus,
Fidem tuam qui professi
Et peccata sunt confessi,
Reddis cum operibus.

25. Nobis fidem praebe veram,
Caritatem da sinceram
Et spem certam tribue
Et mundatos a peccatis
Nos in regno claritatis
Post mortem constitue.

26. Jesu pie, Jesu bone,
Qua possum devotione
Te rogo suppliciter,
Corda nostra ad orandum
Et os ad te salutandum
Aptes efficaciter.

Orat ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. B.

13. Oratio devota et compunctiva.

1. Ave regis angelorum,
Dei patris unice,
Mundi faber et coelorum
Rex et rector fabricae,
Jesu, vota miserorum
Te laudantum respice.

2. Aequum est et salutare,
Te laudare dominum,
Cui laudes dignas dare
Nullus potest hominum,
Duxi tamen te laudare
Homo plenus criminum.

3. Homo miser et malignus,
Plenus omni scelere,
Tibi, Jesu, non sum dignus
Vota laudum solvere,
Sed es clemens et benignus,
Noli me contemnere.

4. Te adoro, mi creator,
Tuo factus numine,
Te collaudo, mediator,
Tuus vocor nomine,
Te saluto, mi salvator,
Tuo emptus sanguine.

5. Salve, fili Dei Deus,
Splendor patris gloriae,
Vita mea, Deus meus,
Amor et deliciae,
Tibi laudes licet caenus
Cantabo quotidie.

6. Ave, fuga tenebrarum,
Solis lux et siderum,
Jesu, salus animarum,
Medicina scelerum,
In hac valle lacrimarum
Respice me miserum.

7. Vale, vita beatorum,
Jesu, pacis visio,
Via vitae, spes lapsorum,
Reorum redemptio,
Ad te miser peccatorum
Mole pressus fugio.

8. Jesu, virtus deitatis,
Patris sapientia,
Tu es dextra majestatis,
Par patris potentia,
Auctor universitatis,
Rex et regens omnia.

9. Tu es splendor et figura
Paternae substantiae,
Verbum factum caro pura,
Carnis carens carie,
Et creator creaturae
David ex progenie.

10. Tu es mitis et severus,
Humilis altissimus,
Agnus mitis, leo ferus,
Clementer justissimus,
Deus fortis, homo verus,
Potenter piissimus.

11. Tu es judex veritatis,
Fons tamen clementiae,
Deus fortis, judex pacis,
Rex tamen justitiae,
Vindex justus pravitatis,
Vena tamen veniae.

12. Tu es novae lator legis
Et largitor veteris,
Rex et natus summi regis,
Descendens a superis
Ovem ad ovile gregis
Portas tu in humeris.

13. Tu peccati poenitudo,
Reatus remedium,
Tu erroris rectitudo,
Doloris refugium,
Tu amoris plenitudo,
Pudoris connubium.

14. Tu es pacis gratitudo,
Amoris justitia,
Tu in via fortitudo,
Praemium in patria,
Sanctorum beatitudo,
Angelorum gloria.

15. Tu es legis plenitudo,
Gratiae tu largitas,
Fidei tu fortitudo,
Tu spei profunditas,
Caritatis latitudo,
Via, vita, veritas.

16. Tibi, Jesu, creatori
Detur benedictio,
Tibi, Jesu, salvatori
Gratiarum actio,
Tibi, Jesu, redemptori
Honor et salvatio.

17. Tibi, Jesu, confiteri
Bonum est et psallere,
Modus cujus est mederi,
Usus est ignoscere,
Jus naturae misereri
Et voluntas parcere.

18. Non est onus ita grave
Ut peccati sarcina,
Corpus enim premit prave,
Cordis caecans lumina
Mentem ducit in vae a vae
Et offendit numina.

19. Heu, quid agam, toti mundo
Vilescens obsurdui,
Coetu coeli laetabundo
Non sum dignus perfrui,
Solum Stygis in profundo
Mansionem merui.

20. Omnem mundum maculavi
Meam per libidinem,
Tanta mala perpetravi,
Quod ob multitudinem
Intueri jam expavi
Coeli celsitudinem.

21. Quos infeci, me diffamant
Aer, tellus, maria,
Accusantes me proclamant,
Cor et conscientia,
Et quos amo, me non amant,
Sed nec caro propria.

22. Vilis atque vitiosus
Cunctis sum viventibus,
Horror, stupor et exosus
Brutis et hominibus,
Et amicis onerosus,
Fuga fio fratribus.

23. Me mirante cum stupore,
Cum tanta miseria,
Me adjicit cum moerore
Mens malorum conscia,
Quod offenso creatore
Offenduntur omnia.

24. Ecce, qui te creatorem
Offendisse videor,
Adsum et me peccatorem
Coram te confiteor
Ac me negans, ut errorem
Emendam, polliceor.

25. Nam non solum morti datus
Intra domum jaceo
Neque tantum deportatus
Extra portas putreo,
Sed jam diu tumulatus
Putrefactus foeteo.

26. Sum peccator criminosus,
Elatus et avidus,
Leno quidem et gulosus,
Iracundus, invidus,
Segnis et accdiosus,
Totus olens, horridus.

27. Sum peccator sorde plenus
Septiformis vitii,
Perpetravi omne genus
Faecis et flagitii,
Totus olens et obscaenus
Sponte lapsus perii.

28. Sum peccator et avarus
Saturari nescius,
Parcus, tenax et amarus,
Irascens et anxius,
Boni expers et ignarus
Omnis mali conscius.

29. Sum peccator et impurus,
Vilis, horrens, horridus.
Sum distractor et perjurus,
Mendax, fallax, perfidus,
Mente ferox, corde durus,
Contumax et turbidus.

30. Sum peccator, sum iniquus,
Impius, impatiens,
Litis auctor, inimicus
Pacis, inobediens,
Sum infelix illa ficus
Fructum ferre nesciens.

31. Voto atque cogitatu,
Corde, ore, opere,
Aure, gustu, odoratu,
Manu tangens temere,
Quando reus sum reatu,
Nesciens deponere.

32. Curam carnis semper egi,
Vota cordis condidi,
Adversando semper legi,
Caritatem perdidi,
Sed si quando fidem fregi,
Semper in te credidi.

33. Sono, nutu et per signa
Perpetravi noxia,
Magna nimis et maligna
Commisi flagitia,
Quae narratu sunt indigna,
Numeratu nimia.

34. Peccans in spe provocavi
Te ad iracundiam,
Nunquam tamen desperavi
Nec despero, quoniam
Nomen tuum non negavi
Nec misericordiam.

35. O spes mea, Jesu bone,
Fons misericordiae,
Adsis mihi in agone
Instantis angustiae,
Da solamen et depone
Nubem diffidentiae.

36. Fili Dei, Jesu pie,
Deus, qui fecisti me,
Fili virginis Mariae,
Homo redemisti me,
Geminae gigas usiae,
Salvator, exaudi me.

37. Verbi tui dulcis oris
Memento, quod dixeris:
Nolo mortem peccatoris,
Sed ut viam sceleris
Derelinquat, et erroris
Obliviscar veteris.

38. Me, creator, convertentem
Miserator suscipe,
Me, redemptor, poenitentem
Ignoscendo eripe,
Me, salvator, confitentem
A peccatis eripe.

39. Qui peccantem convertisti
Me ad poenitentiam
Et converso contulisti
Confidendi gratiam,
Confitenti corde tristi
Non negabis veniam.

40. Dulcis Jesu, qui es natus
Ex Maria virgine,
Verus homo, qui es datus
In cruce pro homine,
Sordes meas et reatus
Terge tuo sanguine.

41. Memento, quod carnis jura
Nostrae quondam sumpseris,
Quod creator creatura
Pro nobis efficeris
Et quod factor pro factura
Mortem crucis tuleris.

42. Deus unus tu et pater
Cum sitis essentia,
Et te parit mihi mater,
Virgo viri nescia,
Deus meus es et frater
In carnis substantia.

43. Si me mei creatoris
Abhorret divinitas,
Fratris mei salvatoris
Non odit humanitas,
Nec me mei redemptoris
Negabit benignitas.

44. Memor esto, quod creando
Me fecisti filium
Et te mihi haec mirando
Fratrem facis proprium,
Ne me perdas condemnando
Mortis tuae pretium.

45. Quia plecti, quae peccavi,
Per me non sufficio,
Indulgebit, quod erravi,
Patris miseratio,
Et quas poenas comparavi,
Solvet fratris passio.

46. Apud patrem plus meretur
Insontis justitia,
Apud te plus, ut videtur,
Potest poenitentia,
Nam quod a te plus ametur,
Probant subsequentia.

47. Numquid merita sanctorum
Sanctitatis opere,
Annon amor miserorum
Lugentum in carcere
Te coegit, rex coelorum,
Ad terram descendere?

48. Potest insons te factorem
Aliquis inspicere,
Sed te reus redemptórem
Potest plus diligere,
Cum sis amor, amatorem
Non potes repellere.

49. Nam te teste tu dixisti,
Non justos ad gloriam
Ut vocares, non venisti,
Sed ad poenitentiam
Peccatores, quos traxisti
Per amoris gratiam.

50. Plus amare nunc probatur,
Cui plus dimittitur,
Et plus amans plus amatur;
Cur? quia redimitur,
Nam quod care comparatur,
Carius diligitur.

51. Age, Jesu, quaeso mitis,
Qui errantes respicis
Et conversis et contritis
Te dare non despicis,
Miserere Sunamitis,
Sed jam tui supplicis.

52. Jesu, meta medicinae,
Miserum me visita
Et a vinclo mortis trinae
Me foetentem suscita
Et da vitam sine fine
Pietate solita.

53. Mihi reo miserere
Atque cunctis miseris,
In praesenti nos tuere
Et post diem funeris
In futuro fac gaudere
Perpetim cum superis.

Orationale ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 11, 1 veritatis judex. — 24, 5 et errorem. — 52, 1 medicina.

14. De Nativitate et Morte DN.

1. Ave, Jesu dulcissime,
Verbum patris altissime,
Quam speciali gloria
Hominem tu decorasti,
Qui in claustro sanctissimae
Virginis ac piissimae
Sancti spiritus gratia
Praevia te incarnasti.

2. O res mirabilis
Atque laudabilis
Cunctis dulcisona,
Homo conjungitur
Deo et unitur
In una persona.

3. Ave, Jesu,
lux indeficiens,
Fons aeternus
cuncta reficiens.

4. Quamque gratiose
Et quam fructuose
Mundum recreasti,
Quando de virgine
Lumen de lumine
Nasci voluisti.

5. O quam gloriosa
Atque gaudiosa
Dies apparuit,

In qua pretiosa
Atque radiosa
Gemma resplenduit.

6. Ave Jesu,
cunctis benignior,
Mors te tamen
premit amarior.

7. Homo, vide
quid pro te patitur
Jesus Christus,
qui pro te moritur,
Vide crucem,
cui affigitur,
Vide clavos,
quibus confoditur.

8. Vide latus
pro te lanceatum,
Vide caput
spinis coronatum.

9. Si tu compateris,
Quaecunque pateris,
Sunt tibi dulcia;
Sic tamen inspice
Et nunquam respice
Vana solatia.

10. Quare miles
vacat deliciis
Regem cernens
tantis opprobriis?

11. Cur hic gaudes et laetaris
In hac valle miseriae,
Nonne vides et miraris,
Quae patitur rex gloriae?

12. Hic est Deus,
qui tanta patitur,
Ecce, vita
pro nobis moritur.

13. Ave dies terribilis,
Angelis admirabilis,
In quo creator patitur,
Deus et vita moritur.

14. Ave, Jesu Christe,
vita beatorum
Resurrectioque,
gloria sanctorum,
Sicut moriendo
mortem destruxisti,
Ita resurgendo
vitam reparasti.

15. Ave, Jesu Christe,
gloria coelorum,
Fidelium vita,
salus peccatorum,
Juxta patrem sedes
in throno regali,
Decoratus carne,
stola corporali.

16. Super coelos cunctos
terra sublimatur,
Super thronos coeli
homo coronatur.

17. O quis unquam
audivit talia,
Homo regnat
in coeli curia,
Quem tenebat
mors in miseria;
Modo nova
facta sunt omnia.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. Mit der Bemerkung: „Hanc orationem fecit S. Augustinus et quotidie oravit.“ — 2, 4 jungitur. — 17, 5 Quem prius tenebat. — Das Lied ist in Sequenzform geschrieben, jedenfalls älter als seine Quelle, wohl aus dem 13., spätestens 14. Jahrhundert und wahrscheinlich französischen Ursprungs. 7, 1 imitiert auffallend das Homo, vide, quae pro te patior des Philippus de Grevia.

15. Dominia 1. Quadragesimae.

1. Salve, dux jejunii,
Jesu eremita,
Reddo pensum munii,
Veritas et vita;
Panibus angelicis
Cum favis me coelicis
Pavisti gratanter,
Jam ad montem Sinai
Et Horeb, Adonai,
Deducas amanter.

2. Salve, pugil inclite,
Perpes triumphator,
Perfers ferae perditae
Tela, consolator;
O ignitis jaculis
Tuis sacris pabulis
Dones reluctari,
Nam tuis militiis
His fretus divitiis
Volo gloriari.

3. O dux poenitentiae,
Jesu, Christianae,
Veni, rex clementiae,
O Samaritane,
Et quem his vigiliis
In precum consiliis
Mihi lucubrasti,
Jam fumus aromatis
Igne scandet pneumatis
Ara cordis casti.

4. O te laudum milibus
Laudo, laudo, laudo,
Tantis mirabilibus
Plaudo, plaudo, plaudo;
Gloria sit, gloria,
Amanti memoria
Domino in altis,
Cui ministeria
Dantur et praeconia
Coelicis a psaltis.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 1, 9 Et orbe. — 3, 5 Et quam.

16. De Vita et Passione DN.

Quod res enumerat condigno nulla canore,
Semper id exstiterat et ab ingenito genitore
Verbum prodierat, sed tempore posteriore
Fit, quod non fuerat, immunis quoque decore.
Cerni non poterat, nam viscera casto tumore
Pneuma potens onerat; sic humano sine more,
Quam vir non temerat, haec sola potitur honore,
Ut non, quae generat, privetur virgo pudore.
Sic Deus aequiparat se nobis carnis humore,
Nec tamen huic inerat scelus aut dolus in ore,
Verba docens iterat signorum clara nitore.
Hunc poenis lacerat Judaea repleta furore.
Plasmatis haec tolerat plasmator ductus amore,
Mors mortem superat, effuso namque cruore
Infernum reserat, ex caceris ipse tenore
Ut vinctos referat, vitae redeunte valore.
Postquam dormierat, a mortis rite sopore
Surgit et accelerat victo super astra labore.

Cod. Virunen. perg. 24. saec. 14. — 1, 1 condigna nullo. — 13. Plasmans hic tolerat Hs.

17. De Passione Domini.

1. Ave, nate Dei vivi,
De quo quini fluunt rivi,
Divis stillis cruentati,
Rore poenarum potati,

2. Ave, vulnus salvatoris,
Quod cervicem peremptoris
Contrivisti in Thau signo,
Mortem vincens vitae ligno.

3. Ave, vulnus dextrae manus,
Per quod nostrae culpae hamus
Est disruptus, quem in pomo
Primus glutivit Adam homo.

4. Ave, vulnus manus laevae,
Per quod scalam lucis aevae
Nobis pie ostendisti,
Dum te figi spopondisti.

5. Ave, vulnus dextri pedis,
Quod ad vitam coelestis aedis
Hinc nos ducis consolatos,
Fide Christi praesulatos.

6. Ave, vulnus pedis laevi,
Per quod daemones fraudaevi
Corruerunt, flentes rei
Sed nos dati sanctae spei.

7. Ave, Christi corpus gratum,
Duris plagis vulneratum,
Per hoc sacrosanctum caesum
Duc nos, rex, ad poli esum.

8. Ave, sanguis generose,
Fons dulcoris pretiose,
Rigas nos contritione
Cordis ac devotione.

9. Avete, vos plagae binae
Ducentinae mille quinae
Minus una, purpurantes
Corpus regis et rigantes.

* * *

10. Sputa, quae te foedaverunt,
Nostra peccata laverunt
Piando salubriter,
Alapae, quae te ceciderunt,
Omnibus promeruerunt
Vivere feliciter.

11. Ave, flagellatio,
Totius cruentatio
Corporis Jesu Christi;
Nostra consolatio
Sis et liberatio
A nece praetristi.

12. Alligaris statuae,
Verberaris strenue
Manu impiorum,
O Christe, quam arduae
Plagae sunt et mutuae
Per corpus decorum.

13. Per plantas et verticem,
Digitos et pollicem
Salutis cruor manat,
Dorsi superficiem,
Qui totam planitiem
Carnis ejus lavit.

14. Ave, spinarum punctio,
De qua fluit unctio
Mundi medicina,
Sis cordis compunctio
Et oris devotio,
O beata spina.

15. Distillantes rivuli
Pro salute populi
De capite dominico
Peccatorum tumuli,
Meritorum cumuli,
Fiant supplicatio.

16. Salvete, vos clavi rubri,
Pro nostra vita salubri
Infixi feliciter,
O clavi praeclari
Christi Dei cari,
Vos oro suppliciter,
Ut me jucundari
Simul et beari
Juvetis feliciter.

17. Salve lanceatio,
Lateris perforatio
Nostri redemptoris,

Me illuminare,
Domine, dignare
Tuo lumine,
Ut tecum regnare
Queam et laudare
Te sine fine.

18. Salve depositio
Christi jam defuncti
De crucis patibulo
Et myrrha peruncti;
Deposito scelere
Me orna virtutibus,
Ut possim convivere
Angelis coelestibus.

19. Alma Christi passio,
Mea consolatio
Sis mortis in hora,
Ut hostis temptatio,
Falsa comminatio
Cesset sine mora.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 1, 3 stellis. — 3, 2 culpae onus. — 13, 5 Quae tota. — 15, 6 Fiant nobis. — 16, 1 rubei. — 18, 4 mirra puncti.

18. De passione Domini Oratio.

1. Salve, Jesu, salus mea,
Crucifixus a Judaea
Crucis in patibulo,
Qui livore dirae gentis
Pro me datus es tormentis
Judaeorum calculo.

2. Et hoc totum fit pro pomo,
Quod praesumpsit primus homo
Manu temeraria;
Ne periret creatura,
Tu, creator, inde dura
Pateris supplicia.

3. Pro me totus perforatus,
Pro me totus saturatus
Poenis et opprobriis;
In te latens illud aurum
Mihi fundis in thesaurum
Manibus et pedibus.

4. Vertex spina cruciatus,
Clavo manus, pedes, latus
Cuspidis aculeo;
Vulnus istud omnes sanat,
Unde nobis unda manat
Liquore sanguineo.

5. O quam felix apertura,
Quae per aevum permansura
Nobis regna aperit,
Pretiosus iste sanguis,
Per quem victus fuit anguis,
Se confusum reperit.

6. Nunc te cerno Christum Jesum,
Passum, tractum, sputum, caesum
Atque plagis lividum,
Ne punirer flammis atris,
Exspirans in manus patris
Pro me tradis spiritum.

7. De te clamat Jeremias:
O vos omnes, qui per vias
Transitis, attendite,
Si est dolor huic dolori,
Quo compellor ita mori,
Similis, adspicite.

8. Circuire possum polum,
Mare magnum atque solum,
Te neque reperio,
Nisi sola crucis ara,
In qua pati tot amara
Fecit te compassio.

9. Ibi pascis, care meus,
Ibi dormis, alme Deus,
Cubans in meridie,
Exprobratus, subsannatus,
Totus membris cruentatus
A filiis perfidiae.

10. Ibi pro me flagellaris
Ibi pro me lacrimaris
Sed felici lacrima;
Funde fontem lacrimarum,
Fac, ut per te sit amarum
Cor et tristis anima.

11. Absit mihi gloriari
Nisi cruce singulari,
Ubi vera gaudia;
Pelle morbum, da salutem,
Fuga crimen, da virtutem,
Pia crucis hostia.

12. Te salvante sim salvatus,
Te vocante sim vocatus
Dono sancti spiritus;
Tu qui donas omne donum,
Dona mihi finem bonum
Et felicem exitum.

13. Jesu dulcis, esto mecum,
Sume, precor, vota precum,
Natus alma virgine;
In hoc mundi tristi salo
Me ab omni serva malo,
Salus mea, Domine.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. A. — Orat. ms. Palatin. Vindobonen. 4106 saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. C. — 1, 5 Diu dolens in BC. — 1, 6 Moreris pro populo BC. — 3, 3 Opprobriis omnibus BC. — 3, 4 Inde latens A. — 3, 5 Mihi sanctum in thesaurum A. — 4, 1 Vectes spinas A. — 4, 2 Clavos A. — Str. 6 ist in A also erweitert:

Hic te passum cerno Jesum,
Tractum, vinctum, flagris caesum
Trucibus tortoribus;
Hic te cerno denudatum
Et in crucem sublevatum
Peccatorum manibus,
Spinis caput coronatum,
Vultum sputis maculatum
Et plenum livoribus,
Totum corpus cruentatum,
Hasta latus perforatum
Et cruoris exitum
Et te patri commendatum
Cerno, caput inclinatum
Pro me tradens spiritum.

7, 5 Qui compellit B. — 8, 2 sive solum A. — 8, 3 Nisi te reperio BC. — 8, 4 Haec est sola crucis BC. — 9, 1 Ubi pateris care BC. — 9, 3 Cubas A. — 9, 4 ff. fehlen A. — 9, 5 Totis C. — 10, 1 Sic tu pro me BC. — 10, 2 Et in cruce lacrimaris BC. — 10, 3 felices lacrimae A. — 10, 4 Tu de fonte A. — 10, 5 ut pro me sit A. — 11, 2 in cruce C. — 11, 3 gloria BC. — 12, 1 Te vocante sum vocatus A. — 12, 2 Te sanante sum sanatus A. — 12, 3 Pietatis gratia A; lies: Dona sanctum spiritum? — 14, 4 ff. stehen hinter Str. 13 A. — 12, 5 Mihi dona A. — 12, 6 Et salutem animae A. — 13, 4 In hoc tristis vitae A. — 13, 5 Me defendas hoste malo A.

19. De Passione DN.

1. Benedictus Christus Deus,
Crucifixus amor meus,
Quem suspendit vir Judaeus
In crucis patibulo;
Captus, ductus et ligatus,
Exprobratus, vulneratus,
Lanciatus, morti datus
Exstitit pro populo.

2. O Jesu, lux et dulcedo,
In quo spero, vivens credo,
Gratulanter tibi me do,
Fons beatitudinis;
Crucifixus pro me doles,
Qui dolere nunquam soles,
O miranda sacra proles
Gloriosae virginis.

3. Stans in cruce pependisti,
Pro me sanguinem fudisti,
Quem a morte redemisti
Dolens amarissime;
Pro peccatis tuae gentis
Membris undique distentis,
Totus pendes in tormentis,
O Jesu dulcissime.

4. Dona mihi cor amarum,
Quasi fontem lacrimarum,
Ut tuarum sim poenarum
Particeps et socius;
Cor pungatur prae dolore
Et sic languens in amore
Tuo zelo novo more
Sit ardens interius.

5. Tu, qui amor es amorum,
Qui fuisti vir dolorum,
Pro me plenus tormentorum
Pendens in angustia;
Me prudenter fac dolere,
Cum Maria fac me flere,
Tua tecum portem vere
Maxima supplicia.

6. Tu, qui cunctis dominaris,
Stans in cruce lacrimaris,
Contristatus cruciaris,
O fons innocentiae;
Ibi dormis, alme Deus,
Pro me passus, qui sum reus,
Justus meus Nazareus,
Cubas in meridie.

7. Possum valde procul ire,
Mare terras circuire,
Nec te possum invenire,
Jesu lux clarissima,
Ni in sola crucis ara,
In qua passus es amara,
Via, veritas praeclara
Et vita dulcissima.

8. Redemisti nos labore
Cum sanguineo sudore
Lacrimatus cum clamore
Longo cruciamine;
Tu, qui nostrum ob amorem
Suffers poenam et dolorem,
Fac audire nos clamorem,
Quo clamasti, Domine.

9. Fac cor sanguine liniri,
Cruce fac exinaniri,
Tuis plagis amiciri,
Cor ardescat funditus;
Vulneratum, perforatum,
Cruentatum, immolatum,
Inflammatum, morti datum,
Sic absorptum coelitus.

10. Praesens utinam fuissem,
Ut pendentem te vidissem,
Lamentando te flevissem
Cum sacrata virgine;
Te fuissem complexatus,
Tuas plagas osculatus,
Totus forem rubricatus
Pretioso sanguine.

11. Te flevissem flagellatum,
Dire nimis cruentatum,
Derisive coronatum,
Sed corona spinea;
Derelictum, desolatum,
Tuum caput inclinatum,
Pectus dire lanceatum
Militari lancea.

12. O me utinam Judaei
Condemnassent hujus rei,
Sociassent me sic ei
Sumpto fellis poculo;
Adspexissem sacras venas,
Coelico cruore plenas,
Et ornassem meas genas
In cruoris rivulo.

13. Sic me secum crucifixum
Suspendissent penes ipsum,
Ibi tempus per prolixum
Stantem in martyrio,
Nostras sordes abluentem,
Ut salvaret omnem gentem,
Totum sanguinem fundentem
Cordis desiderio.

14. Sanguis capitis cruenti,
Da salutem omni genti
Te devote recolenti
Cum benevolentia;
Sanguis pectoris sacrati,
Dele maculas peccati,
Fac, ut simus nos beati
In coelesti patria.

15. Sanguis manuum sacrarum,
Molem dilue culparum,
Pellas hoc, quod est amarum,
Duc nos ad coelestia;
Sanguis pedum sacratorum,
Dele morbos infirmorum,
Nos perducas ad coelorum
Regna tam sublimia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. C. Clm. Monacen. 11917. B. — Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 159. saec. 15. C. — 1, 3 suspendit mihi Judaeus B. — 2, 2 spirans vivo C; sperans vivo B. — 3, 3 quem amare redemisti BC. — 4, 4 pro dolore B. — 4, 5 languens ex dolore B. — 4, 6 more fehlt B. — 5, 2 Quae fuisti vis dolorum B. — 5, 5 Me pendere fac A. — 5, 7 Tua mecum C. — 5, 8 Mansura supplicia B. — 6, 3 Tristatus cruciaris B. — 7, 5 Nisi in sola BC. — 7, 8 O vita BC. — 8, 3 Lacrimarum cum B. — 9, 3 plagis praemuniri BC. — 9, 4 Sit accensum penitus BC. — 9, 5—8 fehlen BC. — 10, 2 Qui pendentem BC. — 10, 3 Lacrimantem te BC. — 10, 4 Cum beata virgine C; das Folgende fehlt C. — 10, 5 amplexatus B. — 10, 7 fuissem B. — 11, 6 reclinatum B. — 13, 5 sqq. lauten in B:

Lamentantem me dolentem,
Sacrum sanguinem lambentem,
Pectus, vultum linientem
Cordis desiderio.

Str. 14 und 15 und in letzterer wieder die Halbstrophen sind in B umgestellt. Nach Str. 13 schiebt es folgende Str. von zweifelhafter Zugehörigkeit ein:

Sanguis circumcisionis
Decor sit affectionis
Casti cordis et sermonis,
Grandis efficacia.
Sanguis Christi circumcisi,
Quo confisi sunt gavisi,
Ducat nos ad paradisi
Sempiterna gaudia.

14, 2 da juvamen B. — 14, 6 Sic transfixi, lanceati B. — 15, 1 sacrarum B. — 15, 6 Delens B. — 15, 7 perducat B. — Der Reim (vgl. 13, 1 ff.) bekundet einen italienischen Dichter.

20. De verbis Domini septem in cruce.

I.

Jesu, salutis hostia,
Salutis sacrificium,
Jesu, salutis gratia,
Salutis beneficium,
Jesu, tuta fiducia,
Jesu, tutum refugium.
Tu pro humano genere,
Ut captivum redimeres,
Tu pro humano foedere,
Ut exsulem reduceres,
Tu pro humano scelere,
Ut culpas nostras tolleres,
Tu pro divino munere,
Ut nos Deo conjungeres,
Non recusasti vincula,
Non flagella, non verbera,
Non latronum patibula,
Non livores, non vulnera.
Sed dum te crux susciperet,

Et hostis in te fremeret,
Dum malleis percuteret
Et clavis carnem scinderet,
Dum sensum dolor angeret,
Et sacer sanguis flueret,
Dum passio te premeret,
Angustiaque cresceret,
Patrem rogasti precibus,
Ut tamquam ignorantibus
Tuis ignoscat hostibus
Ac te crucifigentibus,
Dicens: Pater, ignosce illis,
quia nesciunt, quod faciunt.

O mitis patientia,
O mansueta mititas,
O immensa clementia,
O immensa benignitas,
Qui ut ovis mitissima
Non promis quaerimoniam,
Qui ut mater carissima
Jam excusas injuriam,
Ut anima dulcissima
Tenes benevolentiam,
Ut voluntas piissima
Praebes misericordiam.
Ad te vadit spes animae,
Ad te currunt lacrimae
Et pulsant desideria
Confidenter dicentia:
Ignosce nobis, Domine.

II.

Jesu, largitor veniae,
Jesu, solamen tristium,
Jesu, laus poenitentiae,
Jesu, spes poenitentium,
Dum penderes innoxius
Horum in poena socius,
Dum te unus argueret
Et stulte reprehenderet
Et blasphemando diceret:
Si tu es Dei filius,
Salva temet ipsum et nos,
Esto tibi propitius
Sicut salvasti alios;
Dum alter hunc corriperet
Et hunc stultum ostenderet,
Dum se malum contenderet
Et te justum adsereret,
Dum ad te se converteret
Et supplex tibi diceret:
Memento mei, Domine,
Dum ad tuum perveneris,
Regnum plenum dulcedine,
Dum te regem ostenderis;
Tu amans poenitentiam,
Corda trahens per gratiam,
Non solum hanc memoriam
Concessisti sed gloriam,
Dicens: Amen dico tibi,
hodie mecum eris in paradiso.

O prompta Dei caritas,
Prompta misericordia,
O prompta liberalitas,
Prompta munificentia,
Ad te currit devotio,
Ad te redit memoria,
Coram te fit confessio,
Tibi patent praecordia;
Adeo cum fiducia
Tibi precamur, Domine,
Qui es sine malitia,
Solus es sine crimine,
In tua patientia
Memento nostri, Domine.

III.

Jesu, lux et rex gloriae,
Fili Dei et hominis,
Jesu, flos pudicitiae,
Fili Mariae virginis,
Dum haec virgo sanctissima,
Tota plena doloribus,
Genitrix amantissima
Tot confecta moeroribus,
Tua mater carissima
Tot percussa fletibus,
Nutrix diligentissima
Tot fracta singultibus,
Juxta crucem adsisteret
Et te pendentem cerneret,
Dum tormenta conspiceret

Et prae luctu deficeret,
Tu videns matrem flebilem,
Pressam amaritudine,
Matrem tam venerabilem,
Dignam beatitudine,
Videns quoque discipulum,
Amatum et amabilem,
Fidelem Dei famulum,
Johannem, vita nobilem,
Alloquens ambo dulciter
Piae vocis oraculo
Commendasti benigniter
Matrem, Christe, discipulo,
Dicens matri: Mulier, ecce
filius tuus; deinde discipulo:
ecce mater tua.

O qualis permutatio,
O quanta inaequalitas,
O qualis desolatio,
O quae matris acerbitas,
Dum custos matri traditur
Pro magistro discipulus,
Dum per matrem suscipitur
Pro Deo vir pauperculus,
Dum matri Christi mittitur
Pro rege simplex famulus.
Sic tuae, Jesu, gratiae
Me commendo humiliter
Tuaeque providentiae
Me committo perenniter,
Ut exorante virgine
Pro nobis stet suppliciter,
A peccatorum turbine
Simus securi jugiter.

IV.

Jesu, patris ingeniti
Virtus et sapientia,
Jesu cujusque conditi
Tenor et consistentia,
Tu virtute mirabili
Panes multiplicaveras,
Tu virtute consimili
Stellam infans reduxeras,
Defunctos suscitaveras,
Opera mira feceras,
Morbos omnes sanaveras,
Totum orbem formaveras,
Tu virtute terribili
Daemonia ejeceras,
Tu virtute consimili
Hostes tuos prostraveras,
Sed adfixus patibulo
Patri factus obediens,
Jussu patris in vinculo
Vinctus manens et patiens,
Qui vult, quod hanc angustiam
Ut infirmus sustineas,
Nec dictam potentiam
Te liberans exerceas;
Quapropter tuo sensui
Condolens naturaliter
Clamorem confers planctui,
Dicens lamentabiliter:
Eli, Eli lama sabactani;
hoc est, Deus, Deus meus,
ut quid dercliquisti me.

O lamentum mirabile,
Salutem agens hominum,
O innocens cor humile,
Poenas deplorans criminum,
Ad te fert me compassio,
Pro me te pati sentio,
Ante te me projicio
Tecumque luctum facio;
Nam iste luctus utilis
Est mihi pro solatio,
Qui mihi praemiabilis
Sit in aeterno gaudio.

V.

Jesu dulcis memoria,
Sitibunda dilectio,
Jesu, dulcis fiducia,
Laetabunda refectio,
Dum extensus exsisteres
Super aram patibuli,
Dum immolatus ageres
Redemptionem populi,
Dum te nudum adspiceret
Mundus instar spectaculi,
Dum lamentum ostenderet

Super te vultus saeculi,
Dum hostes de te luderent,
Et noti tui fugerent,
Dum clavi membra tenderent
Et nexu se contraherent,
Dum vulnera tumescerent
Et humores defluerent,
Dum carnes contremiscerent,
Et virtutes arescerent;
Sitim sumpsisti fervidam,
Sitim amore languidam,
Sitim virtutum cupidam,
Nostrae salutis avidam,
Benigne dicens: *Sitio*
Salutemque desidero,
Pro quo me pati offero.

O sitis saluberrima,
Exoptans amicitias,
O sitis cordis intima,
Frangens concupiscentias,
Praesta, ut ad te sitiam
Et ista siti ardeam,
Pravam sitim effugiam,
Donec ad fontem transeam
Potumquae vitae hauriam,
Quo felix semper maneam
Et Deum meum videam
Sanctam ingressus patriam.

VI.

Jesu, nostra redemptio,
Jesu, redemptor omnium,
Jesu, nostra dilectio,
Jesu, salus credentium,
Dum per crucis mysterium
Diligenter perageres
Redemptoris officium,
Ut hominem redimeres
Sustinendo supplicium,
Ut inde nos eriperes,
Consummans sacrificium
Tuae carnis et sanguinis,
Consummans pacis proelium
Salutaris certaminis,
Consummans transitorium
Cursum hujus imaginis,
Consummans opificium
Redemptionis hominis;
Dum mortis horam cerneres,
Dum hac vita deficeres,
Dum finem jam contingeres,
Dum omnia perficeres,
Ut in summa concluderes;
Dixisti: *Consummatum est,*
Nam Jesus crucifixus est,
Et agnus immolatus est,
Sanguis ejus effusus est,
Et pretium solutum est,
Diabolus devictus est,
Et bellum consummatum est,
Chirographum deletum est,
Et homo jam redemptus est.

O bonitas, bone Jesu,
Qui es nostra justitia,
O veritas, vere Jesu,
Qui es nostra scientia,
O caritas, care Jesu,
Qui es nostra redemptio,
O sanctitas, sancte Jesu,
Nostra sanctificatio,
Consumma nobis gratiam
Et consumma justitiam,
Consumma conscientiam
Et consumma laetitiam.

VII.

Jesu, via verissima,
Jesu, salutis ostium,
Jesu, porta tutissima,
Jesu, protector omnium,
Jesu, salubris veritas
Et lux mentem illuminans,
Jesu vitae felicitas,
Dulcor in corde jubilans,
Dum in extremis ageres,
Ut animam deponeres
Et ad limbum descenderes,
Volens viam ostendere,
Per quam debemus pergere,
Volens cunctos instruere,
Qui facti sunt de pulvere,
Volens illum ostendere,

Qui potest nos defendere,
In quo debent confidere,
Qui mortem debent capere,
Tuum sacratum spiritum
Tuo patri sanctissimo
Commendasti per gemitum
Sermone devotissimo,
Dicens: *Pater, in manus tuas*
commendo spiritum meum.
Et inclinato capite
Fixus in crucis stipite,
Acriter cruentato te
Turpiter et indebite,
Tu emisisti spiritum,
Et orbis talem fremitum,
Quod quisque per circuitum
Tuum percepit obitum,
Ut cuncta fletum facerent,
Et elementa tremerent,
Et saxa se disrumperent,
Et sepulchra se panderent,
Ut terrae motus fieret,
Velum templi se scinderet,
Ut luna retrocederet,
Solque contenebresceret,
Ut mundus ingemisceret,
Et natura flens diceret:
Ego lugens deficio,
Vel Deo inest passio.
O mors, mors lacrimabilis,
Super quam plorant omnia,
O mors, mors lamentabilis,
Super quam flent innoxia,
O mors, mors admirabilis,
Qua suscitantur mortui,
O mors, mors amicabilis,
Qua exaltantur strenui,
O mors sacra, mors nobilis,
Per quam delentur scelera,
O mors pia, mors utilis,
Per quam donantur praemia,
Praesta ut haec memoria
Nos teneat continue
Et stimulet praecordia
Corque pungat assidue,
Ut menti lumen influat
Et in agendis instruat,
Ut nos a culpis exuat
Et vitae donum tribuat.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Gandaven. 212 (37). B. — III, 4 te fehlt A. — III, 33 O fehlt A. — IV, 43 praemialis A.

21. De Plagis Domini.

1. Ave, Jesu, nobis natus,
Palma dextra penetratus
In cruce pro populo,
Nos ad dextram Dei patris
Perduc prece tuae matris
Ex carnis ergastulo.

2. Ave, cujus manus laeva
Sauciatur plaga saeva
A Judaeis impiis;
Te tuente dirigamur,
Ne ad laevam dilabamur
Malis vitae meritis.

3. Ave, cujus candidatum
Latus fuit lanceatum,
Ideo cum sanguine
Nos tam care comparatos
Cordis culpa cruentatos
Cura, vena veniae.

4. Ave, purgans tunc peccata,
Quando fuit perforata
Planta pedis dexteri;
Rege gressus tui gregis
Et renatis novae legis
Claude portas inferi.

5. Ave, cujus pes sinister
Ferro fossus est, minister
Mortis morte vincitur;
Christus moriens in cruce,
Duc nos, ubi vera luce
Vultus tui cernitur.

Orat. ms. Anglican. saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. — 3, 3 Id cum sanguine Hs.

22. De Plagis Domini.

1. Ave, nate Dei vivi,
De quo quinque fluunt rivi
Pretiosi sanguinis
Pro salute hominis.

2. Ave, caput salvatoris,
Gestans sertum, proh, doloris,
Per quod dire terebratum
Exstat cerebrum beatum.

3. Ave, vulnus dextrae manus,
Per quod nostrae culpae hamus
Est disruptus, quem in pomo
Primus deglulivit homo.

4. Ave, vulnus manus levae,
Per quod scholam lucis aevae
Nobis, Christe, ostendisti,
Dum te figi permisisti.

5. Ave, vulnus cordiale,
Per quod ens primordiale
Vitae nostrae tersit luctum
Et salutis auxit fructum.

6. Ave, vulnus dextri pedis,
Qui nos ad supernae sedis
Viam ducis consolatos
Vera fide solidatos.

7. Ave, vulnus pedis laevi,
Per quod hostes prius saevi
Ruunt, aemulantur rei
Per te donum sanctae spei.

8. Ave corpus Christi laesum
Et pro nobis virgis caesum,
Pallens in tormento mortis,
Salva nos, amator fortis.

9. Ave, sanguis generose,
Qui fluxisti copiose,
Riga, lava et emunda
Corda nostra tam immunda.

10. Per haec, Christe, benedicta
Vulnera tibi inflicta,
Dulcis Jesu, te rogamus,
Fac ut tecum gaudeamus
In futuro saeculo.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15 an zwei Stellen fol. 240a (A) und fol. 222a (B). — 2, 4 Exstat tuum cerebrum AB. — 4, 4 figi cruci permisisti A. — Str. 5 nach 6 und 7 B. — 6, 3 consolatas AB. — 6, 4 solidatas AB. — 7, 3 emugulantes A, aemulantes B. — Vgl. No. 17, 1—10.

23. De Christo crucifixo.

Adspice, mortalis, fuit unquam passio talis?
Adspice, qui transis, quia tu mihi causa doloris.
Spretus et illusus sto pro te sanguine fusus,
Sic, homo, diligo te, quod pendo victima pro te.
Respice, mortalis, pro te datur hostia talis,
Peccatum sperne, pro quo mea vulnera cerne.
Pro te passus ita, pro me discrimina vita.
En morior pro te, vide, homo, quid agas pro me;
Ut vivas morior, non est dilectio major.
Plange Deum, qui plangit eum, quem morte redemit,
Si male fecisti, tunc respice vulnera Christi,
Flecte genu, plora, crucifixum semper adora.

Cod. Altovadensis 31. saec. 15; mit der Angabe: „Ista metra sequentia debent scribi sub crucifixo Dom. N. J. Ch.“

24. De sancta Cruce.

1. Salve, mundi spes praeclara,
Salus in certamine,
Arbor vitae non ignara
Salutari germine,
Scala coeli, crucis ara,
Agni rubens sanguine.

2. Decus bonis, poena malis,
Sanctae crucis gloria,
Mortis victrix, arx vitalis,
Vitiorum scoria
Rubor palmae immortalis
Ejus fert memoria.

3. Crux haec mortem interemit,
Vitae portas aperit,
Captum hominem redemit,
Vires hostis conterit,
Cohors infernalis gemit,
Cum crux Christum exerit.

4. Ipsum autem crucis lignum
Vetus scribit litera,
Quod amplecti duxit dignum
Deus regens aethera,
Hoſtem conterens malignum
Mundi tulit scelera.

5. Adam ligno morti datur,
Ipsum crux vivificat,
Hanc Isaac, dum immolatur,
Ligna portans indicat,
Noe justus, ne mergatur,
Arcam ligno fabricat.

6. Thau pro signo stat erectum
Cum serpente pendulo,
Aqua lignum per injectum
Dulcis fit in poculo,
Sitis abstulit defectum
Petra tacta baculo.

7. Moysesque rubrum mare
Ligno fecit pervium,
Ligno fecit ferrum nare
Helisaei studium,
Virga legis salutare
Crucis fit praesagium.

8. Sanctae crucis his figuris
Eminet religio,
Quas excerpsit de scripturis
Fidei opinio,
Quibus lucet corde puris
Crucis figuratio.

9. Erat impiis horroris
Olim crux supplicium,
Nunc vexillum est honoris
Et salutis praemium,
Tuta quies et dulcoris
Intimi praesidium.

10. Hoc altare dedicatur
Agni Dei victima,
Dum in ipso trucidatur
Per tormenta maxima,
Foris caro perforatur,
Intus dolet anima.

11. Adsunt spongia, fel, sputa,
Cum aceto spinea
Ac flagella, sors, vox muta,
Alba cum purpurea,
Canna, facies polluta,
Funes, clavi, lancea.

12. Haec sunt arma caritatis
Vitae propugnacula,
Quibus Deus nostra gratis
Diluit piacula,
His cor nostrum cogitatis
Cuncta fert abscondita.

13. His vexillum salutare
Tinctum characteribus
Fert tutamen singulare
Spiritu pauperibus,
Qui sub ejus militare
Cupiunt lateribus.

14. O crux, vitae medicina,
Spes salutis unica,
Parum pondera reclina
Ad aegrotos coelica,
Peccatorum de sentina
Levans nos salvifica.

15. Sola digna tu fuisti
Ferre mundi pretium,
Consecraris membris Christi,
Coeli sanctuarium,
Mortem nobis abstulisti
Reddens vitae gaudium.

16. Christe Jesu, fili Dei,
Regum rex altissime,
Condemnate more rei,
Pendens poenalissime,
Precor, miserere mei
Tergens labes animae.

17. Intus mentem, corpus foris
Crucis cum signaculo
Muni, Deus, cunctis horis,
Ne peccati vinculo
Stringat me fraus temptatoris
Palam vel in clanculo.

18. Tuo tecum genitori
Et amborum flamini
Laudes angelorum chori
Dent et orbis termini,
Magnus aeque cum minori
Tuo canant nomini.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 9, 6 Inimici praesidium.

25. De Cruce Oratio.

Salve, crux sancta, qua dantur munera tanta,
Fac tua me velle, quae sunt mihi noxia pelle,
Da mihi virtutem, veniam pacemque, salutem,
Spes mihi viventi, protectio sis morienti.
Crux bona, crux alma, crux inclita sis mihi palma,
Qua mala compescam, moriens in pace quiescam.
Fac tibi me digne famulari, Christe benigne,
Perdere regna poli tu me permittere noli;
Te duce sis mecum, Jesu, me suscipe tecum,
In te confisum me ducas ad paradisum.

Cod. Lambacen. 463 saec. 15.

26. De sancta Cruce.

Crux mihi sit risus, crux gloria, crux paradisus,
Crux mihi dulcorem tribuat dulcemque saporem,
Crux mihi lux orta, crux vitae sit mihi porta.
Crux bona, crux alma, crux inclita sit mihi palma,
Crux mihi semper, Amen, sit virtus atque juvamen.

Cod. Lambacen. 476. saec. 15.

27. De Armis Christi.

1. Culter, virga cum flagello,
Forceps, clavi cum martello,
Manus, pedes, latera
Scindit, tangit sic corona
Caput; o quot nobis dona
Dant haec tua vulnera.

2. Portat corpus crux beata,
Fel, acetum propinata
Christo sunt in spongia;
Scala crucem sanctam tangit;
Est plangendus, qui non plangit
De horum memoria.

3. Nam de agno quae sunt gesta,
Pandunt, quid fiat de testa,
Quae nil habet viride,
Sed ad corpus sic plagatum,
Pro te armis exaratum,
Clama, testa, valide:

4. O tu Jesu, fili Dei,
Miserere, precor, mei
Per haec tua vulnera,
Miserere sicut pater,
Ut redemtor utque frater
Me salvare propera.

5. O praeclara armatura,
Per quam Jesus Christus dura
Pertulit in corpore,
Fuga nostros inimicos,
Fac nos justos et amicos,
Nunc in omni tempore.

6. Fac nos sic te speculari
Et devote venerari
Corde, ore, opere,
Ut a Christo sublimari
Et electis sociari
Mereamur propere.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15. A. — Orat. ms. Palat. Vindobonen. 4106 saec. 15. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445. C. — A bemerkt: Innocentius papa hanc orationem composuit; B: Et praedictus papa Innocentius IV sequentem orationem composuit et omnibus eam devote dicentibus tres annos indulgentiae concessit. — 1, 3 Manus, pedes, dorsum, latera A. — 1, 4 Scindunt, tangunt B. — 1, 6 Dantur per haec tua B. — 3, 1 Nam in agone quae B; Nam magna quae C. — 3, 5 exaratum fehlt A.

28. De corona spinea.

Fructificans mira res candens, rubraque nigra,
Nobilis est spina Christi per tempora fixa,
Alba carens labe caro delictum fugit Adae.
Passio dat florem rubrum, mors nigra dolorem.
Spinea, confortes nos Christi sanguine, torques,
Virtutis zona nos spinae cinge corona,
Ne tortus serpens nos figat vulnera mergens,
Lotaque sint caena, Jesu tu fac diadema.

Clm. Monacen. (ol. Caesareensis) 7943. saec. 13.

29. De Sepulchro Christi.

1. O sepulchrum Jesu Christi,
Tu thesaurum conclusisti,
Petra, petram quae vestisti,
Coeli, terrae Dominum.
Spes perennis vitae jacet,
Mundo spreto Deo placet,
Nube tonat, morte tacet
Mortem mordens hominum.

2. In te clausus orbem regit,
Mortuus regna subegit
Et inferna claustra fregit
Christus rex victoriae.
Verbum Dei carni junctum
In te contines ad punctum,
Christum suscipit defunctum,
Largitorem gloriae.

3. Ex contactu consecraris
Christi carnis, tu rigaris
Sacro sanguine, bearis
Tantis privilegiis.
Vere tumba tu praeclara,
Sacer locus, felix ara,
Mira pandis, facis rara,
Hymnis digna regiis.

4. Mortuum quem suscepisti,
Christum vivum reddidisti
Sanctum neque corrumpisti
Vermis, tabis vitio;
Tu es cruci comparata,
Caro poenis immolata
Cruce, tecum tumulata
Pio fit officio.

5. Ex te surgit immortalis
Jesus, victor triumphalis,
Patri consubstantialis,
Par omnipotentia;
Qui dum surgit, manes clausum,
Ut pravorum fraenet ausum,
Morte qui fecerunt plausum
Summa cum clementia.

6. O sepulchrum venerandum,
Propter Christum adorandum,
Te aperias ad dandum
Jesum plenum gratia;
Ut cum fuero sepultus,
Morte Christi sim suffultus,
Me splendore tui vultus,
Pie Jesu, satia.

Cod. Oxonien. Canon. Miscell. 528. saec. 15.

30. In Festo Paschatis.

1. Dones agni portionem
Rite, pater, edere,
Veram tingat rationem
Sanguis Paschae foedere,
Ne mentalem stationem
Possit hostis laedere.

2. Salve, caro majestatis,
Alta, sancta, humilis,
O quam plena veritatis,
Pulchra, mira, nobilis,
Tradita heu profanis,
Angelis mirabilis.

3. Salveto medicamentum,
Quam plenum effectibus,
Expurges inquinamentum
Carnis cum defectibus,
Esto mihi excrementum
Cunctis in profectibus.

4. Eja, sanguis generose,
Mirus, venerabilis,
Fluens plagis copiose
Nimis, peramabilis,
Mustum mentis amorosae,
Typis praeconabilis.

5. O sanguis redemptionis,
Venditos redimito,
Sanguis expiationis,
Turpatum eluito,
Sanguis consummationis
In sancta traducito.

6. Salve, anima, dilecta
Deo et hominibus,
Clara, placens et afflicta,
Praelata numinibus,
O te laudo, benedicta,
Coelicis luminibus.

7. Salve, spiritus divine,
Plenus sapientia,
Te jam canunt matutinae
Stellae fartum gratia,
Benedictum sine fine,
Traditum pro hostia.

8. O vos exta devoranda
Agni sine macula,
Vos virtutum per miranda
Grandia spectacula,
O salvete, adoranda
Divina signacula.

9. O vos gratiae salvete
Communes cum singulis,
Dona, fructus resalvete
Laudibus pertinnulis,
Me jam gratiis replete
Canentem in jubilis.

10. Salvete humunitatis
O pedes pacifici,
Pedes pleni caritatis,
Perfecti, deifici,
Exemplares deitatis,
Bajuli vivifici.

11. Salve, agnus nate, passe,
Sepulte moeroribus,
Surgis, scandis, agnus asse
Spiritus amoribus,
O complecto pedes hosce
Gratium clangoribus.

12. Salve, adeps et pinguedo
Agni mansuetissimi,
Tua satiet dulcedo
Cor servi nequissimi,
Tibi laudis pensa dedo
Cordis contritissimi.

13. Eja, fructus condonato
Vitae tuae optimae,
Passionis cumulato
Frugem, rex clarissime,
E quo fructus sacrae dato
Eucharis gratissimae.

14. Salve, caput adorandum,
Jesu mira deitas
Ferculumque celebrandum,
Satians aeternitas,
Epulum concelebrandum
Angelis, divinitas.

15. Salve, naturans natura
Prima et essentia,
Liber vitae, ars, lux pura,
Patris sapientiae,
Hac semper alimentura
Fruar in praesentia.

16. Eja, cives Olymporum,
Numina hierarchica,
Mille milia hymnorum
Camoena dogmatica
Ferte pani angelorum
Pro hac esca polica.

17. Tibi, Christe, sit cum patre
Hagioque spiritu
Hymnus, melos, laus perennis,
Gratiarum actio,
Honor, virtus, victoria
Regnum aeternaliter.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 3, 5 excrementa im Sinne von incrementa. — 12, 3 faciet. — 15, 5 Hanc semper alitura.

31. De Resurrectione DN.

1. Christus vincit,
Christus surgit,
Christus vivit,
Christus regnat,
Christus mandat,
Christus salvat.
Christus manet,
Christus claret,
Christus docet,
Christus vadit,
Christus redit,
Christus scandit.

2. Vincit virtus,
Cadit victus
Inimicus,
Surgit clauso
De sepulchro
Functus homo.
Vivit vita,
Morte sumpta,
Morte victa,
Regnat victor,
Imperator,
Campi ductor.

3. Mandat credi,
Victor belli,
Vita functi,
Salvat gentes
Confitentes
Et credentes.
Manet salus
Et triumphus
Christo datus,
Claret, qui lux
Est et clarus
Dies Christus.

4. Docet quaeri
Et adiri
Regnum Dei,
Vadit agnus
Mansuetus
Immolandus,
Redit leo
Ab inferno
Fortis praedo,
Scandens modo
Praeens mundo
Deus homo.

5. Plorant sanctae
Super morte
Mulieres,
Et pastores
Tristes moesti
Sunt concussi.
Tremit terra
Stupefacta,
Strident petrae,
Patent tumbae,
Coelum pallet,
Templum luget.

6. Sed mirandus
Paranymphus
Clare dixit,
Quod surrexit
Crucifixus
Nazarenus.
Jesus dulcis,
Victor orbis,
Locum monstrat
Et confortat
Corda flentum
Mulierum.

7. Haec dum cernunt
Jesum vivum
Nuper functum,
Prae stupore,
Prae amore,
Prae dulcore
Lacrimantur,
Gratulantur,
Osculantur
Ejus vivos
Perforatos
Pedes sanctos.

8. Simon currit,
Jesum cernit,
Jam non gemit,
Gaudent fratres,
Gaudent omnes,
Plaudit chorus
Universus
Angelorum
Et sanctorum,
Coeli cuncta,
Rident astra,
Canunt corda.

Cod. Carnoten. 341. saec. 14.

32. De Corpore Christi.

1. O panis vivifice,
Donum singulare,
Des tua deifice
Nomina tractare;
Nempe tua nomina
Consecrata semina
Large fruge turgent,
Haec rorem charismatum,
Haec fluenta dogmatum
Sacro typo praebent.

2. Salve, eucharistia,
Fons deliciarum,
Nomine, re, gratia,
Dulcor animarum;
Salveto piissimis
Amicis dulcissimis
A Jesu collata,
Dones sacra satie,
Fruar tua facie,
Anima beata.

3. O donum magnificum,
Fluens largitate,
Salve hilarificum,
Ardens caritate;
Salve nobilissimum,
Sufficientissimum,
Utile damnatis,
Danti confortissimum
Te laudo gratissimum
Vere datum gratis.

4. Salve, cibus regius
Nobilis natorum,
Suavis et egregius
Omnium saporum;
O esca lautissima,
Manhu, prudentissima
Pista trinitatis,
Opple languidissimam
Per affectum animam
Cibo pietatis.

5. O potus dulcissime,
Laticis fluentum,
Salve sapidissime
Languentis fomentum;
Salve, jucundissimum
Vinum meracissimum,
Ebries bibentes,
Germinato virgines
Atque mentis cardines
Fac mero calentes.

6. Salveto, communio
Omnium bonorum,
Hominum tu unio
Atque angelorum,
Praestes influentiam,
Praestes accrescentiam
Capitis in membra,
Tuis passionibus
His communionibus
Dedicas commembra.

7. Salve, sacrificium
In cruce litatum
Mirum sacrificium,
Figuris signatum,
Te laudo dignissimum,
Deo acceptissimum,
Sanctum juramentum,
Salve pontificium
Christi sacrificium
Patris spiramentum.

8. Salve, admirabile
Jesu sacramentum,
Insigne, amabile
Tu medicamentum,
Tu commemoratio
Atque exaltatio
Christi passionis,
Te laudo, signatio,
Supernae gustatio
Jam fruitionis.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 1, 6 femina. 3, 10 Undatum gratis.

33. De s. Eucharistia.

1. Chorus novae Hierusalem, plaude
Ac mirare, quae sit haec hostia,
Quam praevidit offerens in laude
Melchisedech sacerdos in via;
Dum Abrahae occurrit mystice,
Figuratur Christus, qui creditur
Panis vivus ac fixus in cruce,
Qui resurgens ultra non moritur.

2. Christus nobis panis proponitur,
Qui assumptus mentem vivificat,
Et in panem lignum transmittitur,
Lignum crucis dum hunc mortificat;

Sed plus vivit, dum mori cernitur,
Morti cedens mortem damnificat
Et beatam vitam assequitur,
Qua resurgens ultra non moritur.

3. Quod moritur, peccato moritur,
Qui peccatum nullum commiserat,
Et peccatum gratis remittitur
Reis, sua quos morte liberat;
Sicque servus liber efficitur,
Huncque donis beatis munerat,
Dum huic vitam perennem largitur,
Ad quam surgens ultra non moritur.

4. Si, Domine, jam si sic vivitur,
Atque vita spiritus redditur,
Quis valeat peccato vivere?
Excutere, miser, a pulvere,
Elevare in haec magnalia,
Qui hic pendet ob tua vitia,
Recordare, quae pro te patitur;
Sed resurgit nec ultra moritur.

5. Precamur te nunc, o Jesu bone,
Fac nos ita tecum resurgere,
Ut nec vitae peccati miserae
Serviamus quavis ratione,
Sed certantes in vitae agone
Passionis solare munere
Et fac ex hac tua passione
Nos fortiter adversa vincere.

Brev. Bituricense imp. Venetiis 1481; als Anhang post sanctorale. — 5, 1 Praeter te nunc.

34. Oratio ad Elevationem.

1. Benedicta hostia,
Benedic nos semper,
O Christi praesentia,
Salva nos clementer
Patrisque auxilia
Tribue potenter
Et ad tua gaudia
Perduc nos laetanter.

2. Benedicti calicis
Sacramenta patent,
Undis nos deificis
Hic peccantes mundent
Ac piis praesidiis
Mundum omnem salvent
In fineque temporis
Coelo nos praesentent.

Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15.

35. De Corpore Christi.

Hic caput inclina, latet hic animae medicina,
Est Deus hic tantus, natus de virgine quantus,
Languentum medicus et vere animae cibus,
Salutis hic portus et verum Domini corpus,

Natus Dei patris et filius virginis matris,
Sacrum alimentum nobilissimumque sacramentum.
Obsecra devote, hic est enim hostia vitae,
Tu qui pertransis, regem venerare salutis.

Cod. Palat. Vindobonen. 4781. saec. 15.

36. De Corpore Christi.

Ave, caro Christi, quae pro me passa fuisti,
Meque reum munda, moriar ne morte secunda.
O panis vive, praesta mihi gaudia vitae.
Sanguis ave Dei, spes atque redemptio mundi,
Per te mundetur mens, sensus purificetur,
Morbos averte, pestes pelle, crimina dele.

Cod. ms. Ducumburgen. 78. saec. 15.

37. De Corpore Christi.

1. Ave, sancta caro Christi,
Quae me pie redemisti;
Ave, dulcis caro Jesu,
Salva me a mortis esu.

2. Ave, verum corpus Dei,
Miserere quaeso mei,
Dulcis caro et suavis
Animae meae summa vis.

3. In meam veni animam,
Ut, quam dulcis sis, sentiam,
Intra gaudens in cor meum,
Ut te laudem verum Deum.

4. Peccata mea deleas
Et me totum possideas,
Purga mea facinora
Et extrema mortis hora,

Me perducas ad gloriam,
Ut te semper videam.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

38. De Corpore Christi.

1. Ave, viva caro Christi,
Quae in panem te sanxisti,
Nobis cibum te dedisti,
Salva nos, quos sic pavisti.

2. Eja, manna angelorum,
Vitae esca mundanorum,
Pasce nos fomento morum,
Labe pulsa vitiorum.

3. O tu verbum incarnatum,
Ex Maria matre natum
Et pro nobis immolatum,
Nostrum rege vitae statum.

4. Ave, sanguis vere Christi,
Qui de ipso effluxisti
Et a culpis nos lavisti,
Serva nos a nece tristi.

5. Eja, coeli ros et unda,
Corda nostra sitibunda
Aqua vitae fac fecunda
Et ab omni sorde munda.

6. O fons summae pietatis,
Sitienti praebe gratis
Potum tuae caritatis,
Qui conjungat nos beatis.

7. Ave, Jesu flagellate,
Spinis, hasta vulnerate,
Crucifixe, morti date,
Sic salvati sumus a te.

8. Ad inferna descendisti
Et nos inde redemisti,
Jube nos nunc, quos juvisti,
In aeterna vita sisti.

9. Praesta, Christe, qui in cruce
Morte nos salvisti truce,
Ut vivamus hic te duce
Et fruamur coeli luce.

Miss. ms. saec. 15. Cod. Olomucen. I I 6; unter Gebeten vor der Messe zu verrichten.

39. De Sanguine Christi.

1. Ave, sacer Christi sanguis,
Contra virus diri anguis
Fusus in antidotum;
Hic me sana te bibentem,
Post excusa facientem
De talento computum.

2. Ave, sanguis vere potus,
Cujus haustu grex devotus
Debriatus sobrie;
In adversis hilarescit,
Ictus referire nescit
Immemor injuriae.

3. Ave, sanguis, fons dulcoris,
De fossato salvatoris
Horto mentis influens,
Cujus penetrans profunda,
Ejus potans sitibunda,
Ejus foeda diluens.

4. Ave, liquor blandae vitis,
Aestum amorosae sitis
Dulciter refrigerans,
Qua gravatur mens pudica,
Sponsi soror et amica,
Ad coronam properans.

5. Ave, sanguis, qui per venas
Sponsi ductus sponsae genas
Ornans facis roseas,
Quando pavida pudore
Candet, rutilat amore,
Voces edit melleas.

6. Ave, sanguis uvae passae,
Quam potantes mentes lassae
Confortantur plurimum;
Quid hoc mirum, cum sis vinum
Cyprinum et Engaddinum,
Mustum meracissimum.

7. Ave, calix salutaris,
Qui carissimis servaris,
Ut potantes ebrii
Fiant Christi caritate,
Ponderosi castitate,
Parcitate sobrii.

8. Ave, sanguis agni mitis
Quo mens lota Sunamitis
Fit de nigra candida,
Velut Hesther adornatur,
Plus quam Rachel adamatur
Culpis ante sordida.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 8, 2 lota fehlt.

40. Oratio sub Elevatione dicenda.

1. En, Christe, genu flectimus,
En tibi palmas pandimus,
Constanter in te credimus,
Quem dubitavit Didimus.

2. Clavi locum non vidimus,
Latus tuum non sensimus,
In te tamen confidimus,
Quod promisisti, petimus.

3. Jesu, Judas quem prodidit,
Judaea gens quem perdidit,
Quem sputa, clavi, lancea
Risusque, vasa fellea,

4. Quem spina pungens, alapae,
Vach clamitantes satrapae
Affecerunt et verbera,
Arundo, mors, crux aspera.

5. Per, Jesu, quinque vulnera,
Quae tua tulit tenera
Caro, carne nos misera
Duc exsules ad supera.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15.

41. In Elevatione Sacramenti.

1. Ave, caro juncta verbo
vera unitate,
Ave, grande sacramentum,
plenum pietate,
In Maria fabricatum
plena puritate,
Esto nobis praegustatum
cum felicitate.

2. Ave, mundi pretium,
sanguis redemptoris,
Ave salus gentium,
vita salvatoris,
Ave spes fidelium
fons coelestis roris,
Sis, Jesu, praesidium,
nobis cunctis horis.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20132. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. B. — Zwischen 2, 6 und ff. schiebt B noch ein: Crucis per supplicium sparsus mundo foris.

42. In Elevatione Corporis Christi.

1. O meritum passionis,
Summae miserationis,
Culpam delens et reatum,
O passionis meritum.

2. O passionis meritum,
Umbram praebens contra aestum
Divinalis ultionis,
O meritum passionis.

Handschriftlicher Eintrag post Miss. Suessionense imp. 1516, Exemplar der Stadtbibliothek von Tournay.

43. Ad Elevationem Corporis Christi.

1. Ave, corpus incarnatum,
In altari consecratum,
Panis vivus angelorum,
Salus spes Christianorum.

2. Ave, corpus Jesu Christi,
Qui de coelo descendisti,
Tuos servos redemisti,
Dum in cruce pependisti.

3. Sancta caro nos emunda,
Sanguinis benigni unda,
Lava nos ab omni sorde
Et ab infernali morte.

4. Per tuam divinam pacem
Praesta nobis sanitatem
Et per tuam bonitatem
Nobis da prosperitatem.

5. Tu qui es portus salutis,
Nos libera, Deus fortis,
A leone rugiente
Et a dracone furente,
Da nobis fidem sanctorum
Per saecula saeculorum.

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2693 saec. 14.

44. Ad Elevationem Corporis.

Salve, corpus dominicum,
Salve, nostrum refugium,
Salve, salvator omnium.
O Jesu, rex piissime,
O dulcis et mitissime,
Esto mihi propitius.
Qui es Mariae filius,
Ex qua carne te credimus
Et in pane te novimus,
Tu es nostrum refugium
Et in morte solatium.
Gloria tibi, Domine,
Qui es in panis specie,
Venisti nos resurgere
Tuo redemtos sanguine.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

45. Ad Elevationem Corporis.

Salve, Jesu, rex gloriae,
Qui te sub panis specie
Nobis ostendis hodie:
Tu nos reforma gratiae.
Jesu, sacro sanguine,
Quem fudisti pro homine;
Redemptos a caligine
Illustra tuo lumine.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

46. Ad Elevationem Sanguinis.

I.

Ave, sanguis Jesu Christi,
Pro me reo qui fluxisti
  Fusus in patibulo,
Ut te, quaeso, possim frui
Ante mortem meam tui
  Et salvari poculo.

II.

O sanguis Christi, qui fusus amore fuisti
Humani generis, nobis precor auxilieris,
Dele peccata, da nobis regna beata.

Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14.

47. In Elevatione s. Sanguinis.

Christi sanguis, ave, tibi corpus flectitur omne,
O sanguis vive, mihi confer gaudia vitae,
Morbos averte, pestes preme, crimina dele,
Haec des et jubeas, qui solus cuncta gubernas.
O qui fluxisti late de corpore Christi
Ac homini tristi pretium lavacrumque fuisti,
Me vitiis munda, sanctissime sanguis et unda,
Ad loca jucunda me duc de valle profunda.

Orat. ms. Augustin. saec. 15/16. Cod. Maguntin. II 344.

48. Ad Spiritum Sanctum.

1. Genitorem filio
Copulans connexio
Utriusque unio,
Veni, sancte spiritus,
Qui illustras superos,
Qui subjectas inferos,
Qui suscitas miseros,
Adesto divinitus.

2. Magister ecclesiae,
Inspirator gratiae,
Fons et lumen veniae,
Nostros riga hortulos;
Eruditor cordium,
Solator humilium,
Director fidelium,
Tuos salva populos.

3. Qui prophetis aderas,
Quorum et lux fueras,
Qui secreta reseras,
Adesto, paraclite;
Veri clavis unica,
Per quem clarent mystica,
Nostae tibi dedica
Mores et actus vitae.

4. Vera pax et caritas,
Per te sit prosperitas,
Per te pacis firmitas
Constet in ecclesia;
Concorda schismaticos,
Corrige haereticos,
Salvans rege clericos,
Tyrannos humilia.

5. Sacerdotes instrue,
Exsiccatos complue,
Sordidatos ablue,
Virtus indeficiens;
Regum violentia,
Consulum potentia,
Judicum prudentia
Tibi sit obediens.

6. Orphanis et viduis
Charisma, quo affluis,
Solamen, quod tribuis,
Da, benigne Domine;
Exsuli et advenae
Exsilium fac lene,
Vinctorum cessent poenae
Tuo sancto nomine.

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

II.

DE BEATA.

49. De Nominibus et Titulis BMV.

1. Ave, vena veniae,
   Torrens voluptatis,
Oleum laetitiae,
   Rivus largitatis,
Aqua sapientiae,
   Cista deitatis,
Me de peccatis
   munda tu fons pietatis.

2. Botrus abundantiae,
   Vitis bonitatis,
Propago prudentiae,
   Palmes honestatis,
Tu racemus gratiae,
   Uva puritatis,
Virgo grata nimis,
   me coeli junge beatis.

3. Cedrus excellentiae,
   Hysopus amoris,
Tu misericordiae
   Mater et honoris,
Palma patientiae,
   Balsamus odoris,
Melle tui roris
   me pascas omnibus horis.

4. Diadema gloriae,
   Lilium candoris,
Myrrha poenitentiae,
   Thalamus pudoris,
Semita justitiae,
   Clibanus ardoris,
Me conjunge choris
   paradisi valde decoris.

5. Electrum praefulgidum,
   Splendor firmamenti,
Vetus ebur viridum,
   Liber documenti,
Liquor sanans languidum,
   Arca testamenti,
Parce mihi flenti
   misero peccata luenti.

6. Fomes fovens frigidum,
   Dulcedo pigmenti,
Solum semper solidum
   Castrum tutamenti,
Unda lavans sordidum
   Adepsque frumenti,
Tu sustamenti
   mihi panem frange petenti.

7. Granum sine palea,
   Gemma virtuosa,
Tu vita coccinea,
   Tu vita jocosa,
Engaddi tu vinea,
   Tu luna formosa,
Crimina probrosa
   mea dilue, lux radiosa.

8. Humus tu virginea,
   Tamen fructuosa,
Tu fiscella scirpea,
   Virgo gloriosa,
Tu turris eburnea,
   Porta speciosa,
Vincula nodosa,
   mea solve, salus pretiosa.

9. Juge sacrificium,
   Satisfactionis
Propitiatorium,
   Thus devotionis,
Saltus aedificium,
   Vas electionis,
Me conjunge bonis
   sanctis coelique colonis.

10. Karitatis scrinium,
Claustrum unionis,
Amoris incendium,
Rubus visionis,
Celsum David solium,
Vellus Gedeonis,
Virtus Samsonis,
mihi da pacem Salomonis.

11. Legis consummatio
Viaque justorum,
Orbis exsultatio,
Gloria sanctorum,
Israel redemptio,
Mater orphanorum,
Me profectorum
fac luce frui monachorum.

12. Martyrum compassio,
Comes confessorum,
Virginum devotio,
Lux apostolorum,
Te collaudat concio
Tota beatorum,
Ad vitam quorum
me perduc, spes miserorum.

13. Nardus recens, humilis,
Gutta delicata,
Virga Jesse nobilis,
Fructu fecundata,
Scala Jacob stabilis,
Sursum elevata,
Mens mea purgata
per te sit, virgo beata.

14. Ortus delectabilis,
Arca deaurata,
Terra Jesse utilis,
Flore decorata,
Virgo venerabilis,
Stirpe David nata,
Per te vita data
mihi sit paxque reparata.

15. Peccatorum venia,
Annus jubilaei,
Hierusalem filia,
Templum veri Dei,
Fidei constantia,
Refugium rei,
Tu miserere mei,
mater mirae speciei.

16. Quid in parsimonia
Sperant pharisaei,
Quare phylacteria
Dilatant Esaei,
Inflati scientia
Sunt ut Saducaei,
Unde memento mei,
tu vera dies requiei.

17. Radix aromatica,
Tu dulcis resina,
Piscina probatica
Templique cortina,
Sanitatis physica,
Vitae medicina,
Serves regina,
me a morte repentina.

18. Salve, laus prophetica,
Stella matutina,
Cantus, prosa, musica,
Rosa sine spina,
De te sua cantica
Cantat lex divina,
A me declina
mortem vitamque propina.

19. Tu castrum tutissimum,
Quod bene vallatur,
Domus, aula, civitas,
Quae bene fundatur,
Tu virtus, tu caritas,
Quae non minoratur,
Quae concedatur
mihi per te nec moveatur.

20. Via vitae, veritas,
Quae non deviatur,
Castitatis puritas,
Quae non violatur,
Aeterna felicitas,
Quae justis optatur,
Haec concedatur
mihi et nunquam renuatur.

21. Xristi mater crederis,
Virgo valitura,
Virgo vere diceris,
Contra carnis jura
Nam parens efficeris
Pariendo pura,
Solve tua cura,
quibus artor, vitia dura.

22. Yris nostri foederis,
Jaspidis figura,
Piaculum sceleris,
Nubes non obscura,
Tuos nunquam deseris,
Alma creatura,
Ad bona ventura
trahe me, felix genitura.

23. Ziph florens, stirps regia,
Viscera commota,
Nostra tympanistria,
Ruth oleo fota,
Tu cella vinaria,
Tu Judith devota,
Per te sit lota
mea mens bene sorde remota.

24. Et super haec omnia
Tu sophia tota,
Inter duo media
Cherubim es rota,
Perfecta scientia
Tu bene promota,
Mater Dei, Maria,
mihi da tibi reddere vota.

25. Consolatrix optima,
Tu meum solamen,
Virgo prudentissima,
Fer mihi juvamen,
Ut mea sic anima
Sentiat juvamen,
Quod post certamen
mihi pacem det Deus. Amen.

26. Alma virgo virginum,
Mater illibata,
Vera salus hominum,
Felix advocata,
Est per te lux luminum
Nobis ministrata,
Mater es et nata,
pia virgo consecrata.

27. Audi, decus numinum,
Metra copulata
Rhythmis in dictaminum
Tibi consecrata,
In ploratu criminum
Meorum dictata,
Ad te delata
et bene sint tibi grata.

Cod. Parisiens. 3639 saec. $^{15}/_{16}$. — 6, 7 Tu fehlt. — 8, 8 Mea semper salus. — 17, 8 Me regina serves a morte serpentina. — 20, 7 Haec condonetur.

50. De Nominibus BMV.

Ave, sancta Dei genitrix, o virgo Maria,
Botrus Cypri, flagrans balsamus, alma Maria.
Cypressus Sion, Libani cedrus alta, Maria,
Dogma salutis, lux bonitatis, clara Maria.
Exemplar morum, virtutum norma, Maria,
Fons signatus, favus stillans, divina Maria.
Gloria mundi, gemma poli, regina Maria,
Hospita regis, principis aula, beata Maria.
Ignea flamma, rubus non ustus, mira Maria,
Kathedra doctrinae, via recta, colenda Maria.
Lucida nubes, fulgida luna, decora Maria,
Mitis ovis, formosa columba, benigna Maria.

Nardus odorans, fumus thuris, aroma Maria,
Ortus conclusus, flos campi, pulchra Maria.
Porta domus clausa, coelestis scala, Maria,
Quercus Basan, turris David firma, Maria.
Regia proles, sponsa Dei speciosa, Maria,
Stella maris, solis aurora serena, Maria.
Templum pacis, mannatis arca repleta, Maria,
Virga virens, vellus Gedeonis, casta Maria,
Xristotocos digna, te dulcis, quaeso, Maria,
Ymnus sit gratus tibi, quem pro laude, Maria,
Zelo depromo; misero miserere, Maria.
Ave, salve, vale, spes mea, virgo Maria.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19819 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurin. saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — Cod. Palat. Vindobonen 3572 saec. 15. C. — Den Verfasser nennt A fol. 315: Carmen de beata Maria virgine Johannis Schliffer, nicht Schlitpacher, wie der Handschriftenkatalog liest.

51. De Nominibus BMV.

Flos virginum, mors criminum,
Miserorum spes unica,
Maria lux, Maria dux
Et stella non erratica,
Maria mons, Maria fons,
Maria, mater publica,
Maria flos, Maria dos,
Maritans imis coelica,
Maria pax, Maria fax,
Illuminans umbratica.
Maria, virgo coelica,
Orta stirpe Davidica
Et ubique magnifica,
Miserorum causidica.
Tu cella aromatica
Et piscina probatica,
Tu gratiarum hospita,
Tu pietate praedita.
Exaudiens Basilium,
Restituens Mercurium,
Julianum percutiens
Et Ildefonsum vestiens;
Tu virtus indeficiens,
Famelicos reficiens,
Tu pietatis pariens,
Impeditos expediens,
Imperitos erudiens.
Tu Deo nos confoederans,
Mortis pactum defoederans,
Auctorem vitae generans,
Adversa mundi temperans,
Oppressos pie liberans,
Aestuantes refrigerans.
Tu in plateis platanus,
Tu non incisus Libanus,
Tu serenitas animae,
Tu lucis splendor intimae.
Maria, aegros medicans
Et dolentes laetificans,
Hortus vitae fructificans,
Apis Dei mellificans.
Maria, casa Helios,
Theotocos, Christotocos,
Multos salvans Theophilos,
Aethyopes, allophylos.
Maria, stantes dirigens,
Maria, lapsos erigens,
Maria, regens prospera,
Maria, planans aspera.
Maria, Heliopolis,
Miserorum metropolis,
Maria, dux itineris,
Decus humani generis.
Salvatrix Adae veteris,
Splendor et decor aetheris,
Arrha et arca foederis,

Maria, lux in tenebris,
Regina coeli celebris,
Maria, templum Domini,
Per quam salus est homini,
Maria, felix jugiter,
Deum portans feliciter
Et dulcem lactans dulciter.
Maria, mater inclita,
Maria, vitae semita,
Maria, coeli janua,
Salutis spes praecipua
Et genitrix ingenua
Atque virgo perpetua.
Maria, dulcis domina,
Maria, delens crimina,
Maria, nubes lucida,
Maria, virgo gravida,
Maria, partu florida,
Maria, stella splendida
Et porta lucis fulgida.
Maria, Jesse virgula,
Maria, pacis fibula,
Aeterni regis clausula,
Innocentiae regula
Et humilium specula
Naufragorumque tabula
Et piorum praeambula.
Maria, salutifera,
Stella maris lucigera
Et genitrix deifera
Et sublimis puerpera,
Virga Jesse florigera
Olivaque fructifera
Et nardus odorifera.
Maria, vita spiritus
Et criminum interitus,
Maria, vitae reditus,
Maria, mortis exitus
Et paradisi aditus,
Maria, caelebs coelitus,
Maria, pia penitus
Et templum sancti spiritus.
Maria, pacis titulus
Et bonitatis cumulus
Salomonisque lectulus,
Pius caecorum oculus
Et infirmorum baculus.
Maria, dulcis moribus,
Maria, fraglans floribus,
Superabundans fructibus
Et virtutum odoribus.
Terribilis daemonibus
Suavisque hominibus,
Desiderata gentibus,
Decorata virtutibus,
Honoranda ab omnibus,
Laudanda a mortalibus,
Requies a laboribus.
Maria, sors victoriae,
Maria, sinus gloriae,
Maria, flos munditiae,
Maria, lux laetitiae,
Maria, parens patriae,
Maria, carens carie,
Maria, portus gratiae,
Maria, porta gloriae.
Pulchritudo justitiae,
Angelorum deliciae,
Mater misericordiae,
Via et vena veniae.
Fundamentum ecclesiae
Sedesque sapientiae
Formaque sanctimoniae
Et aula pudicitiae.
Genitrix innocentiae
Et doctrix parsimoniae
Olivaque clementiae
Et myrtus temperantiae
Rosaque patientiae,
Propulsatrix miseriae
Et decus castimoniae
Hostisque immunditiae
Et via indulgentiae.
Maria, viae requies
Et radians meridies,
Delectabilis species
Et beata progenies,
Immortalis effigies,
Gratiarum congeries
Atque virtutum series.
Maria, terra fertilis
Atque crater tornatilis,
Murus inexpugnabilis
Et columna immobilis,

Angelis admirabilis,
Hominibus amabilis,
Fortis, insuperabilis,
Dulcis, decora, nobilis,
Corde et ore humilis,
Vultu desiderabilis,
Specie delectabilis
Et amore affabilis.
Maria, mater luminis,
Maria, sedes numinis,
Maria, fons dulcedinis,
Mater, Dei et hominis.
Felix et expers criminis
Templumque pulchritudinis
Et norma rectitudinis,
Vita beatitudinis
Et turris fortitudinis
Coronaque certaminis.
Maria, caput gaudii,
Maria, finis vitii,
Plenitudo solatii,
Magni mater consilii,
Flos violae, flos lilii,
Acervus testimonii
Et lapis adjutorii
Civitasque refugii
Portaque sanctuarii.
Maria, salus populi
Et reparatrix saeculi,
Spei nostrae soliditas,
Gaudium et tranquillitas,
Affluens liberalitas
Et salutis securitas.
Fugitivorum civitas
Et reorum felicitas,
Sanorum incolumitas,
Quietorum serenitas,
Paradisi jucunditas
Et piorum suavitas,
Speciosa fecunditas
Et beata virginitas.
Maria, plena gaudio,
Superborum depressio,
Bonorum sublimatio,
Diaboli dejectio
Et hominis erectio,
Prophetarum promissio,
Justorum exspectatio,
Sanctorum exsultatio,
Inferorum destructio,
Vitiorum exstinctio
Et morum informatio,
Vinctorum absolutio,
Pauperum consolatio,
Inopum sustentatio,
Lapsorum relevatio,
Delictorum deletio,
Virtutum consummatio
Et bonorum perfectio,
Exsulum revocatio,
Reorum liberatio,
Hostium interitio,
Tuorumque tuitio,
Peccatorum remissio,
Captivorum redemptio,
Sanitatis collatio
Et languoris curvatio,
Salutis acquisitio
Et vitae restitutio,
Erroris abdicatio,
Mundi propitiatio,
Gratiae exhibitio
Et mortis abolitio,
Divinitatis mansio
Et pietatis statio,
Humilium protectio,
Munimen et defensio,
Orbis illuminatio
Et deitatis sessio,
Vitae recuperatio
Et Dei habitatio,
Saeculi reparatio
Et larga miseratio,
Dei confoederatio.
Maria, orbe latior,
Maria, coelo mundior,
Maria, cunctis melior,
Maria, cunctis mitior,
Maria, melle dulcior
Et floribus fraglantior.
Maria, rosis gratior
Et liliis candidior,
Unguentisque suavior
Et gemmis rutilantior,

Lunaque luminosior
Et cunctis sanctis sanctior,
Cunctisque gratiosior
Et cunctis mirabilior,
Cunctisque excellentior
Et cunctis speciosior.
Maria, schola dogmatum,
Maria, lausque pneumatum,
Areola aromatum,
Apotheca charismatum.
Maria, mundi speculum,
Castitatis signaculum,
Virtutum receptaculum,
Redemptionis ferculum
Et gratiae vehiculum
Et lucis habitaculum,
Salutis propugnaculum
Et Dei tabernaculum,
Salomonis cubiculum
Et aureum thuribulum,
Pietatis oraculum
Et veniae vestibulum,
Firma civitas exsulum,
Dilectionis vehiculum
Et sanctitatis pabulum.
Maria, mundi lilium,
Gloria triumphantium,
Victoria pugnantium,
Infirmorum remedium
Et reorum refugium.
Maria, flos convallium,
Dei gazophylacium,
Vitae reconditorium,
Tenebrarum excidium
Et lucis infusorium,
Pietatis remigium,
Dei reclinatorium,
Deitatis cinctorium,
Spiritus sancti scrinium.
Maria, regis solium,
Miserorum solatium,
Salvatrix pereuntium,
Portus periclitantium
Et sidus navigantium.
Maria, salus gentium,
Laetitia fidelium
Et mundi patrocinium,
Jucunda laus coelestium
Et tutela terrestrium.
Maria, lux laetantium,
Virtus et vita cordium,
Summi regis hospitium,
Consolatrix moerentium
Et amatrix humilium.
Maria, spes debilium,
Erectio credentium
Virtusque laborantium,
Gratiae stillicidium
Et morum magisterium.
Maria, refrigerium
Et propitiatorium,
Deitatis aerarium
Et Domini sacrarium.
Maria, dux fidelium,
Terror et luctus hostium,
Laetitia credentium,
Sospitas aegrotantium
Et portus fluctuantium.
Maria, vitae pretium
Et Dei domicilium,
Salutis privilegium,
Virginitatis lilium
Et honor continentium.
Maria, spes moerentium,
Salvatrix morientium,
Revocatrix errantium,
Libertatis praesidium
Et vitale subsidium.
Maria, coeli gaudium,
Potestatis fastigium,
Exactoris exitium,
Praedonis praecipitium,
Babylonis excidium
Et mortis exterminium.
Maria, salus omnium,
Dei itinerarium,
Lucis elucidarium,
Deitatis solstitium,
Beata spes mortalium
Et pacis consistorium.
Maria, virgo virginum,
Maria, lactans Dominum,
Maria, solis regia,
Mulierum laetitia,

Stella maris eximia,
Stella stationaria,
Et miserorum gloria.
Maria, virgo regia,
Insignis et egregia
Deique sedes propria,
Virginum primiceria
Et vitae thesauraria.
Maria, plena gratia,
Plena misericordia
Et omnis boni copia,
Veritatis custodia
Et salutis materia.
Maria, fugans vitia,
Iras, luctus et odia,
Vitae reducens gaudia
Et quaeque pellens tristia
Et abundans in gratia
Sublimisque in gloria.
Maria, nati filia,
Genitrix et nutricia
Cellaque pigmentaria;
Tu copia profectuum,
Resarcitrix defectuum,
Ordinatrix affectuum,
Pietatis irriguum.
Te venerantur omnia,
Coelestia, terrestria,
Tu virtutum fraglantia,
Rosas vincens et lilia,
Tu nostra spes et gloria,
Tu virtus et victoria,
Tu clemens et propitia,
Deo nos reconcilia.
Ipsi tibique gloria,
Laus, honor, reverentia
In saeculorum saecula.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

52. Salutationes BMV.

1. Salve, mater salvatoris,
Nati nata genitoris,
Genitrix ingenua;
Cui semper et ubique
Devoti fideles quique
Digne flectunt genua.

2. Salve, cui scripturarum
Nec non et creaturarum
Series deserviunt,
Dum hinc digne praedicando,
Hinc decenter figurando
Laudes tuas pariunt.

3. Salve, coelum spiritale,
Summum atque speciale
Summi regis solium;
Coelum cum terra creatum,
Sed a terra sublimatum
Summum ad fastigium.

4. Salve, vera casa solis,
Veri Dei verae prolis,
Aula Dei regia;
Stellis virtutum celata,
In qua digne sunt celata
Secreta coelestia.

5. Salve, lucis lux aurora,
Lux excellens, lux decora,
Tenebrarum nescia;
Digne dies appellata,
Quia solis illustrata
Speciali gratia.

6. Salve, coeli firmamentum,
Terrarum operimentum,
Praepotens protectio
Es tu tamen terrenorum,
Quae duum testamentorum
Facta es in medio.

7. Salve, terra laude digna,
Herbas virentes et ligna
Producens fructifera;
Rore quidem sacri flatus
Sacros reddens cogitatus
Et virtutum opera.

8. Salve, gemma firmamenti,
Firmamenti jam recenti
Ad ornatum insita;
Magnum luminare poli,
Minus tamen, quia soli
Claritate subdita.

9. Salve, semper lucens luna,
Cujus eadem et una
Jam manet integritas,
Qua gentilis illustratur
Nox erroris, et mundatur
Peccantum impuritas.

10. Salve, terra, flos terrarum,
Nam virtutem aliarum
Excedis et speciem;
De qua conscendit fons vitae
Universam rigans rite
Terrae superficiem.

11. Salve, sacrum terrae lutum,
In qua deitatis sputum,
Rigans, quod aruerat,
Hominem de te formavit,
Qui humanum reformavit
Plasma, quod perierat.

12. Salve, Dei paradise,
Aeternaliter provise
Nostrum ad subsidium,
Quae dum Christum genuisti,
Lignum vitae protulisti
Producens in medium.

13. Salve, loce voluptatis,
Quae verae satietatis
Emisisti filium,
Dum arentes irrigantem,
Sitientes satiantem
Genuisti filium.

14. Salve, mulier beata,
Quae constanter animata
Ope sancti spiritus
Caput serpentis antiqui,
Versipellis et iniqui,
Constrivisti funditus.

15. Salve, mater salvandorum,
Per quam digne defunctorum
Vita digne redditur;
Recte per Evam signata,
Recte nam interpretata
Eva vita dicitur.

16. Salve, nostri vas salutis,
Arca vere, vas virtutis,
Vas coelestis gratiae;
Vas ad unguem levigatum,
Vas decenter fabricatum
Manu sapientiae.

17. Salve, cujus pietatis
Sinus patens cum mundatis
Et immundos colligit;
Hos, ne mari submergantur,
Illos, ut eripiantur,
Sicque nullum abigit.

18. Salve, princeps generosa,
Stirpe satis gloriosa,
Illustris prosapia,
Recte per Saram signata,
Cujus partu sunt collata
Mundo vitae gaudia.

19. Salve, nata Bathuelis
Et felici Gabrielis
Salutata famine,
Isaac nunc desponsaris,
Cui digne copularis
Sacro plena flamine.

20. Salve, vera Jacob scala,
Per quam conscendentes mala
Mundi vitant devia,
Dum effectu te sequentes
Vel per te proficientes
Tendunt ad coelestia.

21. Salve, scala, qua ascendunt
Contemplantes et descendunt,
Dum eis humanitas
Christi per te reseratur,
Et eisdem declaratur
Humanata deitas.

22. Salve, fidelis fiscella,
In cujus felici cella
Pharaonis filia
Legis suscepit latorem,
Hoc est suum redemptorem
Gentium ecclesia.

23. Salve, rubo figurata,
Sacri flatus fecundata,
Non usta succendio,
Quam illaesam conservavit,
Quam nec ulla violavit
Carnis aestuatio.

24. Salve, coelum nube carens,
Panis coeli sacra parens
Vitae stillicidium,
Fluens, quando protulisti
Verum manna, corpus Christi,
Ad esum fidelium.

25. Salve, coelo mons vicine,
Quem vel nunquam vel non sine
Poena tangit bestia,
In quo legem caritatis
Et totius bonitatis
Diva dedit gratia.

26. Salve, felicis figmenti
Arca novi testamenti,
Arca novi foederis,
Per quam servus herae datur
Et factori foederatur
Pace data posteris.

27. Salve, virga, quam direxit
Fides recta, spes erexit,
Inflammavit caritas;
Flore vernans, fructu grata,
Cujus Christum illibata
Protulit integritas.

28. Salve, sponsa verbi Dei,
Quam Jahel, Haber Cinaei
Conjux, signat congrue,
Nam dum anguem constrivisti,
Sisaram interemisti
Superatum strenue.

29. Salve, Gedeonis vellus,
Quo madente sicca tellus
Florem vitae recipit;
Flos est Christus, tellus arens
Mens amore Christi carens,
Sed hunc per te percipit.

30. Salve, vera Sunamitis,
Virgo super omnes mitis,
Pulchra prae virginibus,
Quae in membris frigescentem
Christum reddis calescentem
Tuis in amplexibus.

31. Salve, templum Salomonis,
Domus exauditionis,
Regis regum regia,
Fide firmiter fundata,
Spe conscendes, consummata
Caritatis copia.

32. Salve, sacer thronus Christi,
Quae sola digna fuisti
Sessorem suscipere,
Candens ebur castitatis,
Micans auro caritatis,
Miro vernans opere.

33. Salve, Sion sublimata,
Hierusalem urbs beata,
Verae pacis civitas;
Sion, de qua lex exivit,
Urbs, de qua verbi prodivit
Calciata deitas.

34. Salve, sacra parens Christi,
Quem dum virgo peperisti,
Juxta vaticinium
Factus est nobiscum Deus,
Quem dum repellit Judaeus,
Fit propinquus gentium.

35. Salve, virens virga Jesse,
Quam frequenter et expresse
Signant vaticinia;
De qua florum flos exivit,
Quem decenter redimivit
Septiformis gratia.

36. Salve, petra firmitatis
In deserto vanitatis
Constans et immobilis,
De qua missus est salvator,
Coeli, terrae dominator,
Sed ut agnus humilis.

37. Salve, terra Deo grata,
Quae de supernis rorata
Deitatis pluvia
Germinasti salvatorem,
Nova terra novum florem
Renovantem omnia.

38. Salve, nubes claritatis,
Exsors nostrae gravitatis,
Lenis et lucifera,
Quam scandens Christus intravit
Mundum, in quo condemnavit
Tenebrarum opera.

39. Salve, virtute sublimis
Abies myrteque nimis
Temperans et humilis,
Quae pro prima peccatrice
Conscendisti de radice
Stirpis non ignobilis.

40. Salve, mater novitatis,
Renovatrix vetustatis
Nil vetustum sapiens,
Quae virum circumdedisti,
Christum alvo dum gessisti,
Virgo virum nesciens.

41. Salve, porta principalis,
Aditus orientalis,
Porta soli pervia
Principi, per quam intravit
Templum, quod et illustravit
Pietatis gratia.

42. Salve, mons, de quo praecisus
Lapis, per quem est elisus,
Quem signat iconia;
In immensum montem crevit
Et totam terram replevit
Majestatis gloria.

43. Salve, decor virginalis,
Virgo vere pars australis
Et mons fructu fertilis,
De quo venit ad nos Deus,
Factus sed ut homo reus
Forma servi similis.

44. Salve, mulier formosa,
Cui Judith sat famosa
Alludit victoria,
Per quam Satan suffocatur,
Et gens tua liberatur
De mortis angustia.

45. Salve, cujus castitatis
Sinu comprehendi gratis
Voluit rhinoceros,
Cujus unica majestas,
Cujus discreta potestas
Spoliavit inferos.

46. Salve, summam quae sophiam,
Patri Thobiae Thobiam
Genuisti filium,
Anna recte nominata,
Quae sic donis es ditata
Gratiarum omnium.

47. Salve, sol serenitate
Nitens, fervens caritate,
In quo tabernaculum
Suum Christus collocavit,
Quando suum visitavit
Pugnaturus populum.

48. Salve, conclavis amoena,
Quia sacro flatu plena,
Quam salvator subiit
Et hinc sibi desponsata
Carne jam deificata
Tanquam sponsus prodiit.

49. Salve, coelum, coelibatum
Semper servans, praeparatum
Dei habitaculum,
De quo clementer respexit
Et factus prope respexit
Universum populum.

50. Salve, regina coelorum
Dextrae regis angelorum
Adsistens in gloria
In vestitu deaurato
Virtutumque variato
Plena confluentia.

51. Salve, summi regis nata,
Aure cujus inclinata
Per obedientiam
Te cupivit ad decorem
Rex, oblitam mundi florem
Et gentis stultitiam.

52. Salve, virgo, cujus vultum
Dignum tibi dantes cultum
Deprecantur divites,
Vere siquidem ditantur
Nec de plebe reputantur
Tuae laudis milites.

53. Salve, sponsa gloriosa,
Foris et intus formosa,
Cujus omnis gloria
Ab internae puritatis,
Cordis et humilitatis
Procedebat gratia.

54. Salve virgo, quam sequuntur
Et ad regem adducuntur
Continentes animae,
Dum hic per devotionem,
Illic per conjunctionem
Fiunt tibi proximae.

55. Salve, civitas jucunda,
In quam sacri flatus unda
Confluens ad cumulum
Digne te laetificavit
Et dignum sanctificavit
Christo habitaculum.

56. Salve, templum sanctum Dei,
In quo consequuntur rei
Peccatorum veniam,
Quo salutem susceperunt,
Quam prophetae promiserunt,
Et misericordiam.

57. Salve, terra visitata
Affatimque debriata
Sacri flatus gratia,
Quam in te multiplicavit
Quaque te laetificavit
Nati diligentia.

58. Salve, terra benedicta,
Per quam diu derelicta
Populi captivitas
Captivatur, visitatur,
Atque plebis relaxatur
Perstringens iniquitas.

59. Salve, terra, quam rigavit
Et hinc ad nos derivavit
Se misericordia
Orta de te veritate,
Sicque sunt coosculatae
Pax atque justitia.

60. Salve, terra, quae dedisti
Fructum vitae, corpus Christi,
Cujus te benignitas
Data prius praeparavit,
Et sic in te declinavit
Incarnanda deitas.

61. Salve, civitas famosa,
De qua digne gloriosa
Dicta sunt praeconia;
Sed quaecunque praedicantur
De te, tuis superantur
Meritis et gloria.

62. Salve, domus fabrefacta
Atque decenter compacta
Manu sapientiae,
Sibi quam aedificavit
Et columnis roboravit
Septiformis gratiae.

63. Salve, fortis et fidelis
Mulier, cujus de caelis
Pretiosum pretium
Sacri flatus primum empta
Donis ac demum redempta
Proprium per filium.

64. Salve, pulchra et pudica
Sponsi mater et amica
Fide, forma, facie,
Digna partu, digna thoro,
Digna sponso tam decoro,
Qui sol est justitiae.

65. Salve, sancta, flos sanctarum,
Sponsa, regina sponsarum,
Inter omnes unica,
Unde digne famulantur
Tuae laudi, quam effantur
Canticorum cantica.

66. Salve, sponsa sponso grata,
Ore cujus osculata
Primis gaudes osculis,
Per quem tibi, per quem cunctis
Parietibus conjunctis
Pax est data populis.

67. Salve, digna nutrix Christi,
Dulcibus quem nutrivisti
Et lautis uberibus,
Quae palato piae mentis
Cunctis plus delectamentis
Sapiunt carnalibus.

68. Salve, cujus nomen sanctum
Est unguentum aegrotantum,
Spes et invocatio,
Quos et tuae sanctitatis
A sanctis dilecta satis
Perfundit opinio.

69. Salve, quam is post se traxit,
Qui se de te praeextraxit,
Cujus in odoribus
Unguentorum cucurristi,
Uncta quibus exstitisti
Tuis prae consortibus.

70. Salve, quam prius in tua
Cella susceptus rex sua
Duxit in cellaria,
Ut illius secretorum
Ad laetitiam tuorum
Jure fias conscia.

71. Salve, quam nimirum recti
Tuis meritis illecti
Amant unanimiter,
Qui tuorum meritorum
Uberumque geminorum
Memores sunt jugiter.

72. Salve, nigra sed formosa,
Nigra sed invidiosa,
Nigra derogantibus,
Non in te naturae regem,
Sed tantum naturae legem
Prave perpendentibus.

73. Salve, tota pulchra bonis
Sicut pelles Salomonis
Carnis mortificio,
Vera Jerosolimita,
Quia carnis expedita
Prorsus a dominio.

74. Salve, quam decoloravit,
Dulcem natum quae damnavit,
Fervens persecutio;
Sed nec talem te miratur,
Cui matris intimatur
Amantis affectio.

75. Salve, quam tunc impugnarunt,
Prole dulci dum orbarunt,
Tuae matris filii,
Et velatum cor habentes
Adhuc perstant persequentes
Veritatis inscii.

76. Salve, fida plurimarum
Custos facta vinearum,
Dum, linquens nequitiam
Synagogae, singularum
Ad curam ecclesiarum
Transis et custodiam.

77. Salve, quondam Pharaonis,
Hoc est antiqui draconis
Infestata curribus,
Quos recte triumpho Christi
Similata submersisti
Aquis spiritalibus.

78. Salve, cujus nardus grata,
Hoc est virtus hac signata,
Odorem exhibuit,
Dum summi in sinu patris
Et in tuo dignae matris
Alvo rex accubuit.

79. Salve, cui myrrha fuit
Dilectus, cum nostra luit
Ut scelestus scelera,
Myrrha mortem tolerando,
Myrrha semper conservando
Morans inter ubera.

80. Salve, digne comparata
Flori florum, summo lata
Lilio convallium,
Inter filias formosa
Velut inter flores rosa,
Inter spinas lilium.

81. Salve, plena caritate,
Quam pia benignitate,
Pia diligentia
Tunc in te rex ordinavit,
Cum inductam collocavit
In cella vinaria.

82. Salve, floribus fulciri
Atque circumamiciri
Malis pie gestiens,
Motu quidem caritatis
Nostrae motus puritatis
Et fructus esuriens.

83. Salve, cujus sponso grata
Facies et vox optata,
Dulcis ejus auribus,
Ergo faciem ostende
Et ei preces impende
Tuis pro supplicibus.

84. Salve, gracilis et recta
Virgaque per spem erecta,
Odora virtutibus,
Desertum deseruisti,
Per quod summis ascendisti
Gratiarum gradibus.

85. Salve, pulchra velut luna,
Ut sol inter omnes una,
Praeelecta singulis,
Dum ut aurora procedens
Jubar tenebris succedens
Praebuisti saeculis.

86. Salve, dilectum enixa,
Super quem demum innixa
Ac plena deliciis
De deserto conscendisti
Dilectoque consedisti
Coeli fruens gaudiis.

87. Salve, mater Salomonis,
Quem in desponsationis
Ejus et laetitiae
Die digne coronasti
Duplicique decorasti
Corona victoriae.

88. Salve, lecte Salomonis,
Quem dignae defensionis
Causa fortes ambiunt,
Orthodoxi nunc doctores,
Quondam angeli tutores
Nuncque tibi serviunt.

89. Salve, proles prophetarum,
Regum et patriarcharum,
Salomonis ferculum,
In quo digne se gestandum,
Per quod pie sustentandum
Suum duxit populum.

90. Salve, turris vere fortis,
Supra metas nostrae sortis,
Velut mors dilectio;
A mundo te separavit,
Quam nulla debilitavit,
Torrens persecutio.

91. Salve, novi testamenti
Fons ejusque complementi
Condigna materia,
Mater quidem novi regis,
In quo nobis novae legis
Nova luxit gratia.

92. Salve, quam, ut praedicebat
Atque crebro praecinebat
Cantio prophetica,
Sic gignendum pio patri
Praedixit piaeque matri
Pia vox angelica.

93. Salve, virgo desponsata,
Alteri sed conservata,
Quem coelestis nuntius
Sponsum tibi nuntiavit,
Et mox thalamum intravit
Idem Dei filius.

94. Salve, fons humilitatis,
Quae, licet felicitatis
Tuae tibi conscia,
Ancillam te nominasti,
Quam summa non ignorasti
Sublimatam gratia.

95. Salve, coelorum sessorem
Terrarumque possessorem
Pariens in stabulo,
Ac praesepe jumentorum
Cibo ditans angelorum
Atque vitae pabulo.

96. Salve, legis observatrix,
Quae legales ut peccatrix
Non habens piacula,
Hostias Deo dedisti,
In templo cum obtulisti
Agnum sine macula.

97. Salve, salvans salvatorem,
Dum Herodis ob errorem
Persequentis filium,
In Aegyptum transfugisti,
Vere pro amore Christi
Subiens exsilium

98. Salve, digna Dei nutrix,
Custos, vigil et adjutrix
Digne tibi subditi,
Usque tempus praefinitum
Nostrum decreto sancitum
Persolvendi debiti.

99. Salve, matrum gloriosa,
Quam in cruce pretiosa
Dum penderet filius,
Juxta verbum Simeonis
Acerbae compassionis
Pertransivit gladius.

100. Salve, regina coelorum,
Quae post mortis et dolorum
Hausta scandens pocula
Sponso regi complantaris,
Cum quo regnans collaetaris
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181. — „Expliciunt salutationes dominae nostrae numero centum secundum sententias specialius, competentiusque lucidius alludentes, ex utriusque testamenti serie diligenter excerptae." — 2, 4 huic. — 2, 5 huic. 28, 2 Aber cynei. — 46, 5 est ditata. — 48, 4 huic. — 57, 5 multiplicavit. — 64, 1 Salve pudica pudica.

53. Salutationes BMV.

1. Ave, vera orbis hera,
Ave, virgo virginum,
Salve, mera puerpera,
Salve, salus hominum.

2. Ave, nata jam beata,
Ave, felix jugiter,
Salve, grata advocata,
Salve, dulcis, dulciter.

3. Ave, tutum vas virtutum,
Ave, dives gratia,
Salve, scutum contra lutum,
Salve, secans vitia.

4. Ave, laeta mortis meta,
Ave, finis vitii,
Salve, feta Deo freta,
Salve, caput gaudii.

5. Ave, flentis risus mentis,
Ave, mundi gaudium,
Salve, gentis spes egentis,
Salve, salus omnium.

6. Ave, viae dux regiae,
Ave situs siderum,
Salve, pie omni die,
Salve, memor pauperum.

7. Ave, forum miserorum,
Ave, dulcis domina,
Salve, florum ver novorum,
Salve, felix femina.

8. Ave, verum decus rerum,
Ave, plena lumine,
Salve, merum lac uberum,
Salve, lac de virgine.

9. Ave, nato grata grato,
Ave, caelebs coelitus,
Salve, dato laeta lato,
Salve, salva penitus.

10. Ave, tota vere lota,
Ave, prorsus splendida,
Salve, nota sine nota,
Salve, tota candida.

11. Ave, pratum aromatum,
Ave, flagrans floribus,
Salve, satum charismatum,
Salve, dulcis moribus.

12. Ave, plana, plene sana,
Ave, sanans languidum,
Salve, cana ros in lana,
Salve, vellus madidum.

13. Ave, pia stirps regia,
Ave, regens ceteros,
Salve, via ad gaudia,
Salve, salvans miseros.

Cod. Cantabrigen. Ff VI 14. saec. 13. A. — Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181. B. — 1, 4 Salve fehlt A. — 2, 1 Salve A. — 8, 4 lac in virgine B. — 9, 3 laeta leto A. — 11, 2 fehlt A. — 11, 3 Salve sacrum B; satum aromatum A. — 12, 1 Ave plena A.

54. De Compassione BMV.

1. Ante crucem virgo stabat,
Poenas Christi cogitabat.
Totam se dilaniabat
Vultum lavant lacrimae.

2. Dicit virgo: Quid fecisti,
Quod delictum commisisti,
Quare crucem ascendisti?
Me dolentem respice.

3. Vos, Judaei, per errorem
Occidistis redemptorem,
Mundum salvans per amorem
Sua sacra passio.

4. Orbata sum filio,
Apostolos non video,
Quo vadam sola, nescio,
Non possum ultra vivere.

5. Dicit Jesus: O mater mea,
Non te turbet poena mea,
Praecedam vos in Galilaea,
Resurgam die tertia.

6. Johannes sit tibi filius,
Custos atque famulus
Eritque tibi bajulus
In hac mundi miseria.

7. Pater misit me ad mortem,
Vici jam draconem fortem,
Super me miserunt sortem
Judaea gens incredula.

8. Mortem ergo non timeamus,
Omnes crucem diligamus,
Deo devote serviamus
Cum omni reverentia.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27.

55. De Compassione BMV.

1. Adsis huic speculo,
Mater o Maria,
Pendet in patibulo
Jam Dei sophia,
Dux et decus virginum,
Dulcis, mitis, pia,
De torrentis calice
Qui bibit in via.

2. Quid flens adstas longius?
Propius accede,
Ecce tuus filius
Heu tractatus foede,
Heu plenis opprobris
Donatur mercede,
Hac pius ab impiis
Mactatur a caede.

3. An est, mater, filius
Tuus ad hoc natus,
Ut sic digne genitus,
Sic sit cruentatus?
Vere non immerito
Dicetur beatus
In hoc ejus scandalo
Non scandalisatus.

4. Ad pudoris cumulum
Vestibus nudatur,
Vento, gelu, pluviae
Nudus explicatur
Sistunt longe proximi,
Nullus consolatur,
Sed stant prope nimium,
Per quos cruciatur.

5. Omni poena gravior
Est haec poenae poena,
Quae non tantum mortis est
Sed pudore plena,
Mater vere rumpitur
Tibi cordis vena,
Cum pallescit filii
Facies amoena.

6. In cruore penitus
Venae vacuantur,
Marcet frons et facies,
Rugae procreantur,
Clausis prope ciliis
Oculi versantur,
Sudor mortis exsilit,
Fauces congelantur.

7. Adspice, si praevales,
Mater, hunc dolorem,
Rubor vultus qualiter
Transit in pallorem,
Manus, pedes qualiter
Emittunt cruorem,
Quae materni pectoris
Cumulant moerorem.

8. Rigent tensa stipite
Brachia procera,
Decor vultus pristinus
Liquescit ut cera,
Corpus clavis asperis
Pendet in statera,
Ut sic vaticinia
Vatum fiant vera.

9. Jam nec decor ullus est
Nec decus in ore,
Aures nihil audiunt
Solito de more,
Rubet latus nitidum,
Candet in pallore
Pectus, ruunt genua
Ponderis vigore.

10. Jam dextrorsum nitidum
Caput reclinatur,
Cui se plicans nimium
Collum famulatur,
Horret coma capitis,
Arte non aptatur,
Immo venti flatibus
Huc illuc vagatur.

11. O dolor, nec mortuo
Vel sic pepercerunt,
O moeror, sic lancea
Latus transfixerunt,
O scelus, ut hic et haec
Hoc scelus senserunt,
Sol et luna pariter
Tenebris cesserunt.

12. Plange, mater, filium,
Nunc tempus plangendi,
Ingens est materia
Causaque dolendi;
»Heu, mi fili,« tempus est
Crebro repetendi
Et decentes digitos
Vel manus torquendi.

13. Mater, caput agita
Manibus levatis,
Terram sparge capiti
Comis laceratis,
Rumpe vestem pectoris,
Pectus pietatis
Cum sugenti pandere
Consuevisti gratis.

14. Auras replens quaestibus,
Mater, gemens plora,
Imbres crebri fletuum
Defluant per ora,
Terrae fige genua,
Corruens adora,
Et foedetur pulvere
Facies decora.

15. O quis digne numeret
Omnes hos labores,
Quos pro nobis passus est
Jesus et languores,
Vere nostros pertulit
Hic dolens dolores,
Reddit ipse debitum
Et non debitores.

16. Nicodemus et Joseph
Ecce convenerunt,
Myrrhae atque aloes
Mixturam tulerunt,
Post de plagis quatuor
Claves extraxerunt
Et de crucis stipite
Hunc deposuerunt.

17. Curre nunc, moestissima,
Brachia sustenta,
Quae sunt mortis frigore
Rigide distenta,
His infigas oscula
Centum vel ducenta,
Nec credo, quod fueris
Ducentis contenta.

18. Jam nil parcens vocibus
Planctus da mugitum,
Lacrimas, suspiria
Profer et rugitum,
Nam scelus huic simile
Nunquam est auditum,
Sed nec erit uspiam
Tale repetitum.

19. Manans de vulneribus
Cruor colligatur,
In signum memoriae
Peplo leniatur
Cateracta capitis
Nunc, mater, rumpatur,
Et de cordis intimis
Gemitus edatur.

20. O quam matris miserae
Cor jam syncopizat,
Dolor indicibilis
Intus colaphizat,
Jam Maria Martha fit,
Jam non sabbatizat,
Quam moeroris fluvius
Perfecte baptizat.

21. Sic post tot angustias
Ut sit tumulatus
Jesus, mundam syndonem
Joseph est mercatus,
In qua Jesus positus
Est sepulchro datus,
Sicque cum custodibus
Lapis est signatus.

22. Jesu, rex misericors,
Tu qui sic obisti,
Per cruorem vulnerum,
Quem de te fudisti,
Mitte nobis spiritum,
Quem tuis misisti,
Ne relinquas orphanos
Quos sic redemisti.

Cod. Cautabrigen. Ee VI 29. saec 15. — 13, 8 confuisti gratis. — 19, 4 lemiatur.

56. Planctus BMV.

1. Eja, virgo gloriosa,
Quondam Noemi formosa,
Pulchra tota, amorosa,
Sed nunc Mara dolorosa.

2. Cur sic cruci adstas fixa,
Crucifixo sic innixa,
Ut dolore sis transfixa,
Tamquam ipsum sis enixa?

3. Quondam illa speciosa,
Cunctis visu gratiosa,
Nunc moerore nubilosa,
Gemens, tristis, lacrimosa.

4. Unde cruciatus sibi,
Quare tantus dolor tibi?
Forsan causa latet ibi
Major, posset quam describi.

5 Quis vos ambos sic confixit,
Quis dolore sic afflixit?
Nullus homo unquam vixit,
Quem sic tantus dolor frixit.

6. Quae doloris hujus causa
Te tristare fuit ausa,
Latet adhuc in te clausa,
A dolore, quaeso, pausa.

7. Estne ille tibi pater,
Numquid sponsus est aut frater,
Aut num sibi tu es mater,
Quod te torquet dolor ater?

8. Pone modum nunc dolori,
Appropinquas nam languori,
Et est nobis jam timori,
Ne et te contingat mori.

9. Cur te matre sic orbamur?
Refer causam, quam miramur
Et audire praestolamur,
Tibi quod compatiamur.

10. Hujus causam non mireris,
Sed ut mecum contristeris
Et dolore socieris,
Tibi pandam hoc, quod quaeris.

11. Hic a Deo praeelectus
Et prae cunctis tam dilectus
In salutem huc directus,
Carne mea vere tectus.

12. Deus exstat, verbum Dei,
Splendor patris faciei
Et creator omnis rei,
Tota virtus verae spei.

13. Hunc a patre datum cepi
Ac de spiritu concepi,
Sponsa, nata hunc suscepi,
Mater virgo hunc excepi.

14. Ipse decor angelorum,
Gubernator singulorum,
Terrae, maris ac polorum,
Regnans solio coelorum.

15. Illic sine matre natus,
Sine patre incarnatus
Est in terris conversatus,
In salutem cunctis datus.

16. Per doctrinae veritatem
Ac signorum caritatem
Vitans mundi vanitatem
Et carnalem voluptatem,

17. Ut in regno deitatis
Statum post mortalitatis
Expiatos a peccatis
Collocaret cum beatis.

18. Talis est dilectus meus,
Jesus Christus, homo Deus,
Non cujusque mali reus,
Quem occidit sic Judaeus.

19. O mi nate speciosus,
Super omnes generosus,
Mitis, clemens, gratiosus,
Semper totus dulcorosus,

20. Illibatus, delicatus,
Sanctus et immaculatus,
Sponsus mei coelibatus
Et solamen incolatus.

21. Visus tibi tenebrescunt,
Genae, labia pallescunt,
Fossae manus intumescunt,
Crura nutant et languescunt.

22. Caput spinis coronatum,
Latus patet lanceatum,
Totum corpus vulneratum
Cerno jam exanimatum.

23. Ei, quis mihi nunc aquarum
Dabit fontem lacrimarum,
Tristem luctum et amarum
Super virum tam praeclarum.

24. Hic est ensis Simeonis,
Qui vigore punctionis
Me in terris privat bonis
Omnis consolationis.

25. O si vita nunc privarer,
Mallem, quam sic te orbarer,
Jam nequaquam perturbarer,
Sed per mortem consolarer.

26. Heu me, fili, quid fecisti,
Cur me solam reliquisti,
Cur me mori noluisti
Potius quam tu obisti?

27. Cessa, virgo, a ploratu,
Cesset vox ab ejulatu
Ne sub tanto cruciatu
Tu priveris vitae statu.

28. Faciei nam amoenae,
Quae rubebant, pallent genae,
Oculorum turgent venae,
Jam languescunt manus plene.

29. Calor cordis jam tepescit,
Vigor omnis jam lentescit,
Omne corpus jam rigescit,
Tota vita jam marcescit.

30. Ego suae passionis
Tuaeque afflictionis
Causa sum contemptis bonis,
Culpa pravae actionis.

31. Mihi ergo restat flere
Et ex intimis lugere
Gravi planctuque dolere,
A rugitu non silere.

32. Ego merui necari,
Non in cruce hic litari,
Nec tu sancta molestari;
Et quis posset hoc effari,

33. Cur hic ordo sit mutatus,
Nisi tantum sim amatus,
Quod a morte liberatus
Summa vita sim beatus.

34. Nihil ergo jam dulcescat,
Sed mens mea amarescat,
A dolore non quiescat,
Donec vita evanescat.

35. Semper visus lacrimetur,
Nunquam animus laetetur,
Nisi per vos consoletur,
Ut in vobis oblectetur.

36. Sed sic jugiter dolore
Moveatur vel amore,
Dilatetur vel fervore
Ac liquescat prae dulcore

37. Intimae compassionis,
Fecundae dilectionis,
Supplicis devotionis,
Purae contemplationis,

38. Ut virtutum actione,
Fidei confessione,
Gratiarum actione
Sic persistam in agone

39. Et in regno supernorum
Consors factus beatorum
In collegio sanctorum
Christum, regem angelorum

40. Crucifixum, hymnodia
Semper canam laude pia
Teque laudem, virgo dia,
Mihi confer, o Maria.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 50 g 9 saec. 15. A — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354 B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1500—1508 Clm. Monacen. 20015. C. — 2, 2 sic fehlt C. — 2, 3 Tamquam ipsum sis enixa C. — 2, 4 Secum cruci es confixa. — 4, 3 Forsan casa B; latet tibi C. — Str. 8 u. 9 fehlen C. — 10, 4 hoc fehlt B. — 16, 3 Vetans B. — 17, 3 Expiatus C. — 21, 3 Fuste manus C. — 23, 1 Ey. BC. — 28, 3 torpent venae C. — 32, 2 Non in cruce habitari B; Non incerte hoc litari C. — 33, 2 sim mutatus C. — 36, 4 prae dolore C. — Im Verlaufe des Liedes hat A folgende Überschriften: Vor Str. 1: Compassio virginis Mariae; vor Str. 10: Responsio virginis Mariae; vor Str. 19: Verba virginis ad filium; vor Str. 27: Responsio.

57. Planctus BMV.

1. O dulcis virgo Maria,
Tu plorabas voce pia
Ante crucem filii;
Rumpebatur cor Mariae,
Exclamantis voce pie:
O fili dulcissime.

2. Video te morientem,
Ego perdo cor et mentem,
Tecum mori cupio,
Tu peccatum non fecisti,
Quando crucem ascendisti,
Cur te mori video?

3. O columba sine felle,
O vas dulce plenum melle,
O fili piissime,
Tu me vides desolatam,
Semivivam, anxiatam
Et mihi non loqueris?

4. O quid agam fili pie,
Mei languentis Mariae,
Matris unigenite,
Heu, Christe, amor mei,
Te damnarunt pharisaei
Creatorem saeculi

5. Haec dum loquitur Maria
Desolata voce pia,
Non respondet filius;
Cor tunc ejus desolatum,
Igne mortis inflammatum,
Pertransivit gladius.

6. Cecidit angustiata
Tunc Maria desolata
Ibi quasi mortua,
A Johanne sublevatur
Et paulisper restauratur,
Post clamat ad angelum:

7. Gabriel, angele felix,
Tu non es mihi fidelis
Nuntiando gaudium;
Dum mihi dicebas Ave,
Me ponebas in hac nave,
Quae modo submergitur.

8. Mihi dabas mortis frena
Dicens: es gratia plena,
Quae frena nunc sentio,
Me dixisti benedictam
Gaudiorumque munitam,
Sum plena supplicio.

9. Non est mulier in mundo
Quae dolorum in profundo
Sit demersa velut sum;
Vere mihi primum ave
Dulce fuit et suave,
Nunc dat mihi gemitum.

10. Fui jam gratia plena,
Erat mihi dulcis coena,
Dum habebam filium;
Mihi nunc est usurpatus
Et in cruce conclavatus
Per tormentum anxium.

11. Nunc vertuntur in moerorem
Et in luctum et dolorem
Nuntiata gaudia,
Meum cerno dum amorem,
Natum, sponsum, creatorem
Mortis ferre vulnera.

12. Ita clamo desolata,
Non est auris mihi data
A nato vel angelo.
Alta voce tunc Maria
Exclamat in agonia.
Conquaerens de populo:

13. O crudeles vos Judaei,
O feroces pharisaei,
Canes crudelissimi,
Vos Deum crucifixistis,
Regem vestrum suspendistis
In ligno patibuli.

14. Ipse vos et me plasmavit,
Et in mundo collocavit,
Fel pro melle redditis,
O canes valde crudeles,
O leones infideles,
Sic natum occiditis.

15. Matrem ejus capiatis
Et in ligno suspendatis,
Ipsum in quo ponitis,
Ne post mortem nati vivat,
Quae sic matrem luce privat,
Ut filio careat.

16. Hic est filius dilectus,
Qui mihi fuit electus
Sine carnis praemio,
Suspendentes mundi regem,
Tribuentem nobis legem,
Matrem ejus capite.

17. Quam sic nato viduastis,
Omni gaudio privastis,
Et ipsam occidite.
Sic lamentor desolata,
Non auditur vox clamata
In crudeli populo.

18. O crux alta, de te quaeror,
Mihi nequis esse pejor,
O crux crudelissima,
Meum natum tu cepisti,
In te ipsum suspendisti,
O crux ferocissima.

19. Quamvis mundo tu sis felix,
Mihi tamen es crudelis
Cruciando filium,
Unigenitum Mariae
Desolatae, quae sic pie
Ad te flere cogitat:

20. O crux ligni cruentati,
Sanguis hic immaculati
Undique sic funditur,
O crux alta, mundo felix,
Per te via fit in caelis,
Sed mihi degeneras.

21. O crux nati crucifixi,
Contra te nihil commisi,
Ex quo ita me laedas;
Crux crudelis, tu te placa,
Ad te clamo voce rauca,
Redde mihi filium.

22. Et si te non vis placare
Neque natum mihi dare,
Tu me secum recipe;
Crucifige me cum eo,
Pro quo tibi dire fleo,
Omnes mecum plangite.

23. Aut crux natum mihi reddat,
Atque jus peccati cedat,
Quo audere judicat,
Aut secum me crucifiget,
Meo sanguine se riget
Veluti de filio.

24. O crux ferox et amara
Cur non recipis in ara
Mariam cum filio?
Requiesco, si me capis,
Si me spernis, tu me tradis
Mortali supplicio.

25. Crucis lignum non respondet,
Mihi dolor magis frondet,
Quanto magis supplico;
Meum ego desolata,
Dulci prole viduata,
Filium respicio.

26. Natus meus voce rauca
Anxiatus non jam pauca
Clamat: Ego sitio;
Tunc Maria clamat: heus,
Num est hic filius meus,
Qui sic rauce loquitus?

27. Non petenti possum dare
Neque potum ministrare,
Cor sic meum moritur;
Clamo: Jesu, nate pie,
O dulce fili Mariae,
Cur matrem non respicis?

28. Matrem tuam desolatam,
Vero lumine privatam
Cur non eam respicis?
Audi, pater alte, pie,
Verbi pater et Mariae,
Tui matrem deseris?

29. Verbum tuum incarnatum,
De Maria procreatum,
Cur sic pati pateris?
Istud non est verbum ave,
Quod mandasti tam suave
Gabriele nuntio.

30. Quando vides verbum pati
Nec succurris poenis nati,
O dura compunctio,
Cor Mariae tam afflictum,
A te patre derelictum
Moritur pro filio.

31. O dulcis fili, spes mea,
Mater tua sum, cum ea
Loqui debes modicum;
Tu me debes exhortari
Ac me digne consolari,
Ut non perdam spiritum.

32. Video te, nate, mori,
Subjaces mortis tremori,
Possum nec te tangere;
Nate dulcis, miserere
Matris non cessantis flere
Nec sinentis plangere.

33. Si tu migras, quis supplebit,
Et quis natus mihi erit?
Desolata morior;
Sed priusquam moriaris,
Aliquid mihi loquaris,
Dulcis fili, deprecor.

34. Filius tunc inclinatur,
Ad Mariam et affatur
Tali dulciloquio:
O mater dulcis Maria,
Virgo pura, virgo pia,
Tantum noli plangere.

35. Ad hoc scis me fore natum
Et a patre destinatum,
Hunc ut bibam calicem,
Sine quo mundus salvari,
Trinitati concordari
Et nequit velocius.

36. Non deberes contristari,
Sed deberes consolari
Et gaudere potius,
Mors mea non est ad mortem,
Aperit sed vitae portam,
Quam peccatum clauserat.

37. Morior pro toto mundo,
Qui ardebat in profundo,
Quem Adam damnaverat;
Ergo dulcis o Maria,
Mater clemens, virgo pia,
Noli flere filium.

38. Qui pendendo super crucem
Pro recuperando lucem
Frangit hoc exsilium;
Ego non te derelinquo,
Ad te semper appropinquo,
Quod dico, non ambigis.

39. Hoc videbis tu pro vero,
Jam resurgam, tecum ero
Atque cum discipulis;
Me oportet ita mori,
Istud fit pro meliori,
Res humani generis.

40. Igitur spem amplecteris,
Quia mecum potieris
Regno veri luminis,
Sed dum vives vita ista,
Johannes evangelista
Erit tibi filius.

41. Et tu eris ejus mater,
Ipse filius et frater
Te tractabit dulcius.
Filius ista narravit,
Matri caput inclinavit
Et emisit spiritum.

42. Videns ergo hoc Maria
Cecidit in agonia
Et orabat fortius;
Ejus cor angustiatur
Atque dire vulneratur
O crudelis gladius.

43. Igitur nos cum Maria
Deploremus mente pia
Passionem Domini,
Ut cum Christo collocari
Mereamur, gloriari
Per aeterna saecula.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. B. — 1, 3 Coram cruce filium B. — 3, 5 Genitivam anxiatam B. — 4, 2 languenti A; Fili languentis B. — 4, 3 Mater A. — 4, 4 Heu, heu amor B. — 6, 3 quasi moritur A. — 6, 4 Johanne tunc B. — 7, 2 Non es mihi tu B. — 7, 5 Me pascebas B. — 9, 3 Sit mersa velut AB. — 10, 1 gratia jam A. — 10, 6 Prae tormentis anxium A. — 11, 5 curatorem B. — 12, 5 Exclamabat A. — 13, 4 Verum Deum A. — 14, 1—3 fehlen B. — Nach 15, 3 schiebt B ein:

Vel in alio tormenta
Aut crudeli monumento,
In quo mater pereat.

15, 4 Non post A. — 15, 6 Caream ut filio B; dann schiebt B ein:

Mihi dulcius jam mori,
Foret jocus et honori
Migrari cum filio.

16, 4 Suspendistis B; worauf B einschiebt: Truces aures Mariae Supplicationem Mariae Non auditur populo. — 17, 4 lamento B. — 17, 6 In crudeli proelio B. — 18, 4 tu caedisti B. — 19, 6 Ac fallasse cogitur B. — 20, 5 Mihi semper es infelix B. — 20, 6 Dum me filio viduas. — 21, 2 Coram te nunquam connixi B. — 21, 3 Ex quo me sic laederas B. — 21, 4 O crux fidelis jam non placa A. — 22, 1 Si te non vis B. — 22, 5 Hoc pro mundo tibi A. — 22, 6 Omnes junctim plangite B. — 23, 1 Ut crux AB. — 23, 2

Et vox quaevis precor cedat B. — 23, 3 Quo tam dire viduor B. — 23, 4 Et me A: Ut me B. — 23, 5 me riget B. — 23, 6 Velut fit de B. — 24, 2 recipis jam B. — 24, 3 Matrem cum A. — 24, 5 me radis B. — 25, 1 sqq. fehlen B. — 25, 4 Ita mergor desolata B. — 26, 2 Anxietate non pauca B. — 26, 4 Tunc mater A. — 26, 5 Est nam natus iste meus B. — 26, 6 sic fehlt B. — 27, 1 Num petenti A: Petenti non B. — 27, 3 Cor meum sic B. — 27, 6 non recipis A. — 28, 4 Alte Deus, pater pie B. — 28, 5 Verbi poenae et B. — 28, 6 Cur non modo proficis A. — 29, 4 non est illud ave B. — 30, 3 O diri B. — 30, 4 Cor meum tam A. — 31, 2 ex ea B. — 31, 4 me velis B. — 31, 5 Me dignare B. — 32, 1 sqq. fehlen B. — 32, 6 Nec cessantem B. — 34, 1 nunc B. — 34, 6 Noli tantum B. — 35, 3 Ut hunc B. — 35, 6 Et fehlt B; nequid A. — 36, 1 debes B. — 36, 4 Mors una B; non est aborta A. — 36, 5 Aperitur vitae porta A. — 38, 1 Qui nunc pendeo A. — 38, 3 Frangat A. — 39, 1 Haec B. — 39, 5 Ita fit. B. — 39, 6 Rex humani A. — 40, 2 Quam tu B. — 40, 3 Regna A. — 40, 4 vives in hac vita B. — 41, 1 et pater A. — 41, 3 Et tractabit A. — 41, 4 illa B. — 42, 3 Et plorabit B. — 43, 1 jam cum B. — 43, 3 Passionem in hac via B. — 43, 4 Ut cum ipsa B. — Hierauf fügt B noch die folgenden Strophen bei:

De quinque vulneribus.

44. Vidit turbas effrenatas
Judaeorum venenatas
Christum primo prendere
Vidit Judam proditorem
Osculando salvatorem
Pharisaeis tradere.

45. Vidit Jesum laceratum,
Ut latronem et ligatum
Trahi per Jerusalem,
Et ad Annam primo ductum,
Hinc ad Kaipham traductum
Et Pilatum principem.

46. Hunc Pilatus condemnavit,
Crucis poenis deputavit
Lotis aqua manibus.
Vidit natum sublevari
Crucifixumque locari
Cruce cum latronibus.

47. Vidit caput cruentatum
Jesu Christi, coronatum
Spinis, cruce pendere,
Vidit manus perforari,
Fixis clavis cruentari
Et cruorem fundere.

48. Vidit suos sanctos pedes
Conclavatos nec est sedes,
Ubi possint haerere.
Vidit latus penetrari,
A Longino sanciari
Hincque caecum cernere.

49. Vidit, potum cum gustavit,
Sitio quando clamavit,
Dicens consummatum est;
Iste potus felle mixtus,
Quem gustavit Jesus Christus,
Cum aceto datus est.

Anima.

50. In me sistat amor tui,
Crucifixo fac me frui,
Dum sum in exsilio;
Hoc dolore fac me moestum
Nec me facias alienum
Ab hoc desiderio.

51. Virgo dulcis, virgo pia,
Virgo clemens, o Maria,
Audi preces famuli,
Ipse vos et me plasmavit
Et in mundo collocavit,
Fel pro melle redditur.

Ad crucem:

52. Tu nequaquam mihi felix,
Tu semper es infelix,
Filio me viduas;
Crucis lignum non respondit,
Mihi labor magis frondit,
Quantum magis supplico.

Christus.

53. Sic mandavit incarnari
Atque sibi filiari,
Ut mundum redimerem,
Omnes crucem peramantes
Atque illam venerantes
Semper tibi serviant.

54. Christus in ligno pependit,
Suo sanguine nos defendit
Ab ira diaboli,
Per virtutem sanctae crucis
Liberemur ab inimicis
Per aeterna saecula.

55. O Christe, mundi redemptor,
Sis tuae gentis protector
A morbo pestifero,
Christe, cum sit hic exire,
Da nos per misericordiam venire
Ad palmam victoriae.

56. Ploremus ergo pariter,
Clamemus omnes fortiter:
Jesu Christe, miserere.

58. In Assumptione BMV.

1. Grande signum coelum pandit,
Angelorum coetus clangit
Occurrens cum laudibus,
Se praefulgens lux expandit,
Christi mater dum hoc scandit
Vestita duplicibus.

2. Haec de mundo mater munda
Mitis scandit ut columba,
Super solem splendida,
Omni laude laetabunda,
Jam nec prima nec secunda
Visa est tam candida.

3. Natus locum praeparavit
Et festinus obviavit
Coeli cum militia,
Matrem suam honoravit,
Cum se secum collocavit
Dulci modulantia.

4. Ad hanc natus mox descendit
Et cum matre mox ascendit
Ad suprema gloriae,
Nihil obstat, nil offendit,
Sursum vadit, sursum tendit
In signum victoriae.

5. Virgo mater exaltaris,
Ubi laeta contemplaris
Regnantem in gloria
Et conregnans conregnanti
Consedebis judicanti,
Virgo plena gratia.

6. Carne sua non consumpta
Virgo mater est assumpta
Integre realiter,
Collocata super cuncta,
Dulci nato dulcis juncta,
Tene sic non aliter.
Sic affirmant sancti patres,
Sic tenete, mei fratres,
Fortes unanimiter.

7. Elevata sedes poli,
Praeparata nubes soli
Ad suprema sidera,
Oblivisci, virgo, noli,
Tolle, mater, quod est doli
Nostra pians scelera.

8. Incorrupta, tota viva
Et innupta mater diva,
Coeli tenens solium
Exaltaris, coronaris,
Dominaris, jucundaris
Amplexando filium.

9. Qui praecepta legis dedit,
Honorare matrem, pegit
Et matrem prae ceteris;
Ergo matris legislator
Si non esset venerator,
Hunc culpare poteris.

10. Non desperes trepidando,
Perseveres affirmando,
Non relicto corpore
Mater Jesu quin assumpta
Sit in coelum nato juncta
Vivens sine tempore.

11. Ubi natus, sibi mater
Trabeatus est et pater
Sacro cum spiramine,
Solidata carne pura,
Verbi patris genitura,
Munda nos a crimine.
Erubesce, contremisce,
Qui non credis, matrem esse
Assumptam cum corpore.

12. Noli fari, quod ingratus
Dulci matri fiat natus,
Quem lactavit ubere,
Cujus alvus hunc portavit,
Quo fit salvus, quem damnavit
Lapsus Evae miserae.

13. Dic tu mihi, rogo pie,
Ubi corpus sit Mariae
Sepulchro non inventum?
Si tu dicis, quod ablatum
A Judaeis nec relatum,
Ab eis sit retentum;

14. Certe, dico, non est verum,
Coronata tenet coelum
Juxta nati brachium,
In excelso throno sita,
Natum colens est in vita
Paradisi ostium.

15. Quod sic probo ratione
Et aperta sanctione
Potest verificari:
Nonne vides in hac vita
Multis fucis polimita
A natis honorari
Patrem, matrem reverenter
Diligenter, excellenter
Ab eis ministrari?
Ergo matri minus gratus
Non de jure fiet natus
Altrici singulari.

16. Est assumpta virga Jesse,
De qua vitae fluit esse
Anima et corpore;
Fides tenet sic professe,
Quod affirmo verum esse.
Nati fulta robore.

17. Transit ad aethera
Virgo puerpera,
Virgula Jesse,
Non sine corpore,
Sed sine tempore
Tendit ad esse.

18. Vere scio, vere credo,
Quod in carne non putredo
Sit Mariae virginis,
De qua natus est dulcedo
Deus homo sine foedo
Foetore putredinis.

19. Cum sanctorum visitantur
Loca donis et ditantur,
Ut aperte cernitur,
O quid dicam, si Mariae
Terrae datum matris piae
Corpus sit nec colitur.
Matrem natum, si sic esset,
Contempisse, dici posset,
Sed hoc nunquam creditur.

20. Caro namque Jesu cara
Est Mariae caro clara,
Matris praedulcissimae;
Sic affirmat Augustinus,
Fons abundans coelestinus
Doctrinae clarissimae.

21. Aulam sacram virginalem
Rex servare maternalem
Cum pudore voluit,
Ergo matrem incorruptam
A foetore sibi nuptam
Custodire debuit.

22. Deo lacu in leonum
Danielem servum bonum
Conservare placuit,
Vestes trium puerorum
In fornace positorum
Non comburi pertulit;

23. Ventre ceti Jonae vita
Est potenter custodita
Deo placentissima,
Ergo mater Jesu tanta
Fari posset quisquam, quanta
Laude sit dignissima?
Nisi quod sit elevata,
Secus natum collocata
Corpore et anima.

24. Nomen matris lucis astrum
Vel odoris alabastrum
Sensu suavissimum,
Corpus Dei, verbi castrum,
Hortus clausus, patris rastrum,
Fructum ferens optimum.

25. O regina, quam superni
Cives laudant et inferni
Tremit domicilium,
Splendoris praebe paterni
Nobis lucem et aeterni
Flaminis solatium.
O nomen dulce
Mariae tristiae mulce.

Clm. Monacem. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

59. In Assumptione BMV.

1. Gaude, Christus cum levavit
Te in carne et locavit
Super astra, obviavit
Tota coeli curia.
Gaude, virgo singularis,
Ut prae cunctis sublimaris,
Sic et digne plus laudaris
In coelesti gloria.

2. Gaude, virgo, quae decore
Ornas coelum lucis more,
Velut cuncta sol splendore
Superat lucentia.
Gaude, cui angelorum
Chori parent et sanctorum
Ut reginae ac votorum
Exhibent obsequia.

3. Gaude, quod vis esse ratum,
Tuo nato exstat gratum,
Omnem tuumque precatum
Explet cum clementia.
Gaude, qui te venerantur,
Tua laude delectantur,
Hi per Christum munerantur
In superna patria.

4. Gaude, summe coronata,
Carnis dotibus ornata,
Christi dextris sociata,
Regnans super omnia.
Gaude, semper quae frueris
His deliciis sinceris,
Ut in aevum jucunderis
Summa cum laetitia.

5. A me mundi jam evelle
Gaudia permixta felle,
Immo me tuorum melle
Gaudiorum satia.
Veni, virgo, da laetari,
Me in te nunc consolari
Et in fine gratulari
Tua de praesentia.

6. Dona mihi te videre,
Semper tibi congaudere
Ac laetanter possidere
Beatorum praemia.
Ecce, tibi congaudemus,
O Maria, ut amemus
Te in aevum et laudemus,
Duc nos ad coelestia.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815.

60. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, candens lilium,
Mater pietatis,
Nobile triclinium,
Summae trinitatis,
Forma, spes humilium,
Princeps castitatis,
Memor mei
Valde rei
Sis, flos pietatis.

2. Gaude, legislatio
Dominam te clamat,
Humanaque ratio
Praeceptricem famat
Nati, id quo natio
Fidelis acclamat,
Nam ut patri
Proles matri
Sic parere amat.

3. Gaude, Sion filia,
Pacis reformatrix,
Tu me reconcilia,
Pauperum solatrix,
Purgans in me vitia,
Mundi reparatrix,
Meum votum
Tibi notum
Audi, imperatrix.

4. Gaude, ab initio
Prae saeclis creata,
Miro privilegio
In omnes ditata,
Salubri consilio
Es praedestinata,
Mater Dei,
Tutrix rei
Ut sis, o beata.

5. Gaude, ut te decuit,
Conceptam sacravit
Deus, post haec docuit
Vita tis et pavit,
Scelus vetus necuit
Haeresesque stravit,
Nam virtutem
Et salutem
Cunctis demonstravit.

6. Gaude, tibi nuntius
E colo legatur,
Juxta verba ocius
Sua humanatur
In te Dei filius
Et humiliatur,
Tis ignotum
Mundo votum
Per quem approbatur.

7. Gaude, natum parere
Dei meruisti,
Lacte tua alere
Quae digna fuisti,
Angelos hunc canere
Et magos vidisti,
Te optante
Post et ante
Virgo permansisti.

8. Gaude, pneuma visitat
Jesum baptizatum,
Et hunc pater clamitat
Fore suum natum.
Eremum inhabitat.
Dein mundi statum
Verbis, signis
Factis dignis
Curat sauciatum.

9 Gaude, die tertia
A morte surrexit,
Suos cum solertia
De limbo evexit,
Christus prae inertia
Errantes allexit,
Caros tuos,
Immo suos
Parando respexit.

10. Gaude, suos penitus
Patri committebat,
Super coelos inclitus
Rex cum ascendebat,
Nobis vitae aditus
Hinc patefiebat,
Qua potenter,
Qua gaudenter,
Euge, praecedebat.

11. Gaude, mirabiliter
Perfidos elisit
Pater, visibiliter
Quando flamen misit
His, verbi quos dulciter
Nomine arrisit,
Tunc sincero
Atque mero
Dulcore te visit.

12. Gaude, dote varia
Deus te dotando
Assumpsit cum gloria
Summa trabeando,
Ad dextram in curia
Coeli collocando,
Trans cunctorum
Angelorum
Choros exaltando.

13. Quo inaestimabili
Te felicitate
Ditans ineffabili
Ornat dignitate;
Vale hinc, laudabili
Vernans caritate,
Ergo graude,
Gaudens plaude
In jucunditate.

14. Hinc est, quod edicere
Nulla creatura
Valet nec elicere
Laudis tua jura,
Eja me conspicere,
Mater, haec procura,
Dans beatum
Mihi statum
Vita in futura.

15. Deus, summa trinitas
Tibi nil recusat,
Cujus ac benignitas,
Ut vis, quaevis cusat,
Ergo tis virginitas,
Quam jam sic decusat,
Pellat labem,
Mortis tabem,
Quae me, heu, incusat.

16. Precor te per tristia,
Quae te hic laeserunt,
Et per Christi gaudia,
Quae et tua erunt
Et sunt nunc in patria
Sicut prae fuerunt,
Sana cunctos,
Veni, punctos,
Qui me infecerunt.

17. Precor te per meritum
Omnium sanctorum,
Per tis nomen inclitum,
Per temet, flos florum,
Da ut non demeritum
Scelerum meorum
Me demergat,
Quae abstergat
Precamen sanctorum.

18. Precor te per sanguinem
Et per poenas Christi,
Per sacram propaginem,
Ex qua prodiisti,
Quae Deum et hominem
Virgo genuisti,
Hunc exora
Absque mora
Pro me, ut novisti.

19. Per patrem, piissima,
Per verbum, per flamen,
Quos credo firmissima
Deum unum tamen
Fide, te, sanctissima,
Precor, ut solamen
Mihi pia
Sis Maria
Hora mortis. Amen.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — „Incipit oratio de gaudiis quibusdam beatae virginis.“ — 17, 8 fehlt. —

61. De septem Gaudiis BMV.

1. Gubernantis superna patria
Decantantur septena gaudia
Primum dicens: tu plena gratia,
Inquit Ave.

In excelsis cantatur gloria,
Hoc secundum angelis nuntia,
Deum noscunt tunc animalia
In praesepe.

2. Ternum stellae regiae claritas
Magos duxit, Bethlehem civitas
Hos suscepit, Herodis pravitas
Memoratur.
Quartum fuit sepulchri novitas,
Dum surrexit Dei humanitas,
Judaeorum prava societas
Admiratur.

3. Virgo mater dum vidit filium
Triumphando, parando praemium,
Unde venit, ascendit iterum
Coronatus.
Pater sanctum emittens spiritum
Roboravit corda fidelium,
Adest color ignis quemadmodum
Coloratus.

4. Gloriosa virgo sanctissimae
Post egressum carnis purissimae
Elevatur choris altissime
Angelorum.
Istis septem gaudiis optime
Gaudeamus, Deus plenissime
Nos reducat ad portum gloriae
Et sanctorum.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351.

62. De septem Gaudiis BMV.

1. Militantis ecclesiae
Jubar in triumphante
Primatum tenet gloriae
Adae lapsu cessante,
Maria levante.
Fons salutis et gratiae,
Te nobis vitam dante
Captatur via veniae,
Messia nos juvante,
Te tamen procreante.

2. Concepta privilegio
Supra jura naturae
De sterili conjugio
Joachim pulso dure
Ducatur maledictio
Defectus geniturae,
De nati benedictio
Cunctis est orta jure.
David regali gremio
Te fatentur scripturae,
Stella, virga, promissio,
Te signarunt figurae.

3. Virginalis conceptio
Te solam consecravit,
Cum Gabrielis nuntio
Paris, qui te creavit.
Fit pro nato purgatio,
Qui nihil maculavit,

Integralis assumptio
  Te cunctis praedotavit.
Nec mirum, si collegio
  Coeli te praelocavit
Nutritus tuo gremio,
  Te sibi sociavit.

4. Gaudes conceptu deico,
  Gaudes partu sacrato,
Gaudes adventu magico,
  Gaudes resurcitato,
  Gaudes Jesu levato.
Gaudes igne mirifico
  Apostolis donato,
Gaudes ascensu coelico,
  Perfecte juncta nato,
  Pro nobis supplicato.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — Sequenzenform.

63. De septem Gaudiis BMV.

1. Plaude, prudentissima
  Parens plasmatoris,
Piscina probatica,
  Pincerna pudoris,
Propitiatorium
  Prisci promotoris,
Precor, preces percipe
  Proni peccatoris.

2. Plaude, pudicitia
  Plena placuisti
Prothonoi, parito
  Patris paruisti,
Paracleti pluviam
  Plene percepisti,
Perenne principium
  Pure praeclusisti.

3. Pange, perpiissima
  Praegnanda palaris,
Paternale pallium
  Partu praestolaris,
Pyropus pinnaculum
  Polo praesularis,
Protectrix potissima
  Pauperum probaris.

4. Plaude, praegnans puera,
  Prolem peperisti,
Positum praesepio
  Pannis praecinxisti,
Papillarum pabulo
  Psastorem pavisti,
Pot partum perpetuo
  Pura permansisti.

5. Pange, pigmentarium
  Praeservans pigmentum,
Pupes pascens, populis
  Praedulce pulmentum,
Pantheon perpetuum,
  Placens polimentum,
Praesta postulantibus
  Praesto purgamentum.

6. Plaude, prodens parvulum
  Pastoribus pratum,
Praecisum praeputio
  Pulchre propalatum,
Principem principibus
  Palam praedicatum,
Plasma pro piaculis
  Patri praesentatum.

7. Pange, promptuarium
  Plenum pietatis,
Planta portans poculum
  Pretiositatis,
Praeclara progenies,
  Palmes probitatis,
Praebe patrocinium
  Pollutis peccatis.

8. Plaude, pignus proprium
  Plagis perforatum
Publice patibulo,
  Passum per Pilatum,
Peremptis praedonibus
  Prospicis praelatum,
Possidens perenniter
  Pacis principatum.

9. Pange, plausu placido
Precibus precantum,
Placatrix primipotens,
Palus proeliantum,
Pus periclitantibus,
Pyr praevaricantum.
Praevalens praesidium
Pie proclamantum.

10. Plaude, promens pretium
Praepotens piorum
Praemium, palatium
Penetrans polorum,
Proportionaliter
Permanet proborum
Protector pacificus
Pila perfidorum.

11. Pange, potentissima,
Pons profectionis,
Peritiae putens,
Pes protectionis,
Projice precamine
Pus perditionis,
Propulsa pericula
Persecutionis.

12. Plaude, praedicantium
Plana perlustrator
Pentecoste plenius
Processit purgator,
Peccaminum praedocens
Parvulos prostrator,
Prava profitentium
Promptus praemiator.

13. Pange, praeditissima
Provisa prudenter,
Poli porta pervia,
Pessumdans potenter
Profanos, praeconiis
Praecluens pollenter,
Pelle pestilentiam
Praesentem patenter.

14. Plaude, praedulcissima,
Petens puriorem
Perlucide patriam
Pretiosiorem,
Praelaturam percipis
Praecellentiorem,
Placa peritissimum
Propitiatorem.

15. Pange, potentissima
Princeps pennatorum,
Patriarcharum palmula,
Penna patronorum,
Prophetarum prothesis,
Pugil probatorum,
Puellarum puritas,
Portus perfectorum.

16. Plaude, praecelsissima,
Protege praesentes,
Postremos, praeteritos,
Papam, praesidentes,
Principatus, proceres,
Principes potentes,
Praesules, pontifices,
Praelatos plectentes.

17. Paedagogos, pueros,
Puellas placentes,
Praesides, proconsules,
Primates pollentes,
Praesules, presbyteros,
Professos, poscentes,
Pusillos, prebiscitas,
Polim, poenitentes,
Pupillum, Parisius,
Pauperes, pallentes,
Pestem parcam perperam
Prope pavescentes.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16. — 17, 9 verrät, dafs das Lied in Paris gemacht ist. Sämmtliche Wörter desselben beginnen mit dem Buchstaben P.

64. De septem Gaudiis BMV.

1. Plaude, potentissima
Parens plasmatoris,
Patrona piissima,
Puella pudoris,
Purgatrix potissima
Peccati prioris,
Procul peile pondera
Prisci peccatoris.

2. Plaude, plausus populi,
Portus probitatis,
Pallium paracliti,
Pera puritatis,
Praeparatrix praemii,
Plena pietatis,
Parce, precor, pauperi
Polluto peccatis.

3. Plaude, privilegiis
Pulchris praeornata,
Promissis propheticis
Prisco praesignata,
Prole pii principis
Postmodum praegnata,
Praesis patrociniis
Petenti parata.

4. Plaude, potestatibus
Praedita praeclaris,
Praecellentem penitus,
Praepotentem paris,
Pollet prout primitus
Pubes puellaris,
Pacem praestolantibus
Praesto praebearis.

5. Plaude, porta patula,
Pons peregrinorum.
Piscina probatica,
Pannus parvulorum,
Praesidens perpetua
Patria polorum,
Percipe propitia
Preces punitorum.

6. Plaude plangens proh dolor
Pignus praestigatum,
Palma, pede, pectore
Plagis perforatum,
Potitum potentia
Prospicis praelatum,
Possidentem postea
Poli principatum.

7. Plaude, pulchritudine
Praemines potentes,
Prostratos promoveas
Placando plangentes,
Praevide pro posteris,
Protege praesentes,
Purgando praeteritos
Pestem patientes.

Orat. ms. S. Josephi Oenipont. 70 A. saec. 14. — Scheint eine Bearbeitung des vorhergehenden.

65. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo gratiosa,
Verbum verbo concepisti,
Gaude, tellus fructuosa,
Fructum vitae protulisti.

2. Gaude, rosa speciosa,
Jesu vernans resurgente,
Gaude, mater gloriosa,
Christo coelos ascendente.

3. Gaude fruens deliciis
Nunc, rosa juncta liliis,
Emunda nos a vitio
Et tuo junge filio.

Cod. Lambacen. CLXXXVI saec. 14.

66. De Gaudiis BMV.

1. Lustrans orbem sol primus siderum,
Gyrum coeli firmans in cardine,
Virginalem sacravit uterum
  Sumpta carne
Regens astra; Mariae puerum
Collaudemus ipsum in virgine,
Sumens sibi matris praeconium
  Digna laude.

2. Paranymphus Dei archangelus
Salutavit quam sancto flamine:
Ave, inquit, plena dulcedine
  Gratiarum.
Summa virtus mox sanctus spiritus
Obumbrabit in te spiramine,
Canticorum vallata carmine
  Prophetarum.

3. Consensu tradito homo perficitur,
Qui carnis termino in ventre clauditur,
Nec puerperio mater corrumpitur
  Manens virgo.
In noctis medio pervigil nascitur,
Miratur ratio, mater non laeditur,
De solis radio jure progreditur
  Deus homo.

4. Novum sidus ortum denuntiat
Christum natum regentem saeculum,
Magi cernunt, et locum indicat,
Procidentes adorant parvulum
  Vagientem.
Trinum Deum figura reserat,
Regem magnum, mortalem filium,
Aurum, myrrha et thus insinuat.
Obtulisti in templo genitum
  Nondum fantem.

5. Scripturarum formans eloquium
Verbo vicit hostes est scelera,
Mortem passus calcavit tartara,
  Post surrexit.
Samson frangit inferni ostium,
Gloriosus transcendit aethera,
Rex immensus promisit munera
  Et ascendit.

6. Surgens, arca pellens diluvium,
Angelorum super fis agmina,
Cum assumpta per tuum filium
Contemplaris regna siderea
Gloriosa.
Novem chori canunt coelestium:
Mater Dei, coelorum domina,
Sic assume nostrum obsequium
Referentes septena gaudia
Gratiosa.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343, anni 1351. — 4, 2 regem saeculum. — 5, 2 Verbo venit hostes. — 6, 10 Gloriosa.

67. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae de sancto concepisti
Spiritu mirifice,
Gabrieli credidisti,
Praemunita quae fuisti
Caritatis indice.
Verbo sancto mox repleta
Spe conceptus eras laeta,
Propter hanc laetitiam,
Virgo pia, sic impleta,
Veniente vitae meta
Me ducas ad gloriam.

2. Gaude, quia salvatorem
Naturalem contra morem
Peperisti, domina;
Tuae laudis ad honorem
Me praesenta peccatorem
Tua cum familia.
Tu de partu laeta tali
Mihi luce sis finali
Salus et solatium,
Ne sim flammae gehennali
Pro reatu criminali
Datus ad supplicium.

3. Gaude, postquam te turbavit
Et dolorem provocavit
Sequens nati passio,
Te laetam post restauravit,
Laetiorem reformavit
Christi resurrectio.
Virgo plena pietate,
Refulgentis novitate
Laeta me laetifica,
Nec oppressum gravitate
Ne repelli sinas a te
Loca ad lucifera.

4. Gaude, virgo, dum scandebat,
Quem scandentem subvehebat
Nubes super sidera,
Astra tenens eligebat
Sedem dignam, qua sedebat
Dei patris dextera.
Propter ejus elevamen
Atque tuum consolamen
Tua post gravamina
In extremis adjuvamen
Et ruinae relevamen
Confer mihi, domina.

5. Gaude, quae tunc laetabaris,
Dum in coelum levabaris,
Spes salutis hominum,
Quorum noxam recordaris
Et pro quibus deprecaris
Incessanter Dominum.
Tu medela noxae dirae,
Mihi velis subvenire
Mortis in itinere
Et cum dies erit irae,
Quam quis nequit praeterire,
Noli me relinquere.

Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B. — Clm. Monacen. (ol.

Tegurin.) 19824. C. — AB schieben vor jeder Strophe eine Strophe des Liedes bei Mone II, 460 ein. — 1, 1 O Maria mater BC. — 1, 10 Cum qua salus est concreta BC. — 1, 12 Spem salutis sentiam BC. — 2, 1 Naturalem contra morem BC. — 2, 2 Genuisti genitorem BC. — 2, 3 Virgo, mater, filia AB. — 2, 4 Tuae prolis ad BC. — 2, 5 debitorem BC. — 3, 1 Mentem tuam conturbavit BC. — 3, 2 dolore BC. — 3, 3 Christi passio BC. — 3, 4 Sed te laetam restauravit BC. — 3, 10 Ne oppressum A. — 3, 11 Nec repelli BC. — 4, 1 Laetabundus ascendebat BC. — 4, 2 Corpus suum subvehebat BC. — 4, 3 Coeli super BC. — 5, 1 Quantum in te laetabaris BC.

68. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo, mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio.
Quam prudenter respondisti:
Ecce, sum ancilla Christi
Hominem sed nescio;
Sic serpentem contrivisti,
Dei verbum implevisti
Genesis principio.

2. Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio.
Casti lilium pudoris,
Virga Jesse, flos odoris,
Salvat puerperio,
Quos damnavit dux erroris,
Adam, Eva, fons moeroris.
Colubris ingenio.

3. Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati
Fulget resurectio.
Rex triumphans in agone
Superato Pharaone
Surrexit de proelio,
Ab Aegypto, pastor bone,
Educ nos victo dracone
Ab ejus imperio.

4. Gaude, Christo ascendente,
Qui in coelum te vidente
Motu fertur proprio.
Clara nube ferebatur,
Galilaea mirabatur
De tanto mysterio,
Vox jucunda nuntiatur,
Humanitas coronatur,
Coeli throno regio.

5. Gaude, quod post ipsum scandis
Et est honor tibi grandis
In coeli palatio.
Coeli throno sublimata,
Gemmis satis coronata
Paradiso solio,
O Esther inthronisata,
Pro nobis sis advocata
Coram rege filio.

6. Ubi fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.
Fructus floris virginalis,
Fructus vitae spiritalis,
Fructus sine folio,
Flos florum, flos virginalis
Et fructus universalis,
Salus et redemptio.

7. Sic Zephyrus mittit rorem,
Rore flora parit florem,
Floris fit refultio;
Flos ascendit in decorem,
Flora sequitur odorem
Amoris suspirio.
Ergo floris mater flora,
Nos defende mortis hora
Finali supplicio.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B.

69. De Gaudiis BMV.

Gaudia bis dena, mater dulcedine plena
Virgoque sensisti, terris dum viva fuisti,
Poplite quae flexo recitandoque pie texo.

1. Gaude, virgo mater Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabriele nuntio,
Gaude, praegnans absque luctu,
Divino referta fructu,
Carnis carens vitio.

2. Gaude, luminis lucerna,
Cui congaudet interna
Cognatae devotio.
Gaude, lumen in te clausum
Nosti per Johannis plausum
Clausi ventris atrio.

3. Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio.
Gaude, parens florem florum,
Quem pastores tam decorum
Norunt in praesepio.

4. Gaude, coetus quod coelestis
Psallit gaudens et fit testis
Tanto puerperio.
Gaude, sacro lacte pascens
Hunc, qui ab aeterno nascens
Tuo ludit gremio.

5. Gaude, nova luce data,
Novae stellae nuntiata
Gentibus indicio.
Gaude, natum regem poli
Deum per tres reges coli
Munere trifario.

6. Gaude, puerum divinum
Munus acceptantem trinum
Triplici mysterio.
Gaude Christum, amplexatum
Brachiis, Deum probatum
Thuris ministerio.

7. Gaude, prolem nam ostendit
Summum regem, quae praetendit,
Auri praesentatio.
Gaude, myrrha cum donatur
Christus homo, qua signatur
Hominis salvatio.

8. Gaude, Dei salutare
Per te ferri ad altare
Legis ex imperio.
Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati,
Fulget resurrectio.

9. Gaude, quod omnipotentem
Prima nosti resurgentem
Fidei praesagio.
Gaude Christo ascendente,
Qui ad coelos te vidente
Fertur motu proprio.

10. Gaude, te coelestem fecit
Et omne triste abjecit
Pneumatis infusio.
Gaude, quod nec hic viventi
Tibi nec mundo cedenti
Obfuit tentatio.

11. Gaude, quod post Christum scandis
Et est honor tibi grandis
In coeli palatio,
Ubi fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19824. — 2, 6 Clausum. — 7, 1 prole. — 7, 2 Summam. — 10, 1 Gaude quia coelestem fecit. — 10, 2 Te et omne triste.

70. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo Dei mater,
   ab angelo salutata,
   Gaude, sentiens infantem,
   virgo verbo gravidata.

2. Gaude, gaudens in montibus
   Elisabet visitando,
   Gaude, virgo salvatorem,
   sine poena pariendo.

3. Gaude, pastores intuens
   natum tuum adorantes,
   Gaude magos inspiciens
   trina dona offerentes.

4. Gaude, cum justus Simeon
   prophetavit de filio,
   Gaude, quando regressa es
   de Aegypti exsilio.

5. Gaude, cum inter Judaeos
   templi reperis filium,
   Gaude cernens aquam vino
   mutantem ad convivium.

6. Gaude, cum sanat languidos
   mortuosque resuscitat
   Et quinque mille hominum
   expensis escis visitat.

7. Gaude, quando vides eum
   a mortuis resurgere,
   Gaude, cum vidisti natum
   ad coelos ascendere.

8. Gaude, quando discipulis
   sanctum transmisit spiritum,
   Gaude, secum stans in coelis
   habens coronae meritum.

9. Virgo, regina coelorum,
   tanta possidens gaudia,
   Fac tuorum gaudiorum
   nos consortes in gloria.

Brev. ms. Fiscannense saec. 14. Cod. Rotomagen. 206.

71. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, virgo, de gaudio,
   Quod habebas plenissimo,
   Cum primo Deum cerneres
   Et hunc velut in speculo
   Auctorem, qui a saeculo
   Elegit te, agnosceres.

2. Gaude, virgo, de gaudio,
   Quod habebas plenissimo,
   Cum te Deus susciperet
   Amplexando tenerrime,
   Salutando dulcissime
   Et Ave tibi diceret.

3. Gaude, virgo de gaudio,
   Quod habebas in osculo,
   Quod tibi dedit trinitas,
   In quo suae dulcedinis
   Gustu tu sic infunderis,
   Ut coelum terram repleas.

4. Gaude, virgo de gaudio,
   Quod habebas plenissimo,
   Cum divino succenderis
   Sic amore plenissime,
   Quantum fuit possibile,
   Ut et sanctos ignieris.

5. Gaude, virgo, de gaudio,
   Quod habebas plenissimo,
   Dei splendor cum penetrat
   Te clarissimo lumine,
   Quo coelum lucet splendide
   Et justorum plebs jubilat.

6. Per haec virgo tripudia,
   Quae tunc tua praecordia
   Susceperunt cum jubilo,
   Deum teque da gnaviter
   Collaudare perenniter
   Nos in futuro saeculo.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001.

72. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, per quam angelorum
Gaudet chorus et sanctorum
Perenni laetitia,
Quos praecellis, gratiosa,
Super omnes gloriosa
Speciali gloria.

2. Gaude, gemma, templum Dei,
Per quam datur lux diei
Solis de praesentia;
Per te magis illustratur,
Illustrata jucundatur
Tota coeli curia.

3. Gaude, lampas saeculorum,
Cui parent supernorum
Omnes coeli curiae,
Vultum tuum deprecantes,
Tamquam matrem venerantes
Sui regis gloriae.

4. Gaude, cella fluens melle,
Cujus voto Christi velle
Sociavit caritas,
Quidquid tuae pietati,
Placet summae trinitati,
O pura virginitas.

5. Gaude, virgo, quae decoras
Servos tuos et honoras
Hic et in coelestibus,
Nos cum ipsis ad amoena
Paradisi laude plena
Transfer tuis precibus.

6. Gaude, rosa, princeps florum,
Super thronos angelorum
Gloriosis laudibus
Exaltata jucundaris,
Trinitati sociaris
Et sanctorum milibus.

7. Gaude, cujus non marcescit
Laus et honor, nec decrescit
Gaudiorum gaudium;
Jam secura gloriaris,
Juncta Christo coronaris
Super regni solium.

8. Omni laude mater digna,
Te laudanti sis benigna
In hac vita misera;
Imperatrix gloriosa,
Consolatrix viscerosa,
Nos a peccatis libera.

9. Quando dies erit irae,
Fac tormenta non sentire
Tua colentes gaudia,
Fac ut tecum nos laetemur
Et securi jucundemur
In coelesti patria.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

73. De Gaudiis BMV.

1. Gaude, mater, semper gaude,
Vere summa digna laude,
Gaude, mater luminis;
Eja, nimis speciosa,
Potens et imperiosa,
Larga fonte numinis.

2. Gaude, Deum virgo paris
Et per rubum designaris
Non passum incendia,
Verbi pignus incarnati
Tuae datur caritati
In pacis stipendia.

3. Gaude, mater novi regis,
Per te dantur novae legis
Certa privilegia,
Imperatrix concordiae,
Mater misericordiae,
Flos de stirpe regia.

4. Gaude, tu praedestinata,
Ab aeterno dedicata,
Triclinium Domini,
Astra, solum, maria
Laudem promunt, o Maria
Tuo sancto nomini.

5. Gaude, libri prophetarum,
Figurae patriarcharum
Te diu praedicaverant,
Mater gratiae coelestis,
Medelam morbi scelestis
Te desideraverant.

6. Gaude, gaudium sanctorum,
Thesaurus apostolorum,
Martyrum victoria,
Confessorum laudis thema
Virginumque diadema,
Angelorum gloria.

7. Gaude, florens virgo Jesse,
Ecce Deus fecit esse
Florem et amygdalum,
Vas insigne plenum melle,
Omne malum procul pelle,
Aufer omne scandalum.

8. Gaude, regni vitae clavis,
Quam praeclara, quam suavis
Lucerna justitiae,
Vitae spes, dulcedo, salus,
Qua fugatur draco malus,
Organum laetitiae.

9. Gaude, quam mundus adorat,
Sanctorum chorus honorat,
Laudat universitas,
Omnibus nam profuisti,
Solatium contulisti,
Spe cadit adversitas.

10. Gaudet coelum, quod te videt,
Serenius totum ridet
De tua praesentia,
Omnis terra jucundatur,
Daemon tremit, mors fugatur
De tua potentia.

11. Gaude, rosa sine spina,
Peccatorum medicina
Lapsis dans remedium,
Eja, digna mediatrix
Et benigna consolatrix,
Pacis ferens medium.

12. Gaude, virgo mater Christi,
Gaudium quae genuisti,
Patris unigenitum,
In quo semper jucundaris
Et prae cunctis gratularis
Felix in perpetuum.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 10, 1 Gaude coelum. — 10, 2 Serenius en totum.

74. De Gaudiis BMV

In Nativitate BMV.

1. Tua, virgo, nativitas
Est miseris felicitas,
Peccatoribus sanitas
Et angelis festivitas.

2. Maria, coelo serenior,
Et sole es splendidior,
Nec non et luna pulchrior
Cunctisque astris clarior.

3. Angelis amabilior,
Adspectu es venustior,
Gratia elegantior,
Cunctis creatis dulcior.

4. Ergo, virgo, egregia,
Nata de stirpe regia,
Per te donetur venia
Supplicibus et gratia.

5. Melleum jam coeli rorem
Pluunt, ros infundit florem,
Flos mel stillat, mel odorem
Vitae spargit et saporem.

6. Ave, per hoc eulogium,
Concipis Dei filium,
Virginitatis lilium
Habens et matris gaudium.

7. O cella pigmentaria,
Vas plenum sapientia,
Virtutibus et gratia,
Nos gustu vitae satia.

8. Ave, felix hospitium,
Nullius sordis conscium,
Thalamus et palatium
Thronusque regis omnium.

9. Per illud, mater, gaudium,
Quod sensisti, dum filium
Gestabas, sis humilium
Spes salus et solatium.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

75. In Annuntiatione BMV.

1. Flos in flore exoritur,
In Nazareth dum nascitur
Rosa, de qua egreditur,
Flos, per quem salus redditur.

2. Hunc ortum cum laetitia
Laudemus et melodia
Dicentes: Ave, Maria,
Prae cunctis plena gratia.

3. Te Dei sapientia
Elegit super omnia,
Ut esses sibi propria
Sponsa, mater et filia.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

76. In Partu Virginis.

1. Ave, de qua nascitur
Puer, qui Jesus dicitur,
Per quem reus redimitur,
Dum innocens hic moritur.

2. Patrem paris, o filia,
Quis unvidit quam talia?
Sunt tamen permanentia
Castitatis insignia.

3. Tu Christi tabernaculum,
Angelo es spectaculum,
Virtutum habitaculum,
Miserorum umbraculum.

4. Tu castitatis lilium,
Viola es humilium
Rosaque patientium
Et flos sanctorum omnium.

5. Ergo, mater genitoris,
Flos, amore creatoris
Et sub alis salvatoris
Intus pasce, muni foris.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

77. In Circumcisione.

1. Gaude, dum circumciditur
Puer, qui Jesus dicitur,
Qui legi sponte subditur,
Sed lege nulla stringitur.

2. Illius circumcisio
Est nobis admonitio,
Ut caveamus vitio
Et peccati contagio.

3. Ergo, Maria, precibus
Tuis detur humilibus
Circumcidi a sordibus
Peccatorum et funibus.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

78. In Epiphania.

1. Gaude, cujus uberibus
Nutritur, qui a regibus
Honoratur tam precibus
Quam mysticis muneribus.

2. Da nobis, mater gratiae,
Thus bonae conscientiae
Myrrhamque patientiae
Et aurum sapientiae.

3. Rore coeli nos rigari
Lacrimisque baptizari,
Trinitatem contemplari,
Fac amore debriari.

4. Aquam nostram fac mutari,
Vinum novum nobis dari,
Ut possimus epulari
Sic cum Christo et laetari.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

79. In Purificatione.

1. Gaude, mater, prae ceteris,
Quae cum Dominum peperis,
Nulla lege constringeris,
Licet legem impleveris.

2. Par avium pro filio
Offers in sacrificio,
Quem Simeon prae gaudio
Fovet ulnis ac gremio.

3. Turtures castimoniae,
Devotionis et gratiae,
Columbas innocentiae
Fers, pacis et concordiae.

4. Da nobis sanctimoniam,
Compunctionis gratiam,
Columbae innocentiam
Et mutuam concordiam.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883, saec. 14/15.

80. In Passione.

1. Filiae Sion, cernite,
Natum meum et plangite,
Qui pro vobis in stipite
Pendet demisso capite.

2. Homo, mihi compatere,
Tam infelici, tam miserae,
Videnti natum deficere
Atroci mortis genere.

3. Prae dolore deficio,
Quod torqueri conspicio
Filium, cujus passio
Est cordi meo scissio.

4. O mater cui viscera
Sputa torquent et verbera,
Probra, clavi, crux, vulnera,
Fel, spinae et mors aspera;

5. Pro nobis ora filium,
Pro quibus hoc supplicium
Tulit, ut simus civium
Cohaeredes coelestium.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15. — 2, 3 lies Vide natum?

81. De Resurrectione.

1. Mater Christi, noli flere,
Cesset dolor quia vere,
Jam surrexit, hoc dixere
Angeli, qui adfuere.

2. Gaude plene, cesset fletus,
Redit victor leti laetus
Et sanctorum secum coetus
Immortali dote fretus.

3. Fac nos ergo resurgere
Cum electis et sapere
Deum frui et cernere,
Quod erit vere vivere.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

82. In Ascensione.

1. Gaude, quae vides filium
In summitate nubium
Patris petentem solium,
Per quem fit judex omnium.

2. Super coelos exaltatur
Et a patre coronatur,
Coaequalis adoratur,
Coelo, terrae dominatur.

3. Terra, pontus, astra, caeli
Adorant hunc et angeli,
Mente pura et fideli
Collaudant et archangeli.

4. Sponsa, parens et filia
Tanti regis, qui omnia
Gubernat, nos ad gaudia
Perduc de hac miseria.

Cod. Palatin. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

83. In Assumptione.

1. Gaude, felici gaudio
Assumpta jam a filio,
Quae frueris colloquio,
Amplexu et obsequio.

2. Tota coelestis curia
Procedit tibi obvia,
Sede locaris regia,
Praecellis omni gloria.

3. Jam dilectum contemplaris,
Contemplando veneraris,
Venerando oscularis,
Osculando jucundaris.

4. Porta coeli, stella maris,
Mundi portus salutaris,
Gemma coeli singularis,
Margarita expers paris.

5. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
De lacu nos miseriae
Transfer ad regnum gloriae.

6. O Maria, considera,
Quod propter nos puerpera
Sis, et quod tua ubera
Suxit, qui regit aethera.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

84. De Trinitate.

1. Gaude, felix et beata,
Deo patri consecrata,
Verbo Dei impregnata,
Sancto spiritu dotata.

2. Tu patris es solatium,
Christi regale solium,
Paracliti sacrarium,
Trinitatis triclinium.

3. Nos commenda trinitati,
Sanctae patris bonitati
Filiique pietati,
Spiritus benignitati.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

85. De sancto Spiritu.

1. Gaude, quam sanctus spiritus
In ventre matris primitus
Consecravit divinitus
Et sic replevit penitus.

2. Hinc devota humilitas,
Hinc tibi flagrans caritas,
Hinc fecunda virginitas,
Hinc virtutum fecunditas.

3. Nos purgatos a peccatis
Rore riga sanctitatis,
Gratia sancti pneumatis
Et ardore caritatis.

4. Memento, cur eligeris
Vel cur mater efficeris,
Quod vere si perpenderis,
Homini misereberis.

5. Ex te carnem assumere
Elegit, ut redimere
Posset nos et educere
Christus de mortis carcere.

6. Mater Dei hinc vocaris
Et regina appellaris,
Coelo, terrae dominaris
Et a cunctis veneraris.

7. Nobis pro tanto munere
Debes jure succurrere
Et contritos suscipere
Deoque restituere.

8. Te ergo flexis genibus
Oramus ac gemitibus,
Ut in supernis sedibus
Jungamur coeli civibus.

9. Ubi felici gaudio
Dei ac tuo filio
Fruamur et haec actio
Nostra sit laus et visio.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

86. Missa Sanctae Mariae Virginis.

Introitus.

1. Matrem Christi salutemus,
Opem ejus imploremus,
Adsit ad introitum;
Benedictam hanc dicemus,
Trinitati inclinemus,
Nobis det auxilium.

Kyrie eleison.

2. Jubilantes hinc angeli
Ordines novem coelici
Laudent Deum in Sion,
Devoti quoque famuli
Alternatim et singuli
Dicant Kyrie eleison.

Laus angelica.

3. Sit gloria altissimo,
Pax quoque in hoc saeculo
Bonis voluntatibus,
Cum cantico angelico
Patri, nato, paraclito
Detur laus ab omnibus.

Collecta.

4. Sanitatem hinc famulis
Det mentis atque corporis
Per virginis precamen,
Soluti a tristitiis
Fruamur coeli gaudiis,
Ad quod dicamus Amen.

Epistola.

5. Ab initio saeculi
Creandam matrem Domini
Prophetae praedixerunt,
De Sion monte fertili
Fructus est datus virgini,
Quem omnes gustaverunt.

Gradale.

6. Sancta et venerabilis,
Virgo inviolabilis,
Intacta permanseras,
Es mater generabilis,
Qui est interminabilis,
Deum in te clauseras.

Alleluja.

7. Alleluja hinc resonat,
Virga Jesse floruerat,
Castum germen cum flore,
Ima summis conciliat,
Quae virgo sancta generat
Virgineo virore.

Tractus.

8. Nunc virgo mater gaudeat,
Quod haereses interimat
Verbis credens angeli;
Post partum virgo manserat,
Pro nobis interveniat
Prece sua supplici.

Evangelium.

9. Constat, quod evangelium
Ventrem, qui gessit Dominum,
Beatum clamat esse;
Quicumque audientium,
Verbum Dei tenentium,
Beati sint, necesse.

Credo.

10. Tenentes fidem fortiter,
Per quam credimus firmiter
Deum natum virgine,
Passum pro nobis acriter,
Surgens scandit alacriter
In coelorum culmine.

Offertorium.

11. Es Mariavirgo grata,
Quae portasti illibata
Ipsum, qui te fecerat,
A quo cuncta sunt creata,
Per incensum illum placa,
Veniam ut tribuat.

Secreta.

12. Mariae intercessio,
Dei propitiatio
Proderit fidelibus,
Pia nostra oratio,
Exigua oblatio
Volet in coelestibus.

Praefatio.

13. Alte libet exclamare,
Deum semper collaudare
In honore virginis,
Voluit hanc obumbrare
Dono sancti flatus clare
Matrem veri luminis.

Sanctus.

14. Rite inde subsequatur
Terque Sanctus decantatur
Sabaoth Deo summo,
Benedictus acclamatur,
Nomen Dei invocatur,
Hosanna alto sono.

Canon.

15. Igitur patrem omnium
Per Jesum Christum Dominum
Suppliciter rogemus,
Pro statuque fidelium
In terris hic viventium,
Memoriam tenemus.

Communicantes.

16. Et Maria eximia,
Sanctorum quoque agmina
Intercedant sedule,
Ut nostra sint servitia
Accepta et familia
Ne damnetur misere.

Silentium.

17. Verbo panis conficitur,
In corpus Christi vertitur
Vinumque in sanguinem;
Hinc passio recolitur,
Christus surgens regreditur
Ad coelorum apicem.

Supra quae.

18. Intuere, pater clare,
Et dignare acceptare
Puram nostram hostiam,
Quondam patres immolare
Solent et sacrificare,
Hanc signabant victimam.

Supplices.

19. Rogamus omnes supplices,
Per angelum suscipies
Vota tui populi
In sublimi, quo resides,
Altaris fac participes
Corporis dominici.

Memoria defunctorum.

20. Gementes quoque petimus
Memoriamque facimus
Pio desiderio
Pro animabus omnibus
In Christo quiescentibus,
Sint in refrigerio.

Nobis quoque.

21. Insuper peccatoribus
Pie in te sperantibus
Dona partem gratiae
Cum sanctis tuis omnibus,
Apostolis, martyribus,
Hos cum illis insere.

Oratio Dominica et Agnus.

22. Nunc pater coelis residens
Et regnum suum tribuens
Nos a malis liberet,
Agnus peccata auferens,
Et pacem nobis largiens
Sibi nos incorporet.

Communio.

23. Intret nostra praecordia,
Quem portaverunt viscera
Gloriosae virginis,
Expellat cuncta crimina
Et maneat cum gratia
Donis replens coelicis.

Complenda.

24. Sumpta tanta subsidia
Per virginis precamina
Nostrae prosint saluti,
Ad coelos missa hostia
Nos protegat per omnia
Sic erimus securi.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Dies Lied ist keine liturgische Messe, nicht ein Meſsformular für den Celebrans, sondern ein solches für den der Messe Anwohnenden. Wäre es statt für die stille Andacht für den Gesang bestimmt gewesen, so hätten wir in ihm das älteste Beispiel einer sg. Singmesse.

87. Alphabetum archangelicum

in laudem BMV.

1. Arca deitatis,
Aula summae majestatis,
Fons totius bonitatis.

2. Balsamo suavior,
Angelis laude dignior,
Tu cunctis sanctis sanctior.

3. Convallis lilium,
Nobis post hoc exsilium
Ostende tuum filium.

4. Dulcis mellis unda,
Duc de faecis me profunda,
O fecunda, me fecunda.

5. Evae liberatrix,
Creaturae reparatrix,
Cordium illuminatrix.

6. Fulgens solis cella,
Tu splendida maris stella,
Mater simul et puella.

7. Gemma pretiosa,
Gelu non attrita rosa,
Virga Jesse fructuosa.

8. Hamus caritatis,
Plenitudo pietatis,
Tu me munda a peccatis.

9. Inventrix gratiae,
Et genitrix laetitiae,
Tu speculum munditiae.

10. Karitate plena,
Fons signatus, vitae vena,
O quam dulcis et serena.

11. Lumen angelorum,
Expugnatrix vitiorum,
Miseratrix miserorum.

12. Mater Jesu Christi,
Verbum verbo concepisti,
Serva me a morbo tristi.

13. Nubes pluviosa,
Coeli porta, lux jocosa,
Imperatrix gloriosa.

14. Ortus voluptatis,
Flos et fructus suavitatis,
Radix immortalitatis.

15. Parens absque pari,
Ne in mortis torculari
Me permittas condemnari.

16. Quae es vitae via,
Dulcis, clemens, casta, pia,
Spes reorum, o Maria.

17. Rubus visionis,
Vellus madens Gedeonis,
Sponsa prudens Salomonis.

18. Stella luminosa,
Caritate radiosa,
Florens vitis generosa.

19. Templum trinitatis,
Tu sigillum castitatis,
Tu lucerna claritatis.

20. Virginum regina,
Rosa sine culpae spina,
Es doloris medicina.

21. Xristi praenotata,
Virgo mater illibata,
Super coelos exaltata.

22. Yesse flos pudoris,
Florens vitis, vas honoris,
Fons dulcoris, stilla roris.

23. Zyma veri David,
Auster lenis te perflavit
Et perflando fecundavit.

24. Et hoc alphabetum
Tuae laudi est completum,
Fac me, virgo, semper laetum.

25. Mihi fer ducatum,
Plasmatorem fac placatum
Faciendo me beatum.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 1, 1 Ave area deitatis gegen das sonst beobachtete Versmafs; vermutlich ist dies „Ave" vor jeder Strophe zu ergänzen. — 1, 3 Et fons totius.

88. Aliud Alphabetum.

1. Ave, rosa vernans flore,
Virgo praegnans coeli rore,
Bysso candens plus nitore,
Mater facta miro more.

2. Conditorem per suave,
O Maria, gignens Ave,
Dextram tende, votis fave,
Culpae tollens onus grave.

3. En ab uno vix respiro,
Bino fixus morsu diro,
Forma vitae, quam suspiro,
Me intende, te requiro.

4. Gemens precor sub peccatis
Nudus veste caritatis,
Horrens formam foeditatis
Fontem peto puritatis.

5. In te cunctis, o Maria,
Exoranda mente pia,
Karitatis patet via,
Lex virtutum et sophia.

6. Laxa nodos peccatorum,
Christi causa miserorum
Mater facta, quo reorum
Sis asylum, laus bonorum.

7. Nunc justorum adsis laudi,
Peccatorum fletus audi,
Opem ferens nos exaudi,
Ne mens ulli cedet fraudi.

8. Pelle moesta, confer laeta,
Mundi regna sint quieta,
Quo letali cura spreta
Sit vitalis vitae meta.

9. Reple sancto nos timore,
Fide recta, spe, amore,
Sis tutela mortis horae
Acherontis a terrore.

10. Tuum nomen mihi foedo
Perpes mentis sit dulcedo,
Vitiorum nam, ut credo,
Omnis cedet sic nigredo.

11. Xristi luce me beari
Da, quam lingua nequit fari,
Ymmo jungens laude pari
Fac electis conlaetari.

12. Zelo pestis crucietur,
Homo per te quod salvetur,
Et ut Deus hinc laudetur,
Perpes nobis regnum detur.

Psalt. ms. Lirense saec. 14. Cod. Londinen. Add. 16975.

89. Meditatio de BMV.

1. Ave, sacrum vitae flumen,
Paradisi purum lumen,
Nos clementer respice,
Intra domum ubertatis
Nos torrente voluptatis
Abundanter refice.

2. Ave, clara stella maris,
Disciplina salutaris,
Nos emunda vitio,
Te permittas nunc apprendi
Per exemplum te sequendi,
Ne nos tangat ultio.

3. Ave, domus castitatis,
Templum purum sanctitatis,
Dei plena gratia,
Nostram offer Deo precem,
Cordis nostri munda faecem
Delictorum venia.

4. Ave, virgo mons electus,
In quo Deus carne tectus
Elegit quiescere,
Qui nec dolum unquam egit,
Nec pudoris claustra fregit,
Cum te fecit parere.

5. Ave, virgo quam invenit
Puram Deus et praevenit
Benedictionibus,
Cujus caput pater unxit
Et ornavit et distinxit
Virtutum lapidibus.

6. Ave, virgo, fructu cujus
Et sapore fructus hujus
Recreatur populus,
Facta virga florem dando,
Mortem hostis effugando
Facta tamquam baculus.

7. Ave, virgo, fons signatus,
Quam signavit Christus natus
Vultus sui lumine,
Dum in ortu salvatoris
Stat illaesus flos pudoris
Obumbrante flamine.

8. Ave, virgo, pro me roga,
Te produxit synagoga
Sicut spina lilium,
Dereliquit te Judaeus
Et assumpsit sponsus Deus
In throni consortium.

9. Ave, templum Dei sanctum,
Peccatoris audi planctum
Et cordis suspiria;
Dei coelum, Dei sedes,
Duc et rege nostros pedes
Ad coeli sedilia.

Orat. ms. Tegrinsense saec. 15. Clm. Monacen. 20110 A. — Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. B. — 1, 1 vitae lumen B. — 6, 1 fructus AB.

90. Jubilus de singulis membris BMV.

1. Ave, Maria, virgo pia,
Vita dia, lux et via,
Omni plena gratia,
Angelorum imperatrix,
Coeli, terrae dominatrix,
Tu sola dans solatia.

2. Salve, sacrum Dei templum,
Tu virtutis es exemplum
Et speculum munditiae,
Tu lilium castitatis,
Viola humilitatis,
Flos candens pudicitiae.

3. Te saluto corde laeto,
Opem tuam supplex peto,
O mater benignissima.
Me dignare te laudare,
Laudes tuas decantare
Mente sincerissima.

4. Scio, quodsi lingua foret
Omne, quod sub coelo floret,
Te digne non exprimeret,
Omnis quoque creatura
Corporalis atque pura
Laudare non sufficeret.

5. Tu coelorum ornamentum,
Tu virtutum documentum,
Tu decus es ecclesiae,
Tu fidei firmamentum,
Vere pacis condimentum,
Tu firma es spes veniae.

6. Nulla pars est caritatis
In te neque pietatis,
Sed es tota caritas;
Fons tu vivus pietatis,
Fons totius amoenitatis
Atque omnis pietas.

7. Tu mater integerrima,
Tu virginum pulcherrima,
Tu prole fecundissima,
Tu corpore sanctissima
Et spiritu mundissima
Ac mente lucidissima.

8. Nulla virgo tam formosa
Fuit nec est speciosa
Ut Hierusalem filia,
Quae verum regem generavit,
Deum et hominem pavit
Decorum super lilia.

9. Tu, Maria, stella maris,
Medicina salutaris
Es corporum et cordium.
Fons signatus, clausus hortus,
Via pacis, vitae portus,
Pauperum refugium.

10. In hac valle lacrimarum,
In hoc loco tenebrarum
Contra fraudes hostium
Nos custodi et defende,
Sis adjutrix et impende,
Quod est utilissimum.

11. Gloriosa Dei mater,
Cujus natus est et pater
Patris unigenitus,
Cujus alvum fecundavit,
Praeaptavit, praeoptavit
Virtus sancti spiritus,

12. Intercede pro peccatis
Apud fontem pietatis
Atque misericordiae,
Fac nos vere poenitentes
Commissa nec non deflentes,
Dum tempus est veniae.

13. Jesu, fili summi patris,
Christe, nate sanctae matris
Et intactae virginis,
Qui de coelo descendisti
Et descendens induisti
Veri formam hominis,

14. Genitricis pia prece
Nos a luto et a faece
Peccatorum ablue
Et largire vitam puram
Atque pacem permansuram
Et salutem animae.

15. Salve, thorus virginalis,
Cella flagrans et regalis,
Thronus sapientiae,
Lectus florens Salomonis,
Vellus madens Gedeonis,
Thalamus justitiae,

16. De quo Christus tamquam sponsus
Carne tectus et absconsus
Processit temporaliter,
Sumens illud, quod non erat,
Manens semper perseverat,
Quod fuit aeternaliter.

17. O quam felix et quam mundus
Castus simul et fecundus
Uterus est virginis,
In quo mira commixtura
Fit cum deitate pura
Carnis atque sanguinis.

18. In hac reconciliata
Atque sic confoederata
Terrigenis coelestia,
In hac vera justitia
Atque misericordia
Dederunt pacis oscula.

19. O Maria, mater pia,
Tu coelestis hierarchia
Immensae deitatis,
Mundissimum tu scrinium
Et nobile triclinium
Totius trinitatis.

20. Tu arca munda beatorum,
Ferens panem angelorum
Verae satietatis,
In quo candor atque sapor,
In quo decor atque odor
Omnis jucunditatis.

21. Nobis ventris tui florem,
Nostrum pium redemptorem
Festina mitigare,
Ne pro commissis vitiis
Tartareis suppliciis
Nos velit commendare.

22. Ave, salve, cor insigne
Matris piae ac benignae,
Mariae semper virginis,
In quo mellis est dulcedo,
Lactis candor nec nigredo
Nec ulla nota criminis.

23. Virgo mater et regina
Coeli, nobis hic proprina
Tui cordis dulcedinem;
Cordi meo fer medelam,
Contra hostes da tutelam,
Da mentis aptitudinem.

24. Ave, cor immaculatum,
Cor dilectum, cor beatum,
Cor plenum omnis gratiae;
Salve, vera salus mundi,
Tollens carmen pereundi,
O vas misericordiae.

25. Vas repletum cunctis donis,
Patens malis atque bonis,
Dans pacis beneficia,
In hoc vase me conclude,
Dulcis mater, nec exclude
A tua grata gratia.

26. Ave, cor, quod Simeonis
Ensis transit passionis
Mortis in articulo
Jesu Christi salvatoris,
Mundi omnis qui moeroris
Nos solvit a periculo.

27. Ave, pectus venerandum,
Ad quod nunquam deflorandum
Peccantis manus subiit,
Semper manet illibatum
Pectus sacrum, Deo gratum,
Pudoris munus obtulit.

28. Salve, felix puerpera,
Cujus sacra ubera
Praedulci plena lacte
Dei lactarunt filium,
Qui venit in exsilium
Sed sponte non coacte.

29. Maria, tua ubera
Felicia sunt munera,
Cum quibus decoratur
Humilitas et castitas,
Sanctorum his societas
Plus vino delectatur.

30. Hae sunt gemelli hinnuli,
Duo conversi populi
Ad fidem trinitatis,
Quos virgo lacte debrias,
Dum ab errore revocas
Ad fidem veritatis.

31. O Maria, mater pia,
Nos certantes in hac via
Materno vultu respice;
Dulcis Jesu, per mamillas,
Quas suxisti, me per illas
In hora mortis adscipe.

32. Caput tuum ut Carmelus,
In quo verus Helisaeus,
Aeterna salus, scanderat,
Dum te matrem pietatis,
Caput omnis sanctitatis
Virtutibus repleverat.

33. Ave, caput delicatum,
Membris sacris decoratum,
Quae digna sunt praeconio;
Salve, dulcis et benigna,
Mater pia, sola digna
Coeli testimonio.

34. Salve, vultus generosus,
Quem rex forma speciosus
Prae cunctis adamavit,
Omnes jure venerantur
Vultum hunc et deprecantur,
Quos Christus liberavit.

35. Morte sua tam amara,
Quam in sancta crucis ara
Pro nobis sponte pertulit,
Dum se ipsum munus gratum,
Sacrosanctum, illibatum
Aeterno patri obtulit.

36. O regalis tuus vultus,
Mater pia, quam incultus
In illa hora cernitur,
Dum ex crebris lacrimarum
Guttis a te effusarum
Flebiliter perfunditur.

37. O imago trinitatis,
Fons totius bonitatis,
Tuere me propitius,
Pia mater, me defende
Tuum vultum et ostende
In hora mei exitus.

38. Manus sanctae, vos avete,
Cunctis donis adimpletae,
Nunquam reclusae miseris,
Sed apertae et extentae
Semper manent et repente
Dant dulces opes muneris.

39. O quam plures sunt referti
Donis tuis et experti,
Maria dulcissima,
Quos a justa Dei ira
Opem ferens arte mira
Nam trahis promptissima.

40. O dextera manus, ave,
Genitricis Dei, qua vae
Mundi sublatum creditur;
Holofernes hac truncatur
Dextra, Satan debellatur,
Serpentis caput teritur.

41. Haec est sacra manus ista,
De qua rex atque psalmista
Dulci psallit cithara:
Meam manum tenuisti
Dextram et sic assumpsisti
Me in tua gloria.

42. Salve, manus o sinistra
Dulcis matris, quae ministra
Aeterni regis exstitit,
Dum hunc parvum contrectavit,
Lavit, pavit, bajulavit
Ac dona quaeque praestitit.

43. Jesu Christi mater clemens,
Qui sub tuas flens et gemens
Palmas prorsus fugio,
Suavis mater, non evellas
Me a te neque repellas
A dulci tuo gremio.

44. Mundi salus et dulcede,
O Maria, nunc accedo
Ad tuos pedes propere;
Pedes sancti, vos saluto
Genu flexo, corde tuto,
Prostratus toto corpore.

45. O quam pulchri tui gressus,
Quam pudicus et incessus,
Aeterni nata principis,
Cui vere te amanti
Et nil tibi deneganti
Materno jure praecipis.

46. Ergo sacros tuos pedes,
Quae in summo throno sedes,
Complector cum fiducia,
Petens, ut in mortis hora
Me defendas absque mora
Ab hostium astutia.

47. O solamen singulare,
Noli pia tunc tardare
Ad protegendum propera.
Funde preces salvatori
Et concede bene mori
In hujus vitae vespera.

Conclusio.

48. O Maria, mater lucis,
Quae ad lumen caecos ducis
Esto mihi praevia,
Peccatoris preces audi,
Fac intentum tuae laudi,
Christo reconcilia.

49. Ora regem ex te natum,
Ut me multis implicatum
Curis et erroribus
Mundum reddat a peccatis
Et infundat veritatis
Lumen meis sensibus.

50. Cum virtute caritatis
Det amorem paupertatis
Et spiritum humilem,
Sanae legis intellectum
Spiritalem atque rectum
Animumque docibilem;

51. Mores pios ac jucundos,
Hos ab omni sorde mundos,
Quos exornet castitas,
Appetitum aeternorum
Et contemptum terrenorum,
In quibus est vanitas.

52. Ut agendi donet nosse,
Velle simul atque posse,
Pro me simul postula,
Ut cum mortis solvam jura,
Vivam liber a pressura
Per aeterna saecula.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. — „Explicit jubilus S. Bernhardi abbatis ad beatam Mariam de singulis ejus membris." — 9, 3 Esto corporum. — 32, 3 scenderat. — 43, 5 nec repellas. — Str. 1—8 stehen als eigenes Lied bei Mone II, 403.

91. Super „Magnificat".

1. Ave, nostra spes in vita,
Maria sanctificata,
Digne appellaris ita,
Virgo mater ter beata,
Vera mundi margarita,
Nobis pro salute data,
Indulge nobis debita,
Cuncta largire rogata.

2. Magnificas propaginem,
Quae simul cuncta creavit,
Te ad similitudinem
Suam propriam formavit,
Te praeelegit virginem
In matrem et consecravit,
Ut hominum propaginem
Redimeret, quae peccavit.

3. Et merito et numero
Tu sola sanctificata
Atque a matris utero
Virgo semper conservata,
Castitatem Deo vero
Voves sibi consecrata
Ejusque salutifero
Dono gaudens es laetata.

4. Quia Deus munditiae
Tuae et humilitatis
Cernens, carnem miseriae
Sumpsit et humanitatis,
Portasti regem gloriae
Nil habens anxietatis,
Manente pudicitiae
Floreque virginitatis.

5. Quia mater genuisti,
Dicta es, virgo, beata,
Generosa exstitisti,
Quamvis ancilla vocata,
Vere digna tu fuisti,
Olim stirpe David nata,
Virgo, mater Jesu Christi,
Esto nostra advocata.

6. Et nunc summe creatoris
Sponsa gloriosissima
Atque mundi salvatoris
Mater pretiosissima,
Virgo insignita moris,
Stirpe generosissima,
Omnis laudis et honoris
Ex merito dignissima.

7. Fecit te, qui per te natus
Deus de Deo filius,
Sed pro nobis generatus
Apparuit propitius,
Circumcisus, tumulatus,
Surgens ascendit altius,
Ipse, mater, advocatus
Per te fiat atque pius.

8. Deposuit et posuit
Omnium iniquitates
Super se atque tribuit
Aeternas felicitates,
Sic erit, ut est et fuit,
Quando creans potestates,
In tempore dum induit
Nostras imbecillitates.

9. Esurientes cibavit
Ferculo substantiali
Atque corda illustravit
Lumine spirituali,
Verum panem se donavit
Suis more filiali,
Tua prece, quos creavit,
Salvet dono speciali.

10. Suscepitque supplicia
Propter hominum peccata,
Ut ejus beneficia
Sanarent mortificata,
Donarent quoque praemia
Nobis olim heu ablata,
Hunc placare, virgo pia,
Vera mater, cujus nata.

11. Sicut jam es in copia
Omnium deliciarum
Et larga das suffragia
Hac in valle lacrimarum,
Nostra dele contagia
Atque genera poenarum,
Ut pariter in patria
Te fruamur, jubar clarum.

12. Tibi honor et gloria
Nobis tuumque juvamen
Detur, virtus, victoria
Contra hostium conamen,
Ut sumptis a miseria
Pater, natus atque flamen
Nobis concedat gaudia
Hic et in aeternum. Amen.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. mit der Schlufsbemerkung: „Explicit laus angelica super Magnificat.“ — 5, 2 virgo ergänzt. — 6, 6 Stirpte. — 9, 8 Saltem dono. — 12, 4 hostium citamen.

92. Super „Ave Maris stella“.

1. Ave maris stella,
Gloriosa puella,
Dei mater alma,
Florens velut palma,
Atque semper virgo
Pariens cum gaudio,
Felix coeli porta,
Ex qua lux est orta.

2. Sumens illud ave
Jucundum et suave
Gabrielis ore
Cum magno honore,
Funda nos in pace
Tua sancta prece,
Mutans nomen Evae
Ne dicamus: vae, vae.

3. Solve vincla reis
Culpam lavans eis,
Profer lumen caecis,
Mater verae lucis,
Mala nostra pelle,
Carens omni felle,
Bona cuncta posce,
Delictis ignosce.

4. Monstra te esse matrem
Placans Deum patrem,
Sumat per te precem
Donans nobis pacem,
Qui pro nobis natus
Nostros solvens reatus
Tulit esse tuus
Semper manens Deus.

5. Virgo singularis,
Mater salvatoris,
Inter omnes mitis,
Nostrae spes salutis,
Nos culpis solutos,
Tua prece adjutos
Mites fac et castos
Tibique devotos.

6. Vitam praesta puram,
Deo placituram,
Iter para tutum
Atque impollutum,
Ut videntes Jesum
Placatum et laetum
Semper collaetemur,
Ipsumque veneremur.

7. Sit laus Deo patri,
Sit laus virgini matri,
Summo Christo decus
Cum genitrice ejus,
Spiritui sancto
Laus et benedicto,
Honor trinus et unus,
Quem unum colimus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 18. — 3, 2 lavans ejus. — 3, 8 Et delictis. — 6, 6 Placantem. — 7, 8 Quem unum Deum.

93. Super „Regina Coeli".

1. Regina coeli, laetare,
Si quaeras, o virgo, quare,
Vox respondet angelica:
Quod meruisti portare
Passum Dei salutare,
Tuba psallens harmonica,

2. Jam a morte suscitatum,
Sicut erat praelibatum
Sua voce prophetica.
O mi mater, ora natum,
Ut per tuum nos rogatum
Ad regna ducat coelica.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

94. Acrostichon super „Ave Maria".

1. Ave, coeleste lilium,
Ave, rosa speciosa,
Ave, mundi praesidium,
Ave, mater gloriosa,
Superis imperiosa,
Trinitatis triclinium,
Hac in valle lacrimosa
Da robur, fer auxilium.

2. Virgo pia sine pare,
Gabriele nuntiante
Quae meruisti portare
Jesum, sacro flatu flante,
Virgo partu, post et ante,
Refugium singulare,
Hac in valle vacillante
Tuos servos consolare.

3. Ecce, stupet humanitas,
Quod sis virgo puerpera,
Scire nequit fragilitas
Tantae virtutis opera,
Fides transcendens opera
Confitetur et veritas,
Ex te, mater Christifera,
Carnem sumpsit divinitas.

4. Mater natum, patrem nata,
Stella solem genuisti,
Creatorem res creata,
Fontem rivus emisisti.
Vas figulum peperisti,
Virgo manens illibata,
Per te nobis, mater Christi,
Est perdita vita data.

5. Almissima sunt viscera,
Quae Domini sunt conclave,
Sanctissima sunt ubera,
Quae suxit, et lac suave,
Quo lactatur; mater, ave,
Quae regnas super sidera,
Perpetuae mortis a vae
Nos et a morte libera.

6. Rosa decens, rosa munda,
Rosa recens sine spina,
Rosa florens et fecunda,
Rosa, gratia divina
Facta coelorum regina,
Non est nec erit secunda
Tibi; reis medicina,
Nostris coeptis obsecunda.

7. In scripturis figurata
Multis locis ostenderis,
Aenigmatibus monstrata,
Sacris ut patet literis
Testamentorum veteris
Et novi; jure praelata
Mulieribus ceteris,
Super omnes elevata.

8. Ante mundi originem
Te Dominus ordinavit,
Coeli dum latitudinem
Sapienter fabricavit;
Ex tunc mente sancta cavit
Per te matrem et virginem
Protoplasti, quo peccavit,
Expiare voraginem.

9. Gaude, virgo mater, gaude,
Per te mundus restauratur,
Cum civibus coeli plaude,
Quibus honor tibi datur.
Decus decens exsolvatur
Tibi, majus omni laude,
Quia per te liberatur
Omnis homo victa fraude.

10. Rigans mundum novo rore,
Novae prolis novitate
Nova facis novo more
Cuncta, mira claritate
Ex divina bonitate,
Fons ascendens in honore,
Rigans terram caritate,
Dei crescens in amore.

11. Arbor et lignum vitale,
In paradisi medio
Plantaris spirituale,
Cujus fructus fruitio
Replet omnia gaudio,
Nunquam fuit nec est tale,
Nec erit sine dubio
Lignum ita commodale.

12. Casta virgo, te fluvius
Voluptatis irrigavit
Paradisi, dum filius
Dei corpus habitavit
Tuum; terra tunc donavit
Nostra fructum uberius,
Et naturam reformavit
Nostram Deus in melius.

13. In paradisum posuit
Deus hominem filium,
Suum custodem tribuit,
Tuum corpus egregium.
Per Gabrielem nuntium
Dum visitare voluit,
Redemptorem eximium
Nobis enm exhibuit.

14. Arcam Noe fabricavit
    Sed de lignis levigatis,
Fabricatam subintravit
    Cum uxore et cum natis,
De parentibus beatis
    Sibi matrem te formavit
Dominus et a peccatis
    Te subintrans conservavit.

15. Pactum suum antiquitus
    Deus promisit patribus,
Arcum suum divinitus
    Ostendendum in nubibus,
Qui foederis est omnibus
    Signum promissum coelitus,
A Deo pax hominibus
    Datur in eo penitus.

16. Labor et timor fugiunt
    Arcu monstrato foederis,
Spes et gaudium veniunt
    Peccatoribus miseris,
Qui de reatu sceleris
    Flentes arcum conspiciunt,
Per promissum de superis
    Se consolatos sentiunt.

17. Est in arcu caeruleus
    Color, qui virginitatis
Typum gerit et rubeus
    Etiam, qui caritatis
Formam notat, puritatis
    Tuae demonstrat aqueus
Notam et humanitatis,
    Quam elegit in te Deus.

18. Nubibus coeli cerneris
    Arcus, qui nos illuminas,
Refulgens morum miseris
    Exempla cunctis seminas,
Haereses omnes terminas
    Et haereticos conteris,
In Christo quando geminas
    Naturas simul congeris.

19. Arcus insuperabilis,
    Arcus potens, arcus fortis,
Arcus dulcis, amabilis,
    Arcus patens coeli portis,
Post praesentis metam mortis
    Nobis inevitabilis,
Fac consortes tuae sortis
    Nos, virgo venerabilis.

20. Dormiens Jacob somnio
    Scalam vidit contingentem
Coelum, cujus confinio
    Deum vidit imminentem,
Angelorum descendentem
    Coetum vidit, promissio
Terrae sanctae per potentem
    Datur et benedictio.

21. O Maria, figuraris
    Scala, sed scalam superas,
Ab angelo salutaris,
    Deum hominem generas,
Super virtutes superas
    Per angelos collocaris,
Genus hominum liberas,
    Ergo longe plus bearis.

22. Mater, tua virginitas
    Rubo montis ostenditur
Horeb, cujus viriditas
    Per ardorem non uritur,
Sic nec tua corrumpitur
    Virginalis integritas,
Dum ventre tuo jungitur
    Humanitati deitas.

23. In vase manna positum,
    Ut servaretur, legitur,
Israelitis traditum,
    Neque vas manna frangitur;
In te Christus concipitur
    Virgo per sanctum spiritum
Neque tuae minuitur
    Virginitatis praemium.

24. Nobis manna mirificum
    Servasti mirabiliter,
Manna terminans typicum,
    Figuratum veraciter,
In te misericorditer
    Per illud manna coelicum,
Quod dabatur communiter
    Israel in viaticum.

25. Vetustum manna novitas
Tuae gratiae terminat,
Figurarum antiquitas
Fugit et lux illuminat
Nova, quos lex discriminat
Nova, cessat obscuritas,
Purgat, mundat, illuminat
Antiqua nova claritas.

26. Summus artifex omnium
Te providet, vas nobile,
Vas dignum, vas egregium,
Vas gratum, vas laudabile,
Vas cunctis venerabile
Famulis, ut edulium
Ministres delectabile
Panemque coeli civium.

27. Tu ministras hominibus
Verum panem angelorum,
Tuis natum visceribus
Pro salute peccatorum,
Hic est panis viatorum
Solis datus fidelibus
Hic est panis filiorum,
Qui non est dandus canibus.

28. Ecce, panis dulcissimus,
Ecce, panis amplectendus,
Ecce, panis pinguissimus,
Ecce, panis diligendus,
Ecce, panis recolendus,
Ecce, panis peroptimus,
Cibus cunctis praeferendus
Et prae cunctis gratissimus.

29. Cibus iste nos reficit,
Recreat et regenerat
Sibique mentem allicit,
Dirigit et confoederat,
Omne bonum exagerat
Et omne malum abjicit,
Vincit, regnat et imperat,
Auget, alit et perficit.

30. Vivus panis et vitalis,
Via veritas et vita,
Est hic panis immortalis
Et bonitas infinita,
Quo refulget praemunita
Nova sponsa spiritalis,
Synagoga definita
Perit et umbra legalis.

31. Manna cessat et coelicus
Nobis panis proponitur,
Panis verus vivificus
Nobis de coelo mittitur,
Christianis conceditur
Solis panis hic pisticus,
Quibus communis traditur
Verus panis angelicus.

32. Beatus tabernaculo
Moyses virgam posuit
Aaron, sed pro titulo
Sacerdotis quae fronduit,
Floruit, fructum habuit
Evidenti miraculo,
Sacerdotis obtinuit
Jus Aaron in populo.

33. Ecce, valde mirabilis
Res et miranda penitus,
Floret siccitas sterilis,
Gignit sicca sterilitas,
Parturit virgae siccitas,
Fructum portat et fertilis
Efficitur sterilitas,
Non fuit ante similis.

34. Notat virga florigera,
Quae naturae non opere
Efficitur fructifera,
Sed puro Dei munere,
Quod debebas concipere,
Virgo, nova puerpera,
Novum fructum et parere,
Post partum virgo libera.

35. Ecce, vere virgo parens
Germinasti campi florem,
Dei patris verbo parens
Mundi paris salvatorem
Puritatisque decorem
Non amittis, sorde carens,
Caritatis fundis rorem,
Quo rigatur mundus arens.

36. De Jacob nam oritura
    Nova stella praedicitur,
Ex Israel nascitura
    Virga nobis ostenditur,
Per quam Moab percutitur;
    Te praesignat haec figura,
De qua virga producitur
    Christus mirante natura.

37. Ista stella clarissima,
    Quam non violat radius,
Luce nitens purissima,
    Crystallo fulgens clarius,
Te significat verius,
    Virgo semper castissima,
Quam non violat filius
    Nascens ex te, purissima.

38. Consurgens virga florida
    Ex Israel, prophetice
Promissa, virgo nitida,
    Diceris virga mystice,
Egrederis de radice
    Jesse, potens et valida,
Florem profers mirifice
    Virgo materque gaudia.

39. Tu es virgo, tu es stella,
    Tu es gratiae fluvius,
Deitatis munda cella,
    Genitrix, cujus filius
Flos dicitur et radius
    Caritatis fundens mella,
Coelo lucens superius,
    Mundum servans a procella.

40. Ave, virgo, fertilior
    Universis arboribus,
Ave, stella, fulgidior
    Universis sideribus,
Factis, dictis, operibus
    Universis praestantior
Creaturis, hominibus
    Custos et quies tutior.

41. Tu Gedeonis rorida
    Concha coelestis diceris,
Rore manens et florida
    Lana compressa velleris,
Divini dono muneris
    Tu semper manens madida,
Solatium das miseris,
    Sed terra manet arida.

42. Verus coelestis luminis
    Tuam concham munditiae
Ros replevit, dum numinis
    Sacri munere gratiae
Plena solis justitiae
    Mater Dei et hominis
Fis, flore pudicitiae
    Vernans matris et virginis.

43. Implevit domum Domini
    Superni regis gloria
Suo sacrata nomini
    Salomonis industria,
Dum te superna gratia
    Gabrielis affamini
Paventem, virgo Maria,
    Replet dicatam numini.

44. Notat hic Dei filium
    Salomon, rex pacifixus,
Qui fecit thronum regium,
    Ut hic artifex coelicus
Et nuntius angelicus
    Praeparavit hospitium,
Nostrae salutis pisticus
    Verna deferens gaudium.

45. Maria, mater gratiae,
    Mater et fons bonitatis,
Mater misericordiae,
    Fons et fomes pietatis,
Triclinium deitatis,
    Mater solis justitiae,
Perpetuae claritatis
    Confers lumen et gratiae.

46. Uxor Nabal cum Davide
    Pacem datis muneribus,
Nabal reformat solide
    Benignissimis precibus,
Licet Nabal sermonibus
    Dictis factisque stolide
Meruisset doloribus
    Vitam finire turbide.

47. Larga Nabal convivia
Suo faciens tonsori,
Quaerendo temporalia,
Gulae vacans et honori,
Comparatur peccatori,
Dei danti convicia
Servis, unde morte mori
Debet propter haec vitia.

48. Iste desiderabilis
Vultu, David gratiosus,
Rex nulli comparabilis,
Manu fortis, bellicosus,
Clemens, purus, amorosus,
Christus est immutabilis,
Qui semper est gloriosus
In sanctis et mirabilis.

49. Es Abigail sapiens,
David deferens munera,
Nabal et David faciens
Precibus tuis foedera,
Dum pia lactis ubera
Christo dedisti nutriens,
Peccatoribus scelera
Tuis meritis leniens.

50. Regina, virgo regia,
De genere David regis,
Dei mater et filia,
Christi parens Christum regis,
Nostra mater, nostrae legis
Gaudium et laetitia,
Peccatorum fortis Aegis,
Decus, honor et gloria.

51. In te sola spes figitur
Omnis humani generis,
Per te solam destruitur
Adae peccatum veteris,
Vitae portus es miseris,
Per te salus acquiritur,
Nescit reatum sceleris,
Qui te devote sequitur.

52. Bonum est ergo subdere
Sese tuae servituti,
Secundum te se regere
Disponendo se virtuti,
Namque tui servi tuti
Per te possunt ascendere,
Coelum, vitam assecuti
Tecum semper et vivere.

53. Volens mundum saevitia
Principis Assyriorum
Subjicere nefaria
Manu collecta virorum,
Magnam plebem Judaeorum
Obsedit in Bethulia,
In mortem moestam eorum
Mente delirans impia.

54. Sancta Judith pro populo
Salvando se praeparavit,
Nocte surgens de lectulo
Vocans abram praeparavit,
Holoferni praesentavit
Se pro gentis periculo,
Necans eum liberavit
Cives a mortis jaculo.

55. Est civitas Bethulia,
Quam obsidet dissensio
Daemonisque perfidia
Et haeresis deceptio,
Conjuncta tuo filio
Nostra mater ecclesia,
Tuo tuta subsidio,
Munita tua gratia.

56. Tu es Judith pulcherrima,
Quae liberas ecclesiam
Holoferni acerrima
Vi per divinam gratiam,
Haeresisque perfidiam
Confutans spe certissima,
Fundens super familiam
Gaudia beatissima.

57. Benignus sapientiae
Spiritus et dulcedinis,
Consilii, scientiae,
Timoris, fortitudinis,
Lumen divini numinis,
Omnis generis gratiae,
Te replevit, ut hominis
Causa sis indulgentiae.

58. Edissa per connubium
Assuero conjungitur,
Thalamum subit regium,
Coronatur, praeficitur;
Suspecta Vasthi tollitur,
Esther habet dominium
Cunctis, Vasthi deponitur,
Amittit regni solium.

59. Notat Esther cor humile,
Cor contritum humiliter,
Cor dulce, cor amabile,
Cor diligens veraciter,
Cor contemplans sublimiter;
Vasthi notat, cor fragile,
Exaltans se perniciter,
Superbum et indocile.

60. Et te quid est humilius
Per cuncta mundi climata,
Dulcius, amabilius,
Destruens cuncta schismata?
Te, sacra probant dogmata,
Nil esse generosius,
Sacra probant aenigmata,
Et te nil esse mundius.

61. Designat Esther igitur
Te, qua nunquam humilior
In creaturis legitur
Fuisse nec suavior,
Pulchrior, amabilior,
Dulcior nulla dicitur,
Et propter hoc sublimior
Esse te nulla noscitur.

62. In Judaeos invidia
Saevit Aman perversitas,
Damnat eos perfidia
Crudelisque dolositas,
Mardochaei benignitas
Esther scribit euprepia,
Mutetur ut crudelitas
Decreti regis impia.

63. Condolet Esther fratribus
Totius sui generis,
His auditis rumoribus
Regem adit, qui foederis
Signum dedit pestiferis
Morti datis complexibus,
Damnatur Aman sterilis
Ejus notis criminibus.

64. Tu es Esther, perfidiam
Aman reprimens gnaviter,
Famulorum miseriam
Exterminans benigniter,
Regi summo feliciter
Desponsata per gratiam,
Coronata perenniter,
Regni tenens potentiam.

65. Vere notat inimicum
Aman humani generis,
Dirum serpentem lubricum,
Jure pulsum de superis,
Condemnatum in inferis,
Accusatorem iniquum,
Quem tu calcas et conteris,
Deum reddens pacificum.

66. Sicut pupillam oculi
Salvos servas servos regis,
Tu solamen es saeculi,
Refugium tui gregis,
Summa sponsa summi regis,
Caput conteris zabuli,
Tu es verus liber legis
Et arcae tabernaculi.

67. Flos vernalis, flos lilii,
Flos florum, decus virginum
Diceris et auxilii
Fons plenus, custos hominum,
Cujus attraxit Dominum
Et angelum consilii
Dulcis odor, ut terminum
Nobis daret exsilii.

68. Ramum ferens viventibus
Ore columba proprio
Foliis fluctuantibus
Generali diluvio,
Quos turbarat undatio
Noe natis, conjugibus,
Refovit eos gaudio
Salutis intuitibus.

69. Una serpentem partica
Deserto tulit aeneum,
Ut si virus, vis toxica
Quemquam laeserat Hebraeum,
Sanaretur videns eum,
Ope Dei mirifica
Propellente vipereum
Virus virtute deica.

70. Columba tu simplicior
Omni, turtur humilium,
Salus hominum tutior,
Mundo tulisti gaudium
Enixa Dei filium,
Omni veneno fortior
Medicina peccantium,
Signo serpentis promptior.

71. Tu es porta, quae clauditur
Apertionis nescia,
De qua propheta loquitur,
Homini nulli pervia,
Qua Dei sapientia
Ingreditur, egreditur,
Semota violentia
Per egressum non frangitur.

72. Virginitas est janua,
Qua coelo fulgens altius
Coeli non linquens ardua
Messias, Dei filius,
Conceptus est, exterius
Carne tectus exigua,
Corpus sumens perfectius
Ex te, virgo praecipua.

73. Sicut sidus perluitur
Infuso solis lumine,
Et ex eo lux mittititur
Sine sideris fragmine,
Sic sine carnis crimine
Christus in te concipitur
Et te manente virgine
Supernaliter oritur.

74. Vidit Johannes mysticum
Signum quoddam mirabile,
Quod in coelo propheticum
Apparuit notabile,
Nunquam fuerat simile
Prophetis aenigmaticum
Signum datum, quid utile
Praetendens et mirificum.

75. Erat parens coelestibus
Amicta solis lumine,
Mulier lunam pedibus
Supponens, cujus culmine
Capitis pro tegumine
Duodecim sideribus
Sertum fulgebat lumine,
Suis plenis visceribus.

76. Nihil te magis proprie
Per istam intelligitur
Mulierem, quae serie
Prophetae nobis panditur.
In te namque concipitur
Et oritur justitiae
Verus sol, unde sequitur
Regnum coelestis curiae.

77. Tuis luna supponitur
Pedibus et militia
Coeli tota protegitur,
Caput duodenaria
Patriarcharum gloria,
Quae per te benedicitur,
Et bis sena victoria
Apostolorum texitur.

78. Repletis plenitudine
Generis omnis gratiae
Totaque multitudine
Virtutum et potentiae,
Tu decus excellentiae,
Tu lux carens fuligine,
Culpae tu splendor gloriae,
Decorans mundum lumine.

79. In te totum perficitur,
Quidquid verbis propheticis
De te, virgo, praedicitur
Et legis aenigmaticis,
Sive quidquid angelicis
Tibi verbis exprimitur,
Finitis verbis typicis
Res manifesta cernitur.

80. Salve, solamen hominum,
Salve, munda stella maris,
Salve, purgatrix criminum,
Salve, virgo singularis,
Consortio carens maris
Concipis, paris Dominum,
Tu lapis es angularis,
Quae das figuris terminum.

81. Tu supra coeli solium
Ad dextram Dei sedes,
Juxta proprium filium
Coeli regina praesides,
Confirmans mentes desides,
Praestans eis auxilium
Et tuis servis provides
Impetrando subsidium.

82. Ubi namque sanctissima
Caro, quam Dei filius
Sumpsit ex te, mundissima,
Inthronizatur celsius,
Creatis gloriosius,
Ratio vult certissima
Esse te non inferius
Vel sede magis infima.

83. Ibi mater cum filio
Gaudes coelesti patria
Trinitatis consortio
Creata super omnia;
Tua benigna gratia
Felicitatis gaudio
Nos coronet et gloria
Beatorumque praemio.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

95. De M. Maria V.

Quot volucrum pennae, quot sunt super aethera stellae,
Quot fluvii pisces, volucres quot coeli habet arcus,
Quot flores prati et quot sunt gramina campi,
Quot glandes quercus, quot gestat semina tellus,
Quot frondes silvae, quot stillant igne favillae,
Quot mundi fontes, quot continet arida montes,
Quot species rerum quot sunt momenta dierum:
Tot tibi, sancta dei genitrix, nunc dico salutes,
Suppliciter rogitans, filii mihi stringe furorem.

Cod. S. Floriani XI 196. saec. 16. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b. VII 10. anni 1470. B. — 3. sunt fehlt AB. — 5. silvae, scintillas quot habet ignis A. — 7. sunt minuta dierum A. — Nach 7 schaltet B ein: Mille duodenas et quot mare fudit harinas. — 8. Totidem et plures tibi mando virgo salutes B.

96. De B. Maria V.

Quot coelum stellas, retinet quot terra lapillos,
Quot saltus ramos, folia, quot pontus arenas,
Quot pluviae stillas, quot fundunt nubila guttas,
Quot fluvii pisces, quot sunt in orbe volucres,
Quot flores prati et quot sunt gramina campi:
Tot, virgo beata pango tibi laudum salutes,
At tu me subleva mitis, quem premunt angores.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. anni 1470. — 1. terrae. — 5. sunt fehlt.

97. De B. Maria V.

1. Quot sunt horae et quot morae,
Quot annorum spatia,
Quot sunt laudes et quot fraudes,
Quot in coelis gaudia,
Quot sunt visus et quot risus,
Quot virorum studia;

2. Quot sunt montes et quot fontes
Et quot ignes aetheris,
Quot sunt apes et quot dapes
Et quot aves aëris,
Quot sunt metus et quot fletus,
Quot labores miseris;

3. Quot sunt lares et quot pares,
Quot per mundum fluvia,
Quot sunt boves et quot oves,
Quot in pratis gramina,
Quot sunt stillae et quot villae,
Quot villarum nomina;

4. Quot sunt leges et quot greges
Et quot frondes arborum,
Quot sunt valles et quot calles
Et quot umbrae nemorum,
Quot sunt manes et quot canes,
Quot momenta temporum;

5. Quot sunt formae et quot normae,
Quot in terris homines,
Quot sunt luctus et quot fluctus,
Quot in mari turbines,
Quot sunt grues et quot sues
Et quot vitae ordines;

6. Quot sunt stellae et quot velle,
Quot in castris milites,
Quot sunt rura et quot jura,
Quot in orbe divites,
Quot sunt fures et quot mures,
Quot in agris limites;

7. Quot sunt patres et quot matres
Et quot matrum pueri,
Quot sunt rogi et quot logi,
Quot metrorum numeri,
Quot sunt poenae et catenae,
Quot in Orco miseri;

8. Quot sunt mores, quot colores
Et quot rerum species,
Quot sunt vites et quot lites,
Quot bellorum acies,
Quot sunt mortes et quot sortes,
Quot malorum rabies:

9. Tot honores, tot favores
Et tot laudum titulos
Matri demus et cantemus
Dulces illi modulos,
Quae ut bona nos patrona
Recognoscat famulos.

10. Voce rauca dixi pauca,
Virgo grata, sumito
Meque Deo gratum meo
Tua prece facito,
Ne in necem vel in faecem
Mentis ruam subito.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. B. — 9, 3 Mariae demus AB.

98. Ad B. Mariam V.

1. Mater sancta Dei, fuga noctis, origo diei,
Luminis aetherei stella, memento mei.
Per te de sede sophia venit ad ima,
Hinc rursum sursum trahis infima tu, via prima.

2. Tu requies, species, facies et manna saporis,
Nutrix, adjutrix, tutrix in agone laboris.
Tu libanus, platanus, clibanus per flamen amoris,
Balsamus et calamus, thalamus, spiramen odoris.

3. Hortus conclusus, perfusus, messis abundans,
Fons illibatus, signatus, flumen inundans,
Fons saliens, indeficiens, stillans bonitate,
Praesidium, pia virgo, tuum tribui precor a te.

4. Stella decoris, cella pudoris, mater honoris,
Stella nitoris, gemma valoris, lima doloris,
Ad venam veniae venio, veniam mihi quaero,
Te portum, portans portantem sportula, spero.

5. Summe decor, te corde precor demissus in aequor,
Mente nitor te, virgo, sequor, languentibus aequor,
Cunctis sis grata, cunctis sata, non tibi nata,
Gemmis gemmata, tua sunt sata cantica lata.

6. Tu Jaspis grata, cristallus, ebur, therebinthus,
Chrysolythi pretium servans, pretiosa jacinthus,
Cujus ad obsequium Cherubim dant et Seraphim thus,
Cunctis praelata tu filia regis ab intus.

7. Sancta Dei genitrix, tu lapsorum relevamen,
Taedia ne pariam, dabo sermoni moderamen,
Quamvis peccator tibi fecerit hoc modulamen,
Tu tamen esto sibi tutamen in omnibus horis.

Psalt. ms. saec. 11/12. Cod. Princ. de Arenberg 4. add. saec. 14. A. — Cod. Londinen. Faust. A VI. B. — 2, 3 Tu fehlt B; libanus et platanus B. — 3, 4 tuum mihi quaeso para te B. — 4, 2 Stilla liquoris B. — 5, 4 cantica laeta B. — 7, 4 steht vor 7, 1 B. — A enthält folgende Angabe: „Infra scriptos versus in laudem gloriosissimae virginis Mariae [edidit?] illustris rex Ciciliae Rupertus tercius.“ Damit ist Robert von Anjou, zubenannt der Weise oder der Gute, König von Neapel, Jerusalem und Sicilien, gemeint, der den 19. Januar 1343 starb. Da dieser Fürst Dichter war, ist die Angabe wohl vertrauenswürdig.

99. De B. Maria V.

1. Ave, verbum ens in principio,
Caro factum pudoris gremio,
Fac, quod fraglet praesens laudatio
Et placeris parvo praeconio.

2. Et tu, stella maris eximia,
Mater patris et nati filia,
Laude, precor, reple praecordia,
Cum sis laudis mirae materia.

3. Virgo David orta progenie,
Dola liguam hanc imperitiae
In sonantis lyram placentiae,
Ut jam psallat manu munditiae.

4. Prolis David parens eximia,
Plectrum plices in laude propria,
Laudis tuae docens magnalia,
Quibus coeli resultant atria.

5. Salutata coelesti nuntio
Gravidaris divino radio,
Sed cum venter gravescit filio
Laurearis vernanti lilio.

6. Quae conceptu sola non laberis,
Partu poena nulla deprimeris,
Vim naturae, virgo, transgrederis,
Natum gignens vi casti foederis.

7. Ut aurora, virgo, progrederis,
Solem tenens coelum efficeris,
Paradisus praedigne diceris,
Cum hunc vitae fructum protuleris.

8. Solem verum dum sinu retines,
Dum regiras, moves et sustines,
Omni coelo tu quia praemines,
Centrum, sphaeram claudis et contines.

9. Florem foves, adolescentula,
Quo reflorent venusta saecula,
Flore fulgens, o virgo, virgula,
Te tellurem prompsit haec primula.

10. Sertum tibi facis de lilio,
Quod assumis de sinu proprio,
Quorum cernens te lucis legio
Veneratur supplex religio.

11. Eja, virgo, quae sic pro homine
Deum trahis a coeli cardine,
Nos sublimes de terrae turbine
Infulando coelesti lumine.

12. Jesum ad nos cum ipsa traxeris,
Nos ad ipsum recte conduxeris,
Velis ergo, quod clemens poteris,
Et aeternam laudem lucraberis.

13. Ipsum Deum fulgentem superis
Vinctum, virgo, traxisti miseris,
Et cum implet, quodcunque jusseris,
Nonne dea deorum diceris?

14. Grates tibi, quae tuo munere
Mihi dones ista recolere,
Et indigno jam dignum dicere,
Cujus coelum laus transit libere.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1.

100. Ad B. Mariam V.

1. Ave, dulcissima
   Cella deitatis,
   Aula clarissima,
   Domus honestatis,
   Maria, maxima
   Dulcedo turbatis.

2. Tu flos virgineus
   Florens modo miro,
   Tu vini putens,
   Roris cujus gyro
   Est murus aureus
   Vallatus saphyro.

3. Tu nostra lancea
   Inexpugnabilis,
   Turris eburnea
   Hosti terribilis,
   Lampas aetherea
   Valde mirabilis.

4. Gaudeto igitur,
   Princeps dominarum,
   Per quam tribuitur
   Salus animarum,
   Focusque clauditur
   Inferni poenarum.

5. Nullam te majorem
   Esse cognoscimus
   Nec potentiorem
   Post Deum credimus,
   Per quam redemptorem
   Jesum habuimus.

6. O pia dignitas
   Tantae majestatis,
   Duc me per semitas
   Binae caritatis,
   Ut vias inclitas
   Sequar castitatis.

7. Ni me inveneris,
   Virgo virtuosa,
   In via sceleris
   Perdar tenebrosa,
   Plena mortiferis
   Gentequc dolosa.

8. Ergo mihi cito
   Nunc propitiare,
   Christo conquisito
   Per crucis altare
   Ac pro compedito
   Jesum deprecare.

9. Ave, juvencula,
   Disciplina morum,
   Quam sine macula
   Scio delictorum,
   Disrumpe vincula
   Malorum meorum.

10. Ave, vas electum,
    Mundum interius,
    Gemmis sacris tectum,
    Pulchrum exterius,
    In quo fecit lectum
    Creantis filius.

11. O nostri foederis
    Perauctrix puella,
    Mentalis vulneris
    Auctorem debella,
    Ut me in miseris
    Non tangant flagella.

12. Licet te laudare
    Digne nusquam queam,
    Tamen refutare
    Noli laudem meam,
    Sed gratificare
    Tibi velis eam.

13. O venerabilis
    Et prudentissima,
    Sic mei fragilis
    Expurges intima,
    Quod lacus flebilis
    Non intrer infima.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. — 7, 1 Nisi me invenis. Hs.

101. Ad B. Mariam V.

1. Ad te matrem reclinamur,
Ut sub umbra protegamur
Tuae sanctimoniae,
In qua dolens non languescit,
Sed, si dolet, convalescit
Dono tuae gratiae.

2. Audi, audi, virga Jesse,
Nos gementes et fac esse
Semper tibi nos devotos;
Commendamus tibi notos
Et commissos ad regendum,
Totum clerum ad tuendum.

3. Me submersum in peccatis
Fac, ut plangam pro patratis
Scala poenitentiae,
Manum praebe poenitenti,
Condescende mihi flenti,
Vas unguenti gratiae.

4. Pro me, virgo dulcis, ora,
Mala pelle, mihi dona
Lacrimarum flumina,
Quibus munder a peccato,
Sic me redde tuo nato,
Patriarchae filia.

5. Casta, munda, clemens, pia.
Porta coeli, vitae via,
Paradisi viola,
Tu fons rigans paradisum,
Parens trinum indivisum
Sub carnis materia.

6. Quas reddamus tibi laudes,
Quae de nostra spe congaudes,
O silvarum virgula?
Super astra conscendisti,
Te prae cunctis sublimasti
Tuis participibus.

7. Sic in coelo dominaris
Et cum nato gloriaris,
Cui laus est infinita
Per aeterna saecula.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15. — 5, 4 Zwischen diesem und dem folgenden Verse eingeschoben: Caeco cordi redde visum. — 7, 4 aeterna saeculorum saecula.

102. Ad B. Mariam V.

1. Regina coeli, laetare,
Quia virgo es et mater,
Istud donum singulare
Dedit tibi Deus pater.

2. Ob tuam humilitatem
Deus tibi magna fecit,
Qui per suam caritatem
Salutem nostram perfecit.

3. Omnia per te refecit
In magna sapientia
Hostesque mortis ejecit
Cum ipsorum familia.

4. Totus mundus mancipatus
Erat morti culpae gravis,
Sed est per te liberatus,
O Maria, vitae clavis.

5. Et vacuae coeli sedes
Hominibus jam replentur,
Per te, virgo, cujus pedes
Adorari promerentur.

6. Per te cuncta renovata
Sunt in terris et in caelis,
Remedia dantur grata
Percussis hostium telis.

7. Per te, certa spes veniae,
Mox parcitur poenitenti
Et palma multae gloriae
Datur mundum devincenti.

8. Numquid ergo non juvabis
Tibi sese commendantem?
Immo, si vis, liberabis
Quotidie me peccantem.

9. Qui perpetro quotidie
Mala nequam innumera,
Absolvas me, fons gratiae,
Tua prece vitifera.

10. Et in laude sancta Dei
Sic hodie proficiam,
Quod oculi fine mei
Videant ejus gloriam.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. (Arsen.) 419. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. B. —

103. Ad B. Mariam V.

1. Ave, arca deitatis,
Aula summae majestatis,
Fons totius bonitatis.

2. Ave, balsamo suavior,
Angelis laude dignior
Et cunctis sanctis sanctior.

3. Ave, convallis lilium,
Nobis post hoc exsilium
Ostende tuum filium.

4. Ave, dulcis mellis unda,
De faece mea profunda,
O fecunda, me secunda.

5. Ave, Evae liberatrix,
Creaturae recreatrix,
Cordium illuminatrix.

6. Ave, fulgens solis cella,
Coeli splendor, maris stella.
Mater simul et puella.

7. Ave, gemma speciosa,
Gelu non attrita rosa,
Virga Jesse fructuosa.

8. Ave, hamus caritatis,
Plenitudo pietatis,
Tu me mundes a peccatis.

9. Ave, inventrix gratiae,
O genitrix laetitiae,
Tu speculum munditiae.

10. Ave, caritate plena.
Fon signatus, vitae vena,
O quam dulcis, quam serena.

11. Ave, lumen angelorum
Expurgatrix vitiorum,
Miseratrix miserorum.

12. Ave, mater Jesu Christi,
Verbum verbo concepisti,
Serva me a morte tristi.

13. Ave, nubes pluviosa,
Coeli porta, lux jocosa,
Imperatrix gloriosa.

14. Ave, hortus voluptatis,
Plenitudo pietatis,
Tu me mundes a peccatis.

15. Ave, parens absque pari,
Me in mortis torculari
Non permittas condemnari.

16. Ave, quae es vitae via,
Dulcis, clemens, casta, pia,
Spes reorum, o Maria.

17. Ave, nubes visionis,
Vellus madens Gedeonis,
Sponsa prudens Salomonis.

18. Ave, stella luminosa,
Caritate radiosa,
Florens vitis generosa.

19. Ave, virginum regina,
Rosa sine culpae spina
Et dolorum medicina.

20. Ave, Christo praenotata,
Virgo mater illibata,
Super coelos exaltata.

21. Ave, Jesse flos pudoris,
Pia proles, vas honoris,
Fons dulcoris, stilla roris.

22. Ave, zima veri David,
Auster lenis te perflavit
Et perflando fecundavit.

Brev. ms. Graecense 1464 saec. 14.

104. Oratio de V. M. matre Jesu.

1. Ave, arca deitatis,
Templum summae majestatis,
Et lucerna claritatis,
Fons totius bonitatis.

2. Ave, balsamo suavior
Et sole multo clarior,
Angelorum laude dignior,
Tu cunctis sanctis sanctior.

3. Ave, cedrus puritatis,
Lumen viae veritatis
Et sigillum castitatis,
Civitas divinitatis.

4. Ave, dulcis mellis unda,
Tua prece me emunda
De faece mea profunda,
Ne me laedat mors secunda.

5. Ave, Evae liberatrix,
Peccatorum consolatrix,
Cordium illuminatrix,
Mortuorum suscitatrix.

6. Ave, fulgens solis cella,
Coeli porta, maris stella,
Mater simul et puella,
Pro me natum interpella.

7. Ave, gaudium sanctorum,
Imperatrix angelorum,
Refugium peccatorum,
Advocata saeculorum.

8. Ave, hamus pietatis,
Oliva benignitatis,
Florens myrtus castitatis,
Palma immortalitatis.

9. Ave, inventrix gratiae,
Signaculum clementiae,
Spectaculum laetitiae,
Sacramentum justitiae.

10. Ave, caritatis vena,
Flagrans aurora serena,
Tota pulchra et amoena,
Tu lumine Dei plena.

11. Ave, lux jucunditatis,
Virgo magnae dignitatis,
Infinitae sanctitatis,
Civitas divinitatis.

12. Ave, mater Jesu Christi,
Verbum verbo concepisti,
Deum verum genuisti
Serva nos a morte tristi.

13. Ave, nubes pluviosa,
Munda, pura, luminosa,
Theotocos gloriosa,
Tu perfecta gratiosa.

14. Ave, omni laude digna,
Clemens, mitis et benigna,
Tu pelle cuncta maligna
Et me Deo reconsigna.

15. Ave, parens absque pari,
Me mortis in torculari
Ne permittas me damnari,
Per te spero me salvari.

16. Ave, quae es vitae via,
Praeelecta proles pia,
De qua dixit prophetia,
Spes reorum, o Maria.

17. Ave, stella matutina,
Ave, rosa sine spina,
Adoptata medicina,
Tu nos serves a ruina.

18. Ave, aula trinitatis,
Decus summae bonitatis,
Tu compages unitatis,
Paradisus voluptatis.

19. Ave, vera spes veniae,
Mater misericordiae,
Honor coelestis curiae,
Domna regina gloriae.

20. Ave, Christo praeelecta,
Ab angelo salutata,
Virgo mater benedicta
Super coelos exaltata.

21. Ave, Jesse flos decoris,
Mundissima stilla roris,
Nobile tu vas honoris,
Tu totius fons amoris.

22. Ave, arvum veri David,
Auster lenis te perflavit
Et perflando fecundavit,
Ex te natus te creavit.

Cod. Lambacen. 476. saec. 15. — Nach 1, 4 folgt noch: Nobile triclinium. — 8, 1 homo pietatis. — 8, 3 virtus salvatis. — 9, 1 gratiae fehlt. — 15, 2 in fehlt. — 16, 2 prolis. — 17, 2 Ave ergänzt. — 18, 3 Tu ergänzt. — 20, 3 virgo mater fehlt. — 21, 2 stella. — 21, 3 tu fehlt. — 21, 4 Tu sanctus fons.

105. Ad B. Mariam V.

1. Gloriosa mater Dei,
Spes salutis, porta spei,
Medicina cordis rei,
Miserere, precor mei.

2. Vita turpis, sorde plenus,
Culpae gerens omne genus,
Peccatorum triste foenus,
Porro pauper et egenus.

3. Fundamenta mortis jeci,
Vix respiro, jam defeci,
Sed abyssus cordis caeci
Non resistit tuae preci.

4. Prece potes reparare,
Quod horrescit mens amare,
Nec reatus potest stare,
Pro quo velis supplicare.

5. Horret quidem status mentis,
Dignam videns se tormentis,
Nostri vultum praesidentis
Fletu placet et lamentis.

6. Sed reatus linguam ligat,
Stuporatus cor fatigat,
Rationis lux caligat,
Nec ros bonus mentem rigat.

7. In profundum maris veni,
Mergor aestu sub effreni,
Ni respectus me sereni
Consolatur aura leni.

8. Ergo, mater pietatis,
Templum facta pietatis,
Ne desperem sub peccatis,
Motum seda tempestatis.

9. Tempestatis seda motum
Et coelesti rore lotum
Fac me rursus Deo notum,
Novans in me cor devotum.

10. Spiritalis medicina,
Solve linguam, cor inclina,
Ut resurgens a ruina
Mens levetur ad divina.

11. Solvat laudem lingua cultus,
Cor se fundat in singultus,
Nec hostiles ad assultus
Frangat ope tua fultus.

12. Sed in ore peccatoris
Habet parum laus favoris,
Nisi tergat vis amoris
Mentis culpas, sordes oris.

13. Non hoc ego dignus bono,
Spem profectus in te pono,
Tuo Christus fiat dono
Nostrae laudis laetus sono.

14. Sic detersa labe fraudis
Hymnum dicam sacrae laudis,
Audit Christus, quos exaudis,
Aures claudit, quibus claudis.

15. Ergo, mater, roga natum,
Ne nos damnet ob reatum,
Sed post opus consummatum
Finem ducat ad beatum.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16. Mit der Randbemerkung: „Philippi Abbatis."

106. Ad B. Mariam V.

1. Christi mater generosa,
Sponsa regis speciosa,
Quae es virgo gloriosa
Et de partu gaudiosa.

2. Angelorum imperatrix.
Super coelos dominatrix,
Quae es vitae reparatrix
Et a morte liberatrix.

3. Tu relucens margarita
In corona regis sita,
Pietate es polita,
Caritate insignita.

4. Sanctitatis disciplina,
Facta mundi medicina,
Servos levans a ruina
Fraude lapsos serpentina.

5. Probitate singularis,
Vita mundi, stella maris,
Delicata puellaris,
Aqua viva salutaris.

6. Fons signatus illibatus,
Hortus clausus et vallatus,
Fructu sacro cumulatus.
Et pigmentis fecundatus.

7. Tu es salus infirmorum,
Auxilium peccatorum,
Fons signatus, fons hortorum,
Terge sordes delictorum.

8. Ego miser et peccator,
Legis sanctae violator,
Veritatis depravator,
Falsitatis praedicator.

9. Vitam meam inquinavi,
Feci malum et tractavi,
Crimen omne adamavi,
Me in illis reclinavi.

10. Factus sum ut sus lutosa,
Quae perquirit paludosa.
Vita turpis, maculosa.
Loca quaerit tenebrosa.

11. Vitam spernens electorum
In sepulchro peccatorum,
In cloaca vitiorum
Collocavi mihi thorum.

12. Tali ego vivens vita,
Quaerens semper illicita
Sum effectus Moabita,
Pejor omni sodomita.

13. Sed tu. domina regina,
Mitis, simplex, columbina,
Pia, dulcis et benigna,
Summi regis mater digna.

14. Fac per guttam pietatis,
Flamma cedat pravitatis,
Ut de vena sanctitatis
Fons erumpat castitatis.

15. Per amoris tui rorem
Aufer a me hunc ardorem,
Ne habeam damnatorem,
Quem habui redemptorem.

16. Regem illum, tuum natum,
Fac et mihi tu placatum
Et in sede potestatum
Praesta mihi praesulatum.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. C. — Cod. Parisien. 3639 saec. 15/16. D. — 1, 1 Ave mater generosa D. — 3, 3 expolita D. — 4, 3 lavans A. — 5, 1 Probitatis D. — 7, 1 sqq. lauten in D:

Ave salus infirmorum,
Tu solamen miserorum,
Tu levamen prolapsorum,
Tu juvamen peccatorum.

8, 4 propagator D. — 9, 2 Feci mala et peccavi D. — 9, 3 Omne crimen contrectavi D. — 9, 4 Nec ab illo mihi cavi D. — 10, 1 Effectus sum sus D. — 10, 2 latebrosa D. — 10, 3 turpis et caenosa D. — 11, 2 In profundo C. — 11, 4 Stabilivi mihi D. — 12, 2 fehlt D. — 12, 3 Effectus sum D. — 12, 4 Omni pejor D; nach 12, 4: Mea passim foetet vita D. — 13, 1 tu virgo

tu regina D. — 14, 2 cadat D. — 15, 2 hunc dolorem AB. — 16, 1 Regem nostrum D. — 16, 2 Tu fac mihi complacatum D. — 16, 3 sq. lauten in D:

Ante cujus tribunatum
Iter mihi praesta gratum.

Da das Gedicht in D unmittelbar auf das Lied Gloriosa mater Dei folgt, mit dem es gleiche Form aufweist, dürfte sich die Bemerkung zu jenem „Philippus abbas“ auch auf dieses beziehen.

107. Ad B. Mariam V.

1. Ave, flos virginitatis,
Dulcis mater pietatis,
Miserorum auxilium,
Virgo radix castitatis,
Origo prosperitatis,
Virtutis nostrae gaudium.

2. Transitus immunitatis,
Pacis et felicitatis
Nobile domicilium,
Mons excelsae quantitatis,
Turris magnae firmitatis,
Sublimitas humilium.

3. Ante thronum trinitatis
Advocata praesto gratis
Pro pace te poscentium,
O arca divinitatis,
Cuncti bonae voluntatis
Per te gustant fructum pium.

4. Fons horti jucunditatis,
Fluvius amoenitatis,
O ardoris solatium;
Rosa speciositatis,
Lilium nobilitatis,
Conculcans omne noxium.

5. Civitas securitatis,
Templum sanctae trinitatis,
Peccatorum refugium;
Hoc tempore siccitatis
Copia fertilitatis,
Egenorum subsidium.

6. O mensa sinceritatis,
Esca vera invitatis,
Dans aeternum convivium;
Via verae aequitatis,
Vita justae probitatis,
Nutrix bonarum mentium.

7. Puerpera deitatis,
Legifera veritatis,
Forma virtutum omnium;
Portus nautis fatigatis,
Pelagus tranquilitatis,
Tollens mundi naufragium.

8. Paradisus voluptatis,
Balsamus suavitatis,
Vera dulcedo dulcium;
O columba lenitatis,
Lucerna aeternitatis,
Nostri boni principium.

9. Vas inclitae puritatis,
Pincerna sobrietatis,
Consolatrix fidelium;
Medicina sospitatis,
Cunctis praebens sauciatis
Sanitatis remedium.

10. Imperatrix majestatis,
Totius humilitatis
Laudabile praesidium;
O janua largitatis,
Quae sacro fonte renatis
Coeli reseras ostium.

11. Scala tantae summitatis,
Quod ascensum dat purgatis
Ad tui nati solium,
Columna stabilitatis
Gestans typum honestatis
In tuum sanctum gremium.

12. Sidus nostrae novitatis,
Stella lucis vitae datis,
Salus in te sperantium;
Amica fidelitatis,
Conservatrix unitatis
Secretorum coelestium.

13. O sponsa formositatis,
Strenuae sagacitatis,
Apparatu monilium,
Lux tuae benignitatis
Ad nostrae haereditatis
Nos transfert desiderium.

14. Dominium libertatis,
Servitute liberatis,
Manumissis suffragium,
Splendor nostrae caecitatis,
Decor summae venustatis,
Lumen, cunctorum gentium.

15. Cibo vetito cibatis
Propter pestem vanitatis
Reparas quodque vitium,
Dans radios claritatis
Divina luce privatis
Per tuum ministerium.

16. Claudis portam egestatis,
Reddis messem ubertatis
Per tuum patrocinium,
Succursus velocitatis,
Aurora serenitatis,
Cui dulce est proprium.

17. Per viscera caritatis
Et merita sanctitatis
Te deprecor per filium,
Ut qui premor pro peccatis
Non corruam cum damnatis
In gehennae supplicium,
Sed da frui cum beatis
Gaudio perennitatis
Post praesens exsilium.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. — 4, 3 Omnis ardoris. — 5, 4 Nos tempore. — 13, 6 transfer.

108. Ad B. Mariam V.

1. Ave, fons clementiae,
Virgo fecundata,
Summae sapientiae
Nutu fabricata,
Radix pudicitiae
Nunquam inquinata,
Gaude, plena gratiae
Regina beata.

2. Ave, spes fidelium,
Fons humilitatis,
Salutis exordium,
Norma sanctitatis,
Domini sacrarium,
Templum deitatis,
Dulce refrigerium,
Flos virginitatis.

3. Ave, mel dulcedinis,
Morum disciplina,
Nitor pulchritudinis,
Rosa sine spina,
Lux beatitudinis,
Stella matutina,
Turris fortitudinis,
Vitae medicina.

4. Salve, felix femina,
Fulgens stella maris,
Angelorum domina,
Virgo singularis,
Mundi mundans crimina,
Portus salutaris,
Cor meum illumina,
Lux clara solaris.

5. Salve, vas munditiae,
Continens unguentum,
Veteris malitiae
Comprimens fermentum,
Origo laetitiae,
Vitae fundamentum,
Tuae nobis gratiae
Confer incrementum.

6. Salve, pacis vinculum,
Virgo generosa,
Caritatis speculum,
Ut sol luminosa,
Christi tabernaculum,
Mater gloriosa,
Tuum serva servulum,
Gemma pretiosa.

7. Gaude, laus et gaudium,
Lux jucunditatis,
Domini triclinium,
Thronus majestatis,
Rosa, flos et lilium,
Domus ubertatis,
Placa nobis filium,
Mater pietatis.

8. Gaude, virgo nobilis,
Mater salvatoris,
Laus nostra laudabilis,
Speculum decoris,
Flos incomparabilis,
Thalamus pudoris,
Pia, mitis, humilis,
Salus peccatoris.

9. Gaude, virgo virginum,
Per quam lux est orta,
Verus splendor ordinum,
Felix coeli porta,
Consolatrix hominum,
Quaeso, me conforta,
Sursum ante Dominum
Precem meam porta.

10. O nova puerpera,
Gratiae lucerna,
Juvare me propera,
Domina superna,
A culpis me libera,
Veniae pincerna,
Me Christo confoedera,
Me semper guberna.

11. O virtutum regula,
Genitrix benigna,
Florens Jesse virgula,
Jugi laude digna,
Solve culpae vincula,
Me tibi consigna,
Cuncta prece sedula
Comprime maligna.

12. O coeleste gaudium,
Puella decora,
Mortis exterminium,
Coelitus irrora,
Tuum pro me filium
Clementer exora
Et culparum omnium
Veniam implora.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

109. Ad B. Mariam V.

1. Ave, lumen gratiae,
Virgo fecundata,
Summae sapientiae
Nutu fabricata,
Radix sapientiae
Nunquam inquinata,
Fons misericordiae,
Regina beata.

2. Ave, novum gaudium,
Forma sanctitatis,
Salutis exordium,
Decus castitatis,
Coeleste sacrarium,
Templum deitatis,
Amorisque gaudium,
Hortus voluptatis.

3. Ave, vitae pabulum,
Virgo gratiosa,
Pudoris signaculum,
Pulchrior quam rosa,
Quae salvasti populum,
Mater gloriosa,
Pariendo parvulum,
Porta speciosa.

4. Ave, beatissima
Salus peccatorum,
Magna, major, maxima,
Praelata coelorum,
Consolatrix optima,
Patrona reorum,
Virgo beatissima,
Vera lux sanctorum.

5. Ave, fons dulcedinis,
Gratiae piscina,
Nitor pulchritudinis,
Rosa sine spina,
Via rectitudinis,
Claritas divina,
Turris fortitudinis,
Culpae medicina.

6. Ave, stella fulgida,
Speculum decoris,
Virga Jesse florida,
Vinculum amoris,
Gemma coeli nitida,
Medela languoris,
Labe carens sordida,
Mater salvatoris.

7. O felix puerpera,
Gratiae lucerna,
Surge, veni, propera,
Domina superna,
Mea terge vulnera,
Gratiae pincerna,
Me Christo confoedera,
Me semper guberna.

8. O regina virginum,
Per quam lux est orta,
Reparatrix hominum,
Felix coeli porta,
Virtus, splendor luminum,
Quaeso me conforta.
Surge, ante Dominum
Precem meam porta.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. — Offenbar nur eine Bearbeitung des vorigen. — 3, 8 Portus salutaris aus 108, 4, 6.

110. Ad B. Mariam V.

1. Ad supernae gremium
Matris gratiarum
Sonet vox fidelium
Per orbem terrarum
Coeleste praeconium.

2. Verbi patris atrium,
Vas provisum carum,
Pneumatis palatium,
Trium personarum
Simplex hoc triclinium.

3. Rosarum rosarium
Aromaticarum,
Flos est haec convallium,
Fons deliciarum,
Coelibatus lilium.

4. Coelestis viventium
Puteus aquarum,
Orphanorum bravium,
Tutrix viduarum,
Pauperis refugium.

5. Haec mundi dominium,
Princeps reginarum,
Coeli privilegium,
Quies animarum,
Finis poenitentium.

6. Abrahae sacrarium,
Lux ecclesiarum,
Vatum vaticinium,
Lex patriarcharum,
Foederis connubium.

7. Jacob sidus praevium,
Virga fecundata,
Jesse numen regium,
Stirpe David nata,
Virtutum collegium.

8. Haec per Dei nuntium
Christo desponsata,
Virgo vitae praemium,
Verbo gravidata
Parturivit gaudium.

9. Haec post puerperium
Mansit illibata,
Post offerens filium
Templo, nunc praelata
Juxta Christi brachium.

10. In coeleste solium
Regnans exaltata,
Muris innocentium
Stans circumvallata
Ordine coelestium.

11. Coeli, terrae, marium
Victoria lata
Tibi, dux errantium,
Quae tollis peccata
Prece supplicantium.

12. Ad Christi convivium,
Dulcis advocata,
Duc nos commensalium
Ad regna beata
Supernorum civium.

Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

111. Ad B. Mariam V.

1. O polorum dominatrix,
Super sanctos imperatrix,
Sis meritis hic adjutrix
Et in coelis interventrix.

2. Tu es Christi Jesu mater,
Ipse quidem tuus pater,
Natum roga, pia mater,
Nobis fiat clemens pater.

3. O Maria, maris stella,
Pietatis digna sella,
Pro me Christum interpella,
A me pellat mundi bella.

4. Paradisi tu es porta,
Per te salus est exorta,
Calamitas est oppressa,
Quae per Evam est ingressa.

5. O lilium convallium,
Vide meum suspirium,
Inter spinas, virgo, flores,
Quam qui sentit, mutat mores.

6. Tu virginum principalis,
Tu meriti singularis,
O Maria, radix Jesse,
Nobis vales sic prodesse.

7. Quem non capit orbis aula,
Haec pro nobis dones naula,
Tu moestorum solatium,
Coeli tenens dominium.

8. Per te sumus nos redempti,
Coeli sede reportati,
Unde grates tibi damus,
Hymnizantes exoramus.

9. Ave, virgo florens rosa,
Cunctis pares speciosa,
Salve, virgo praeelecta,
Quae ab ipso es repleta.

10. Christi mater nos solare,
Et quos venit liberare,
Quod non valent impetrare,
Quam dignum est te laudare.

11. Christiani, hanc laudate
Et reginae decantate,
Vos, qui laudes sibi datis,
Sic meritis hic vivatis.

12. Audi preces humilium,
Pium praebe praesidium,
Miros praestas et odores,
Malos perdis et foetores.

Psalt. ms. S. Fusciani saec. 12. Cod. Ambianen. 19. add. saec. 12. — 5, 4 Quos qui sentit. — 9, 4 Quod ab ipso. — 12, 4 Malos perdit.

112. Ad B. Mariam V.

1. O cunctis excelsior
angelorum choris,
Flos humani generis,
lilium pudoris,
Rosa patientiae,
mater salvatoris,
Audi quaeso, domina,
vocem peccatoris.

2. Deus te prae omnibus
collocavit secum,
Cum primatum teneas,
pium est et aequum,
Ut tu pia facias
pietatem mecum,
Tu es plena gratia,
Dominus es tecum.

3. Ipse te constituit
thronum regni sui,
Nec in mulieribus
est inventa, cui
Detur privilegio
tam excelso frui,
Quia benedictus est
fructus ventris tui.

4. Instar enim velleris,
quod concepit rorem,
Aridaeque virgulae,
quae produxit florem,
Praeter rerum seriem
et naturae morem
Virgo Deum procreas,
orbis conditorem.

5. In te pneuma fabricans
ollam nostrae spei,
Naturas confoederat
hominis et Dei,
Manetque diversitas,
utriusque rei
Tamen personaliter
haec unitur ei.

6. Servulos tu protegis,
hostes du fatigas,
Tu serpentem conteris
et draconem ligas,
Pharaonis obruis
equos et quadrigas,
Geminae substantiae
natus ex te gigas.

7. Sancta virgo virginum,
sancta mater Christi,
Per quam lumen luminum
mundo fulsit tristi,
Per te fons laetitiae,
quem tu protulisti,
Verum fundat gaudium
mihi vere tristi.

8. Me contristat miserum
gravis poenitudo,
Quae medullas animae
sugit ut hirudo,
Ago poenitentiam,
sed affectu crudo,
Et me ludi poenitet,
tamen adhuc ludo.

9. Me ut jam salubrius
poenitere sciam,
Et ut via pateat
per te vitae viam,
Reo mihi filio
sis in matrem piam,
In domum refugii,
per quam salvus fiam.

10. Non per sacrificium
bovis aut vervecis,
Sed per efficaciam
tuae sanctae precis
Tormentis eripiar
sempiternae necis,
De lacu miseriae
et de luto faecis.

Cod. Cantabrigen. Hh VI 11. add. saec. $^{13}/_{14}$. A. — Orat. ms. Cistercien. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1228. B. — 2, 1 prae omnibus te B. — 2, 5 Ut tu prima facias A. — 2, 7 Quia tu es gratia B. — 2, 8 Plena et Deus tecum B. — 3, 2 sui regni B. — 4, 8 opus conditorem A. — 5, 3 Naturam B. — 7, 3 splendor luminum B. — 7, 4 Mundo fehlt B; fulsit fehlt A. — 8, 6 affectum B. — 8, 8 et tamen A; dum adhuc ludo B. — 9, 1 Sed ut jam B. — 9, 3 vita pateat B. — 9, 7 Et in domum B. — 10, 5 De tormentis eruar B.

113. De B. Mariam V.

1. Ave, venerabilis
   Mater pietatis,
Maria mirabilis,
   Forma sanctitatis,
Flos incomparabilis,
   Hortus puritatis,
Splendor ineffabilis,
   Templum deitatis.

2. Ave, decus virginum,
   Speculum decoris,
Consolatrix hominum,
   Vinculum amoris,
Purgatrix peccaminum,
   Medela languoris,
Verum lumen omnium,
   Mater redemptoris.

3. Ave, vas clementiae,
   Gratiae piscina,
Verae indulgentiae
   Portus, medicina,
Radix innocentiae,
   Stella matutina,
Sedes sapientiae,
   Coelica regina.

4. Ave, vitae pabulum,
   Fons dilectionis,
Pudoris signaculum,
   Vas electionis,
Gloriae spectaculum,
   Rubus visionis,
Foederis oraculum,
   Thronus Salomonis.

5. Ave, inter agmina
   Dei sublimaris,
Angelorum domina,
   Virgo singularis,
Cor meum illumina,
   Fulgens stella maris,
Et ab hostis machina
   Semper tuearis.

6. O felix puerpera,
   Gratiae lucerna,
Virgo salutifera,
   Veniae pincerna,
Me juvare propera,
   Genitrix superna,
Me Christo confoedera
   Me quoque guberna.

7. O cunctis remedium
   Puella decora,
Dulce refrigerium.
   Coelestis aurora,
Tuum sanctum filium
   Pro me nunc exora,
Peccatorum omnium
   Veniam implora.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. — Verwandt mit 108 und 109.

114. Ad B. Mariam V.

1. Ave, Christi mater digna,
   Pia mitis ac benigna.
2. Ave, Christi sponsa cara,
   In virtutum vite clara.
3. Ave, Christi parens alma,
   In supernis patens palma.
4. Ave, Christi mater dicta,
   Super omnes benedicta.

5. Ave, Christi splendens stella,
Mundo fulgens, nix novella.
6. Ave, Christi clara cella,
Pro me Christum interpella.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

115. Ad B. Mariam V.

1. O Maria piissima,
Stella maris clarissima,
Mater misericordiae
Et aula pudicitiae.
2. Ora pro me ad Dominum
Et Jesum tuum filium,
Ut me a malis eruat,
Bonis gaudere faciat,
3. A vitiis evacuet,
Virtutibus corroboret
Tranquillitatem tribuat
Et in pace custodiat.
4. Cum venerit vitae finis,
Veni, te praebe oculis,
Ut tunc terrorem Satanae
Per te queam evadere.
5. Conductricem te habeam
Redeundi ad patriam,
Ne callidus diabolus
Viam pertubet invidus,
6. Subjiciendo plurima
Et falsa quoque crimina,
Donec reddar praeposito
Michaeli archangelo.
7. Cujus constat officio,
A maligno diabolo
Dignos quosque eripere
Et paradiso reddere.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Mantuan. E I 27. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Meten. 571. B. — Orat. ms. S. Josephi Oenipontani 70 A. saec. 14. C. — 2, 2 fehlt C. — 4, 1 Cum finis vitae venerit C. — 4, 2 Meis te praebe C. — 4, 3 tunc fehlt C. — 5, 2 Redeundo C. — 6, 1 Objiciendo C. — 6, 2 Falsa quaeque C. — 6, 3 reddas A. — 7, 3 Signos A; quoque C.

116. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo Dei mater,
vera spes fidelium,
Porta coeli, stella maris,
recti cursus bravium,
Summa legis, forma pacis,
salutis exordium.
2. Ave virgo, ave feta,
ave plena gratia,
Ave sponsa, ave mater,
ave Dei filia,
Quae diversa facis unum,
o omnipotentia.
3. Fons signatus, sacramenti
summi conceptaculum,
Scala Jacob, domus David,
Salomonis ferculum,
A leonis ore salva
Christianum populum.
4. Turris, in qua pendet omnis
armatura fortium,
Rosa florens, sacra vitis,
lilium convallium,
Medicina peccatoris,
virtutis donarium.

5. Uva dulcis, flos suavis,
nardus odorifera,
Virgo semper tu sublimis,
gloriosa puerpera,
Praebe nobis adoptivis
pietatis ubera.

6. Orientis porta clausa,
quam vidit Ezechiel,
Mensa regis, ad quam dapes
tulit ipse Gabriel,
Quarum opem in leonum
lacu sensit Daniel.

7. Tu sigillum libri vitae
solidum in saecula,
Cujus potest solus agnus
solvere signacula,
In hoc nostra precum stilo
adscribe vocabula.

8. Miserere nostri, Deus,
in personis trinitas,
Miserere, miserere
nostri, simplex unitas,
Te spiritus omnis laudet
sempiterna deitas.

Cod. Mediceo-Laurent. Conv. sup. C 8. 957. saec. 16.

117. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo, Dei templum,
Castitatis et exemplum,
Ave, virgo, candens caelum,
Inde lumen dans serenum.

2. Ave, virgo, juvans mundum
Corruentem in profundum,
Ave, virgo, quae infernum
Vincis tenens jus supernum.

3. Ave, virgo, quae per natum
Mortem sternis et peccatum,
Ave, virgo, morti datum
Tuum ora pro me natum.

4. Ave, clemens imperatrix,
Terrae, coeli dominatrix,
Ave, clemens et amatrix
Et virtutum operatrix.

5. Ave, clemens vitae datrix,
Vitiorum enervatrix,
Ave, clemens miseratrix
Peccatorum, non peccatrix.

6. Ave, clemens expiatrix,
Culpae lapsis reparatrix,
Ave, clemens mediatrix,
Quaeso, mei sis salvatrix.

7. Ave, sponsa, florens vitis,
Cujus fructus botrus mitis,
Ave, sponsa grata cunctis,
Pia vivis et defunctis.

8. Ave, sponsa salutaris,
Dulcis rebus in amaris,
Ave, sponsa singularis,
Caecis splendens lux solaris.

9. Ave, sponsa potens satis,
Me tuere a peccatis,
Ave, tuis gemma lucens,
Majus solis lumen ducens.

10. Ave, tuis decor splendens
Et in noctem non offendens,
Ave, tuis lux ostendens
Claritatem et praetendens.

11. Ave, tuis sidus fulgens,
Ut aurora mane surgens,
Ave, tuis pacem ferens,
Inimici vires terens.

12. Ave, tuis zelo degens,
Vitam praebe nostra regens,
Ave, mater speciosa,
Albens manna, rubens rosa.

13. Ave, mater plus decora
Sole, luna et aurora,
Ave, mater absque mora
Cuncta poscens omni hora.

14. Ave, mater rubes signis
In figuram ardens ignis,
Ave, pia meta mortis,
Et coelestis lux cohortis.

15. Ave, via vitae portis,
Paradisi flos in hortis,
Ave, pia hora mortis,
Da jus mihi primae sortis.

Cod. Parisien. 3639 saec. 15/16.

118. Ad B. Mariam V.

Adspice nos, mitis virtutum fulgida vitis,
Nos mitis salva, fraglans laus Jesse sacrata.
Fulgida laus Jesse, dulcedo coelica, virgo,
Vitis sacrata, refraglans virgo Maria.
Cella pudoris, flos pietatis, virgo Maria,
Stella decoris, dos puritatis, nos rege, dia.
Coeli reginae, tibi laus et honor sine fine.

Clm. Monacen. 4423. saec. 15. Mit dem Beifügen: „Haec ex Mellico rescripta sunt.“

119. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo fons salutis,
Ave, plenum vas virtutis
Omni carens carie,
Ave, virens vitae vitis
Ave dulcis, ave mitis,
Ave lux ecclesiae.

2. Ave, rosa venustatis,
Lux aeternae claritatis
Et mortis exitium,
Ave, fida spes peccantis
Flos dulcoris, dux errantis,
Potus sitientium.

3. Ave, turris confirmata,
Ave, cedrus exaltata,
Ave, proles regia,
Tu es domus sigillata,
Clavi nulla reserata,
Cunctis tamen pervia.

4. Tu es aura cunctis grata,
Tu es tellus non arata,
Fructum dans eximium;
Tu es meta scriptuarum
Et abyssus tu aquarum,
Puteus viventium.

5. Tu es scatens fons hortorum,
Tu es arca secretorum,
Arca dicta foederis;
Tu es aula puritatis
Et lucerna veritatis,
Expiatrix sceleris.

6. Tu fidelis es patrona,
Tu das juxta votum bona,
Neminem abaudiens;
Tu solamen es lugentis
Tu es fidem offerentis,
Non munus respiciens.

7. Tu es novae legis forma,
Ver aeternum, morum norma,
Sanctitatis semita;
Tu es virgo singularis,
Tu es nobis salutaris
Ultra nostra merita.

8. Ave, decus mulierum,
Cleri gemma, lux dierum,
Ave, coeli gloria;
Ave, summi regis nupta,
Ave, parens incorrupta,
Ave, plena gratia.

9. Super omnes o decora,
Reus ego sine mora
Ad te tremens propero,
Dum peccata, quae commisi,
Nec non bona, quae omisi,
Flens ego considero.

10. Ad te curro, quam turbavi,
Quam injuste laceravi
Horrendis perjuriis,
Quam ex corde non amavi
Et quam parum honoravi
Debitis obsequiis.

11. Ad te curro, me peccasse
Recognoscens et errasse,
Ut sit locus veniae,
Me quam dure remordente
Et ad istud compellente
Verme conscientiae.

12. Curro factus jam non durus,
Curro vulnus ostensurus,
Medicantis opera
A te sperans reportare,
Ista cures ergo dare,
Dum requirunt tempora.

13. Dum est recens vulnus, cura,
Ne putrescat et jactura
Causetur per vitia;
Vulnus meum est peccatum,
Tu purgare perpetratum
Tua, mater, gratia.

14. Si peccavi, non excuso,
Immo reum me accuso,
Prosit haec confessio;
Sed quod deest poenitenti,
Purget, mater, in praesenti
Tua intercessio.

15. Hoc instanter a te peto,
Ne praeventus forte leto,
Quod absit, ad inferi
Domum mittar, ubi metus,
Ubi dolor est et fletus,
Ubi degunt miseri.

16. Jam plus loquens ne molestus
Dici possim vel infestus,
Non permittit ratio;
Misereri potes mei,
In hoc ergo, mater Dei,
Nulla sit dilatio.

17. Tu me, cui non occultavi,
Tu, cui causam revelavi
Meam, mihi filium
Placa tuum hora mortis,
Ut justorum consors sortis
Sim post hec exsilium.

18. Dicam tandem illative,
Nil apponens exclusive
Sed includens omnia,
Quia salus es cunctorum,
Sit per tempus saeculorum
Tibi laus et gloria.

Orat. ms. Tegurin. saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Orat. ms. Tegurin. saec. 15. Clm. Monacen. 19824 B. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. C. — 6, 5 fidei offerentis ABC.

120. Ad B. Mariam V.

I.

1. Gaude, virgo, stella maris,
Gaude, nascens consecraris
Dulci Jesu, dulcis Maria.
Gaude, Sara singularis,
Sacro verbo fecundaris,
Dulci Jesu, dulcis Maria.

2. Gaude, Martha famularis,
Ab Elisabeth laudaris,
Dulci Jesu, dulcis Maria.
Gaude, vera Lia paris
Verum Deum et laetaris
Dulci Jesu, dulcis Maria.

3. Gaude, Rachel, lux solaris,
Per pastores praedicaris,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
Gaude, Esther veneraris
In Assueri donis caris,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

4. Gaude, parens expers paris,
Anna nova profers aris
Dulcem Jesum, dulcis Maria.
Gaude, Jahel, occultaris,
Cedens hosti non orbaris
Dulci Jesu, dulcis Maria.

5. Gaude, Ruth, flos salutaris,
Quaerens spicam consolaris
Dulcem Jesum, dulcis Maria.
Gaude, Judith exemplaris,
Hostem sterne signis claris,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

II.

1. Ave, mitis Sunanitis,
Flens post coenam nocte poenam
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
Ave, vitis, more litis
Spretas scisti laudes Christi,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

2. Ave, portus, mane tortus
Est confusus et illusus
Dulcis Jesus, dulcis Maria.
Ave, verna lux, fles terna
Hora caesum, spinis laesum
Dulcem Jesum, dulcis Maria.

3. Ave, grata commendata,
Et in sexta stans contexta
Dulci Jesu, dulcis Maria.
Ave, digna tecum signa
Flent in nona mater bona
Dulcem Jesum, dulcis Maria.

4. Ave, rosa radiosa
Sine spina, vespertina
Gyrat luce lux de cruce,
Dulci Jesu, dulcis Maria.
Ave, myrthus, coeli virtus,
Sero nato tumulato
Nos per crucem duc ad lucem,
Dulcem Jesum, dulcis Maria.

III.

1. Gaude, cella prolis diae,
Surgit stella, mors Goliae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
Gaude, melos melodiae,
Scandit coelos dux Eliae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

2. Gaude, donum prophetiae,
Mittit sonum harmoniae
Pneuma bonum turbae piae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
Gaude, legis mel sophiae,
Doctrix gregis et Messiae,
Veri regis Ezechiae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

3. Gaude, lumen galaxiae,
Transis flumen agoniae,
Petens numen theoriae
Per cacumen hierarchiae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.
Gaude, signum symphoniae,
Sis benignum nostrae viae
Vitae lignum, mortis diae
Phase dignum fac Josiae,
Dulcis Jesu, dulcis Maria.

Cod. Admonten. 383. saec. 14.

121. Ad B. Mariam V.

1. Ave, virgo Maria,
Ab omni miseria
Me clementer erue
Ac per coeli principem,
Quaeso, fac participem
Salutis perpetuae.

2. Ave, sidus fulgidum,
Me peccato languidum
Per medelam visita
Exorando Dominum,
Ut cunctorum criminum
Mihi laxet debita.

3. Ave, mater luminis,
Fac me sordem criminis
Lacrimis abluere;
Antequam discutiar,
Per te cuncto merear
Resanari vulnere.

4. Ave, decus virginum,
Per abrupta criminum
Me errantem corrige
Et a sorde scelerum
Tu, sanatrix vulnerum,
Me clementer erige.

5. Ave, spes fidelium,
Quae per tuum filium
Deles mundi crimina,
Fac, ut purus vitio
Tibi nec non filio
Digne promam carmina.

6. Ave, mater gratiae,
Precor, pulchra facie,
Te Christi sacristiam,
Fac me tuo munere
Semper digne sumere
Sanctam eucharistiam.

7. Ave, morum speculum,
Quae perlustras saeculum
Recto nitens tramite,
Fac ut morum gratia
Superna palatia
Te pertingam comite.

8. Ave, dulcis, annue
Et hoc mihi tribue,
Ut de carnis cellula
Nulla plaga vulnerum,
Nulla prorsus scelerum
Mecum pergat macula.

9. Ave, fons clementiae,
Mihi nunc in acie
Contra ictus daemonum,
Mater regis gloriae,
Aeternae victoriae,
Tribue subsidium.

10. Ave, virgo florida,
Regi regum placida,
Ne damner judicio,
Fac per tuam gratiam,
Ut me purum sentiam
Mentis, carnis vitio.

11. Ave, florens virgula,
Charitatis regula,
Cara coeli domina;
Fac perfecte diligam
Natum teque filiam
Nunc et absque termino.

12. Ave, fulgens meritis,
In inferno positis
Nullum est remedium;
Sed me modo corrige
Mihique nunc porrige
Salutis subsidium.

13. Ave, mitis omnibus,
Fac me tuis precibus
Terrena despicere
Ac per te Christicolam
Verae vitae regulam
Constanter perficere.

14. Ave, pia, corpori
Et interno vulneri
Medicinam conferas,
Malum, quo interius
Laedor vel exterius,
Virgo mater, auferas.

15. Ave, mundi gloria,
Tua me memoria
Salvet a supplicio,
Ne damner in infimis,
Mentem riga lacrimis,
Quibus laver vitio.

16. Ave, virgo virginum,
Aufer a me daemonum
Venenosa jacula,
Quae portasti Dominum
Ad salutem omnium
Sine carnis macula.

17. Ave, salus animae,
Ut non hostis contra me
Habeat victoriam,
Da per nati vulnera,
Ut nunquam per saecula
In morte obdormiam.

18. Ave, clara saeculo,
Parva in crepusculo,
Sana conscientiam,
Iram procul auferas
Et perfectam conferas
Mihi patientiam.

19. Ave, sidus regium,
Mihi nunc per filium,
Qui sustentat miseros,
Rectum confer spiritum,
Quo mortis interitum
Evadam et inferos.

20. Ave, mundi domina,
Oculorum crimina
Tuis lava precibus,
Mala visus dilue
Nec non cunctis tribue
Medelam vulneribus.

21. Ave, templum gloriae,
Fac me tuae gratiae
Interventu perfrui,
Terge, quaeso, vitium,
Vitii supplicium,
Quod auditu merui.

22. Ave, virgo regia,
Tua fac ut gratia
Pravum nihilominus
Ita gustum deleam,
Ut gustare valeam,
Quam dulcis sit Dominus.

23. Ave, sancta femina,
Virtutum ad culmina
Gratia paracliti
Me clementer provehas
Crimenque removeas
Odoris illiciti.

24. Ave, coeli lilium,
Regina coelestium,
Paradisi domina,
Meo nunc in corpore
Digneris abstergere
Pravi tactus crimina.

25. Ave, quae vivificas,
Per natum mollificas
Corda dura saxea,
Fac, ut tergam fletibus,
Incedendo pedibus
Quae commisi noxia.

26. Ave, morum regula,
Nulla regnet nebula
Intra carnis cellulam,
Tuus per te filius
Intus et exterius
Omnem tergat maculam.

27. Ave, lux eximia,
Lucis per obsequia,
Fac, ut Christo placeam,
Ut exutus corpore
Bono plenus opere
Coelo sumi valeam.

28. Ave, tuo munere
Temporali verbere
Mea terge vitia,
Sidus maris inclitum,
Sed nulla post obitum
Me tangant supplicia.

29. Ave, dulcis omnibus,
Tu virtutum floribus
Me frequenter imbue
Mihique per filium,
Qui est spes fidelium,
Finem bonum tribue.

30. Mea sine taedio
Psallat nunc devotio
Patri, nato, flamini,
Virtutem, potentiam
Laudemque perpetuam
Piae matri virgini.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. — 28, 1 Ante tuo Hs.

122. De B. Maria V.

1. Domine fac labia.
reserari clausa,
Ut pro nati gloria
sint resonare ausa
Mariae matri virgini
Laudes sine pausa.

2. Deus in auxilium
meum nunc intende,
Domina subsidium
mihi jam impende,
Ut non in exsilium
ruar, me defende.

3. Venite, mas et femina,
jam tempus exsultandi,
Exsurge laetissima
modo jubilandi,
Praeoccupando faciem
Dei confitendi.

4. Quia magnus Dominus,
Deus rex, plus quanto
Quovis multiplicius,
venerari tanto
Cunctis difficilius,
ipsum sed amato.

5. Singula, quae maris sunt
et terrae, tuo ductu
Reguntur et perficiunt
abundanti fructu,
Me, qui mare, aridam
fundasti, pie duc tu.

6. Ut hodie concipiam
et semper tua mira
Et vocem tuam audiam
concrepante lyra
Jussaque perficiam
fatiga sine dira.

7. Scio te praecipere
parentes honorare,
Hinc matrem tuam, Domine,
desidero amare
Et ei laudis carmine
cordicitus sonare.

8. Ave, radix regia,
concepta sine humo,
Designata mystico
non conubusto dumo,
Et crevisti subito
humilitatis fumo.

9. In ramos fortilissimos
plantatos Dei manu,
In quibus sedent spiritus
septem Dei manu,
Dona per quae funditus
es florens Dei manu.

10. O stilla nobilissima
conceptus virginalis
Pura tenuissima
muditia finalis
Purga immundissima
malitiae brutalis.

11. Salve, nata typice
figuris scripturarum,
Tibi vox hymnidice
dicta prophetarum,
Es cunctis plus veridice
Deo munus carum.

12. Te signat urna aurea
et concha rore plena,
Te notat scala coelica
et virga sat amoena,
Te ara thymiamatis
et arca, o serena.

13. Stilla roris, odor floris,
fons dulcis suavitatis,
Nata sine crimine,
flos vernae novitatis,
Genitos de crimine
jungito renatis.

14. Gaude, gaude inclita,
Ave, salutata
Voce ab angelica
quasi tremulata,
Pavens ista mystica,
nunquam violata.

15. Mox est tibi gratia
partus condonata,
Sed nunquam tua viscera
sunt vere onerata,
Hinc potestas deica
est magnificata.

16. Virgo, quae affabili
sic verbo respondisti:
Ecce, serva Domini,
fiat, ut dixisti,
Fac, simus prompti famuli
concepti Jesu Christi.

17. Plaude de magnalibus,
beata quia dicta,
Montana sine gravibus
quando es addicta,
Elisabethque domibus
sancte benedicta.

18. Partus tuus undique
Sic salutabatur,
Qui a te sola nullique
cuiquam norabatur,
Clauso partu denique
tibi revelatur.

19. Vox tua, quae in utero
infantem animavit,
Dicat Jesu Domino,
qui te in habitavit:
Reum reconcilio,
hinc Deus me creavit.

20. Laude plaude, salve, gaude,
fecunda coeli nuntio,
Perfecta in te dicta sunt,
quia natum gremio
Continens et vincla sunt
soluta tuo genito.

21. O columna sanctitatis,
quae gaudiosis manibus
Fers columnam firmitatis,
qua substat Deus omnibus,
O tutela libertatis,
laetemur tuis plausibus.

22. O medela sanitatis,
quam magistralis medicus,
Sole ortus trinitatis,
o coraula coelicus,
Fac gaudere lenitatis,
mentem cura penitus.

23. Vale, consolaberis,
moestissima dolore,
Cum filium perdideris,
Certissima amore,
In templo hunc inveneris
disputantis more.

24. O moesta, qui per triduum
sic a te quaerebatur,
Dubia te nimium
morte immolatur,
Nobis sacrificium
sicque pascha datur.

25. Nunc, virgo, sis laetissima,
natus jam resurrexit,
Frangens loca tristia
et coelos ire dixit,
Pneuma sacrum dirigens
sic suis benedixit.

26. Vale nobis, domina,
demum es datura,
Cum post multa tempora
sis hinc migratura,
Suspirans quasi languida
filium post cura.

27. O quis funeralibus
fratres interesse
Fecit, nisi Dominus,
colligens in messe
Fructus mirabilius,
det nobis tecum esse.

28. Virgo, mater regia,
coelis fis invecta,
Rege nos egregia
in via tuta recta,
Ut munda habitacula
simus et electa.

29. De profundis, Domina,
exaudi, qui clamamus,
Sis auribus propitia,
qui vocibus rogamus,
Servatur si malitia,
nescimus qua sistamus.

30. Sed propitiatio
est apud te, speramus,
Hincque sustentatio,
illuc spe curramus,
Ut tua deprecatio
nos juvet, ut oramus.

31. Ab ortu solis Israel
usque ad occasum
In te sperat Michael,
salves ut occasum,
In quo friget Uriel,
ne tendat ad occasum.

32. Concepta, nata, salutata
Montana pergens gratitudo,
Assumpta, nata, hilarata,
Aeterna regna speculando,
Accepta pacta tecum facta,
In laude regulando,
Quosvis tua gratia
Inducas te affando.

Cod. Graecen. 347. saec. 14. — 1, 2 reserare. — 5, 1 Singulae. — 29, 5 Servatur s malitia. — 29, 6 nescimus qualicstamus.

123. Ad B. Mariam V.

1. Ave, mundi spes, Maria,
Ave mitis, ave pia,
Ave plena gratia,
In te Deus semper tecum,
Quaeso, esto semper mecum,
Cor amore satia.

2. Ave, Deo desponsata,
Reverenter salutata
Gabriele nuntio,
Verbum bonum et suave,
Nam ex Eva format Ave,
Sic fit mira junctio.

3. Mira quidem genitura,
Quando contra carnis jura
Natus est de virgine,
Deus homo, virgo mater,
Prolis cujus Deus pater
Non carnis origine.

4. Ave, coeli restauratrix,
Angelorum imperatrix,
Salvans omne saeculum,
Almi pneumatis serena
Charismatum cella plena,
Sanctitatis speculum.

5. Ave, mater, cujus fructus
Fuga fuit nostri luctus,
Vitae separatio;
Eja, felix coeli porta,
Ex te nobis lux est orta,
Honor, exsultatio.

6. Ave, decus virginale,
Semper ave, gaude, vale
Summa ferens gaudia,
Natum, decus firmamenti,
Tu caliginosae menti
Desuper irradia.

7. Ave, nobilis factura,
Plus quam omnis creatura,
Coeli, terrae domina,
Mater summae pietatis,
Libro vitae cum beatis
Nostra scribe nomina.

8. Ave, templum majestatis,
Opus summae dignitatis,
Thronus regis gloriae,
O sacrarium virtutum,
Aditum fac nobis tutum
Tantae regis curiae.

9. Ave, fulgens maris stella,
Pulchra nobilis puella,
Omnibus amabilis,
Hester summo sponso cara,
Coeli civibus praeclara,
Cunctis venerabilis.

10. Ave, gemma claritatis,
Thymiama sanctitatis
Odoris salutiferi;
Eja rutilans aurora,
Nobis gratiam irrora,
Signum salutiferi.

11. Ave, civitas illustris,
Qua artificis industris
Magnitudo patuit,
Princeps universitatis
Sedem suae majestatis
In hac urbe statuit.

12. Ave, thronus Salomonis,
Siccum vellus Gedeonis,
Area coelo rorida,
Porta tu Ezechielis,
Lacus clausus Danielis,
Virga Jesse florida.

13. Ave, paradisi hortus,
Arca Noe, vitae portus
Morte navigantibus;
Eva laesit, tu sanasti,
Haec clausit, tu reserasti,
Aperi pulsantibus.

14. Ave, rosa caritatis,
Viola humilitatis,
Castitatis lilium;
Prolem gignis deitatis
Sub sigillo castitatis,
Nobis placa filium.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

124. De B. Maria V.

Lux orientalis, amica Dei specialis,
Aula salutaris, genitrix pacis generalis,
Virgo triumphalis, persona magisterialis,
Regula moralis, regina imperialis,
Femina regalis, fidei calor effigialis,
Foedere sponsalis sed nulli connubialis
Nec naturalis usus pariendi jugalis,
Spes mea causalis, mediatrix sola vocalis,
Munere pluralis largaque manu venialis,
Hostia paschalis, cujus fuit alta sub alis,
Gloria vitalis, salvatio materialis,
Ops medicinalis, placatio subsidialis,
Mentio festalis, operatio prodigialis.
Sed neque ruralis se miscuit officialis,
Sic immortalis fuit actio spiritualis,
Nullaque carnalis corruptio foeda sodalis.
Flos rosa vernalis et fructu perpetualis,
Cujus odor suavis vitiis est exitialis,
Stella diurnalis, reverentia catholicalis,
Mentibus humanis non est laus ejus inanis.
Fons rationalis et Christi collateralis,
Plus quam regalis, quia non erat altera talis,
Nec fuit aequalis tam fortis et imperialis.
Mater ovans regis, in cujus lumine degis,
Nobilis, insignis, memorabilis, inclita, mitis,
Strenua, sublimis, sed tota potenter herilis,
Jure cluens prole, pariens tamen absque dolore,
Splendidior sole, coelesti plena decore,
Fac fore me curae sine fine tuae geniturae,
Laetitiae portus cujus mundo fuit ortus.

Cod. Vatican. 636. saec. 13.

125. De B. Maria V.

1. Divinitatis hortus
Salutis est portus,
In te, virgo benigna,
Sunt dona infinita,
In te, virgo beata,
Sunt dona cumulata,
In te, virgo electa,
Sunt omnia perfecta.

2. Per te, virgo Maria,
Nobis dantur divina,
In te virescit satis
Cypressus puritatis,
In te candescit magis
Lilium castitatis,
Tu es mater Minorum,
Refugium peccatorum.

Cod. Mellicensis 932. saec. 15.

126. De B. Maria V.

1. Cum velarent montes aquae,
Arcam Noe circumquaque
Liniens bitumine
Te, Maria, figuravit;
Ave ergo, quam dotavit
Deus suo numine.

2. Licet brevis, licet parca,
Spem inclusis dedit arca
Vitandi diluvium,
Sic te duce tuo ductu
Per te dato vitae fructu
Datur vita gentium.

Orat. ms. Majoris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

127. Ad B. Mariam V.

1. Rubus in te concrematur,
Tua carne dum velatur
Patri compar filius;
Ut nec rubus est minutus,
Sic nec Deus te indutus,
Nil hac re subtilius.

2. Ob hoc Deus in te regnat,
Suo flatu te impraegnat
Et perrorat gratia;
Ut sis nobis suffragatrix,
Desperatis sublevatrix,
Nos exaudi, domina.

3. In te fides est unita,
Nos defende, precor, ita
Hac in vita misera,
Ne damnemur post decessum,
Sed gaudere sit concessum
In coelesti patria.

4. Hac in valle lacrimarum
Tu, quae flos es dominarum,
Nostras preces suscipe,
Ut mundemur a delicto,
Ne ponamur in proscripto
Tuo coram filio.

5. Ab Aegypto liberamur,
A catena denodamur
Regis Babyloniae,
Juga regis relaxantur,
Per te nova reparantur,
Flos obedientiae.

6. Umbram dum virginitatis
Est agressus deitatis
Hinnulus meridie;
Quod quaesivit, adinvenit,
Per te Christus nos redemit
Pacem dans ecclesiae.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15.

128. Ad B. Mariam V.

1. Ave, cujus ventris fructus
Morbos, pestes, iras, luctus
Trivit trito funere;
Ave bona, ave bonum,
Per quod Deus ultionum
Nobis egit libere.

2. Ave sola pollens tribus,
Si non quantis, dico quibus,
Fronde, flore, germine:
Frons obumbrat, flos demulcet
Germen pascit, ut conculcet,
Quod putet in homine.

3. Ave, parens sine pare,
Pariendo gloriare,
Partu parta gloria;
Ave, portus, ave, porta,
Hunc portasti, quo absorpta
Mors est in victoria.

4. Virgo, vitis, clavis, ave,
Per quam mortis fracta clave
Vita mortem abolet;
Aquis motis in piscina
Solve mentem a sentina,
Quae sentinam redolet.

5. Ave, pulchra et decora,
Cum te colam, me decora,
Ne culpa dedecoret;
Instat enim mihi reo
Hostis mihi tamquam leo,
Qui quaerit, quem devoret.

6. Ave, clemens et benigna,
Quae pudoris tenens signa
Facta es puerpera,
Cujus facti sacramentum
Omne pellit argumentum,
Nisi fallat litera.

7. Stilla favi, stillans ave,
Fove reum, reo fave,
Omni favo dulcior,
Dulcis rosa super favum,
Cladis meae rumpe clavum,
Quo clavatus crucior.

8. Praedotata de sublimi
Super primas, ave, primi
Mater et novissimi;
Ave, quia tu fovisti
Tuo sinu membra Christi,
Cara praecarissimi.

9. Ave semel, ave rursus,
Ave, per quam noster cursus
Promeretur bravium;
Ave, quia quod faex Evae
Longum fecit, nobis breve
Reddidisti stadium.

10. Sola solis fulgens more,
Ave, cujus in odore
Unguentorum currimus,
Generalis generosa,
Ave, quam in mortis hora
Reis piam novimus.

11. Ave, caput nostrae spei,
Spes colenda, mater Dei,
Nobile triclinium;
Ave, coelo fulgens luna,
Sed defectu carens una
Portans pondus omnium.

12. Hoc audemus de te fari,
Quod, si sancte majorari
Possit sancta trinitas,
Quarta tibi pars daretur,
Quod idcirco prohibetur
Ne fiat quaternitas.

13. Pia mater Jesu, ave,
Quam eversa mari nave
Nautae timor invocat;
Ave semel et secundo,
Cujus virtus in profundo
Mersos sursum revocat.

14. Super mites ave mitis,
Ave palmes, ave vitis,
Palmes vitem generans;
Hac de vite palmes venit,
Palmes vitem hanc praevenit,
Nil tamen praeposterans.

15\. Ave, mundi necans necem,
Cujus totum est, ut precem
Fundas pro peccantibus;
Ave, cujus favet voto
Coeli turba nisu toto,
Voluntate, viribus.

16\. Ave, clemens o Maria,
Mente Rachel, actu Lia,
Hoc modo non aliter:
Rachel, quia contemplaris,
Lia, quia fecundaris,
Tamen dissimiliter.

17\. O Maria, matrum palma,
Mater dulcis, mater alma,
Cujus fisus nomine
Confidenter cantat reus:
Miserere mei Deus,
Parce mihi, Domine.

18\. Cum in coelis sis assumpta,
Ave, tamen semper prompta
Infirmis succurrere;
Si rogeris puro corde,
Rogans mundus fit a sorde,
Verbum complens opere.

19\. Quid centenis utens linguis
Dicam, nisi quod exstinguis
Virgo luxus hominum;
Ave multum, ave plene,
Quae doloris nostri poenae
Posuisti terminum.

20\. Hoc silebo, hoc loquarne,
Quod de carne sine carne
In te caro floruit?
Unde semper et non raro
Sit beata tua caro,
Qua nostra refloruit.

21\. Ave, virgo jubilea,
Qua solvuntur reus, rea
Et laxatur debitum,
Ave rursus, et solutos
Fac a mundi faece tutos,
Vitam dans post obitum.

22\. Si quid habent boni boni.
Fit per bonum tui doni,
Ave, donans jugiter,
Non nobis te nostris bonis,
Sed revera tibi omnis
Laus in fine canitur.

23\. Ave per quam summum ducem,
Immo suam vidit lucem
Populus in tenebris;
Ut viderent lucem isti,
Mortis somnum repulisti
Ab eorum palpebris.

24\. Piis bona, pia bonis
Praemonstrata Gedeonis
Madidato vellere;
Ave, cujus ditioni
Subdunt sua seque boni
Mente, verbis, opere.

25\. Loquens mane, loquens sero
Vere minus erit vero,
Quidquid de te dixero;
Sed silere cum sit grave,
De te tibi semper ave
Dicam, quoad vixero.

26\. Ave, cujus dulce nomen
Gratus odor est et omen,
Hilaris memoria;
Ave, virga, quam de Jesse
Egressuram nobis esse
Sonuit historia.

27\. Fertur virga floruisse,
Florens statim fronduisse,
Frondens dans amygdalum;
Valet aegris fructus ille,
Tuus solvit non a mille,
Sed a cunctis scandalum.

28\. Virga silex bis percussus
Aquas fundit quasi jussus,
Quibus gregem satiat;
Sic Maria dura quidem
Mundi mollit, ejus fidem
Format, nutrit, ampliat.

29. Si de cruce loquar Christi,
Ave, quia tu fuisti
Caput hujus operis;
Nunquam enim pateretur,
Nisi de te nasceretur
Descendens a superis.

30. Ave, quia sicut leo
Caudam trahens delet eo,
Quo vadit, vestigium,
Sic et tuum intrans alvum
Deus exit servans salvum
Virginale gremium.

31. Ave, David illa turris,
Quae sustentas et succurris
Laesis hostis vulnere;
Ave, quies et asylum
Quae non solum sinis pilum
Perire de capite.

32. In Judaea tantum notus
Olim Deus per te totus
Noscitur totaliter;
Ave, mater castitatis,
Cui prae cunctis favet castis
Deus specialiter.

33. Si quid boni praedicatur
De quo bono, tibi datur
Salva nati gratia;
Ave, cujus per obtentum
Aes mutatur in argentum
Et in aurum scoria.

34. Mundus mendis inundatus
Per te mundam fit mundatus
Nec tot immunditiae
Mundo erant in errores,
Quot mundati tibi rores
Insunt et munditiae.

35. Quot arenas habet mare,
Tot debemus Ave dare
Tibi, plena gratia;
Nec arenae tot sunt mari,
Quot sunt, quibus commendari
Debet tua gloria.

36. Ave, solis illa vestis
Qua vestire solem gestis,
Vestis, quam nil perforat;
Solem vestis carne munda,
Carnem tuam sol jucunda
Deitate roborat.

37. Pro his, pro tot et pro tantis,
Ave, virgo, vigor stantis,
Lapsi resurectio;
Omnis enim stans stat tibi,
Si quis cadit, ades ibi,
Ut sis relevatio.

38. Et quid dicam de te, mater,
Ave, semel, bis, ter, quater,
Ave, plena gratia;
Ave, sanctum thymiama,
Cujus solvit sola fama
Natos a miseria.

39. Ave, cujus verbis favit,
Aquam Deus dum mutavit,
Dum vinum deficeret;
Istud tibi plus adscribo,
Sine qua potu nec cibo
Convivas reficeret.

40. Rubus ardens incombustus,
Quod cor, auris, lumen, gustus
Non gustarunt, docuit;
Quid? te, virgo, parituram
Et post partum permansuram
Virginem, ut decuit.

41. Quod Aegyptus spoliatur,
Quod in mari suffocatur,
Turba Pharaonica,
Cum hoc donum per te datur,
Ave, tibi duplicatur
Et cum hymnis cantica.

42. Ave, quies ad quietem,
In qua nostrum Moysetem
Quievisse novimus;
In quiete quies tota,
Quies motu nullo mota,
Quies, qua quievimus.

43. Omni grata, nulli gravis,
Speciosa et suavis
Tuis in deliciis,
Oris nostri sumens Ave
Nos defende mortis a vae,
Lamento, miseriis.

Cod. Cantabrigen. Ff. VI 14. saec. 13. A. — Orat. ms. Coelestin. saec. 15. Cod. Parisien. 18571. B. — 5, 5 Hostis nequam B. — 6, 6 fallit B. — 7, 1 Stilla fumi A. — 7, 2 reum fove, fave A. — 8, 5 Sinu tuo B. — 8, 6 Praecara carissimi B. — 13, 2 maris B. — 13, 4 sqq. fehlen A. — 14, 1 Inter mites A. — 19, 1 centenis mille linguis B. — 19, 5 Quae fehlt A. — 22, 1 Sed quid A. — 23, 5 Mortis noctem B. — 28, 4 durum quidem B. — 28, 5 Mundum B. — 29, 3 ipsius operis B. — 33, 1 Sed quid A. — 33, 2 De hoc bono B. — 34, 1 immundatus B. — 35, 4 avenae B. — 35, 5 quibus gloriari A. — 36, 1 Ave sola B. — 40, 4 Quod B. — 43, 1 Cunctis grata B. — Den Verfasser des Liedes nennt A: „Incipit rhythmus magistri Stephani Tornacensis ad laudem et honorem BMV.“

III.

DE SANCTIS.

---

129. Litania Omnium Sanctorum.

1. Summe pater, sancte Deus,
Nunc te precor ego reus,
Pie mei miserere,
Ut digne queam deflere,
Quod commisi nequiter.
Si vis, potes me mundare,
Sine te non possum stare
Sed neque ad te transire,
Nisi mihi subvenire
Digneris celeriter.

2. Jesu Christe, verbum patris,
Qui carnem de carne matris
Homo factus induisti
Atque propter nos obisti
Crucis in patibulo,
Tuae, precor, memor mortis
Mihi sis adjutor fortis
Ac dono tuae virtutis
Auctor meae sis salutis
In omni periculo.

3. Amborumque pneuma sacrum,
Esto mihi nunc lavacrum,
Peccatorum sordes mundans
Atque meum cor fecundans
Spiritali gratia.
Si me laves, mox mundabor,
Nisi sanes, non sanabor,
Si non donas me mundare,
Nequidquam possum laudare
Deum cum fiducia.

4. Tu, qui trinus in personis,
Indivisus es in donis,
Unus es in deitate,
Deus pater, flamen, nate,
Unus in substantia,
Mentis meae pravitatem
Regens duc ad veritatem
Fidei, spei, amoris,
Totum me coelestis roris
Replens abundantia.

5. O Maria, stella maris,
Virgo mater singularis,
Speculum virginitatis
Et totius trinitatis
Nobile triclinium;
Ora pro me, virgo pia,
Ut in hujus vitae via
Conversando sic incedam,
Ut non incidam in praedam
Hostibus fidelium.

6. Chori novem angelorum,
In Sion Deum deorum
Contemplando qui videtis
Et in ejus congaudetis
Jugiter praesentia,
Ipsum, precor, exorate,
Ut pro sua pietate
In me lavet, quidquid sordet,
Et remittat, quod remordet.
Tristem conscientia.

7. Johannes, baptista Christi,
Qui vocem patris audisti,
Ut vidisti descendentem
Spiritum clare nitentem
In columbae specie,
Ipsum ora baptizatum,
Ut peccatis emundatum
Me post temporalem mortem
Esse faciat consortem
Coelestis laetitiae.

8. O vos proceres bis seni,
Spiritali musto pleni,
Signis, factis et doctrina
Sacramenta qui divina
Edidistis libere,
Pro me ferte preces pie,
In illa tremenda die
Quando judex est venturus
Pius bonis, malis durus,
Justo reddens munere.

9. O vos sancti Christi testes
Qui vestras lavistis vestes
In hujus agni cruore,
Mundum qui suo livore
Sanavit feliciter,
Vos nunc in conspectu Dei
Memores estote mei,
Ut post hujus vitae cursum
In coelum ascendam sursum
Ad laetandum jugiter.

10. Omnes sancti confessores
Quorum vita, verba, mores
Hic Christus sic approbavit
Et vos secum collocavit
In coeli palatio,
Ne seductor animarum
In hac valle lacrimarum
Me in ulla parte laedat,
Pro me, precor, intercedat
Vestra supplicatio.

11. Cum decore virginali
Fide Christo spiritali
Quae ferventer adhaesistis
Et in ejus introistis
Gaudenter potentias,
Vestra prece pro me state,
Ut ipsius largitate
Conferatur mihi segni,
Ut apertis portis regni
Gradiar ad nuptias.

12. Omnes sancti cives coeli,
Precor mente vos fideli,
Qui cum Christo jam regnatis,
Ut meae calamitatis
Memores miseriae
Oretis pro peccatore,
Ut a Leviathan ore
A peccatis absolutus
Ex hac valle vadam tutus
Ad tribunal gloriae.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Paulanus Hospitalen. cart. 326 saec. 15. B. — Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8 anni 1410. C. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. D. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. E. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. G. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021 H. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. I.

A hat (von anderer Hand) die Angabe: „Arnesti archiepiscopi primi Pragensis“; dagegen F: Letania Domini Alberti Magni. Et est in tono: Veni dulcis consolator, Tenebrarum illustrator etc.“ Erstere Angabe verdient Glauben.

1, 2 Peccatorum ego reus BC; Peccator ego atque reus EF. — 1, 3 Mei pie E; Mei precor BCF. — 1, 4 Ut sic digne queam flere EF. — 1, 5 Quae commisi E. — 1, 6 me sanare B. — 1, 8 Sed nec ad te datur ire BCEFI. — 1, 9 Si non mihi I. — 2, 3 Factus homo B. — 2, 6 Ejus precor CEF; Hujus precor B. — 2, 8 Atque dono tuae EF. — 2, 10 Omni in F. — 3, 1 Utrinsque pneuma BEFI; Sanctumque pneuma C. — 3, 3 sordes munda B. — 3, 4 fecunda B. — 3, 5 Speciali gratia C. — 3, 7 Nisi laves B; non curabor BCI. — 3, 8 Si non dones BCEF; mis orare B; nec orare EF; non orare I. — 3, 9 Nunquam possum nec laudare B; Quidquam possum vel laudare EF; Quidquam possum nec laudare I. — 4, 1 Tu es trinus C. — 4, 3 Deus pater, flamen, nate BCEFI. — 4, 4 Tres unus in deitate CEFI; Tres unum B. — 4, 5 Unum in C; Et unum in EF. — 4, 6 Meae mentis BC; Nostrae mentis EF; Horum mentis I; trinitatem BEFI. — 4, 7 ad unitatem BEF; Rege nunc in unitatem I. — 4, 8 Fidei, spei, caritatis A; spei et amoris EF; — 4, 9 Me totum EF; Auctor meae castitatis A. — 4, 10 Tua fecundet gratia B. — 5, 1 O praeclara stella BCE. — 5, 9 Ut in praedam non incidam A. — 5, 10 Hostis fidelium A; Hostium infidelium B; Vincam infidelium I. — Str. 6 fehlt C. — 6, 4 Et de ejus qui gaudetis BI. — 6, 7 Ut sua cum BI. — 6, 8 Lavet in me I. — 6, 9 Et dimittat B; Et relaxet I. — 6, 10 Tristis conscientia A; Tristem conscientiam BEF. — 7, 3 Et vidisti B. — A peccatis C. — 7, 9 Faciat esse C. — 8, 1 Et vos proceres E; O vos proceres BI. —

8, 2 Dei caritate pleni E. — 8, 4 quo divina I. — 8, 5 Docuistis libere E. — 8, 6 Ferte pro me EF. — 8, 7 Ut illa tremenda A. — 8, 9 Piis mitis BI. — 8, 10 Justo vivens munere A; jungens munere C; urgens munere I; Me dextris velis jungere EF. — 9, 1 O beati Christi BCEFI. — 9, 2 Qui lavistis vestras BCI; Vestras qui lavistis E. — 9, 3 In ejus agni I. — 9, 4 Suo mundum qui BCEFI. — 9, 9 conscendam BCEFI. — 10, 3 Hic sic Christus B. — 10, 4 Quod vos secum E; secum nunc locavit I. — 11, 2 Christo EF; speciali BI. — 11, 3 Cui ferventer A; Qua ferventer EF. — 11, 4 Et laetanter introistis BCEFI. — 11, 5 In cujus potentias B; In ejus potentias CEFI. — 11, 6 Mihi vestris obtinete ABI. — 11, 7 Precibus ut cum quiete ABI. — 11, 8 Ego miser ac solutus A; Contritus poenitens, confessus B: A peccatis absolutus I. — 11, 9 Ex hac valle vadam tutus A. Purus meus sit acceptus B; Liber vadam atque tutus I. — 11, 10 Ad coeli delicias A. Ad coelestes nuptias BCI. — 12, 1 Universi cives coeli BCEFI. — 12, 2 Mente precor BEF; vos mente C. — 12, 3 nunc regnatis BCEF. — 12, 4 Sitis meae calamitatis A. — 12, 5 et miseriae ACEF. — 12, 6 Orate A. — 12, 8 Ego liber ac solutus BCEFI. — 12, 9 hac vita BCEF. — 12, 10 Ad coelestes nuptias A.

130. Litania Omnium Sanctorum.

1. Istam dicas humili
voto letaniam,
Pro te et pro reliquis
aurem pulsans diam,
Ut nos Christus dirigat
in salutis vitam
Et possitis carpere
summam hierarchiam.

2. Qui plasmasti hominem
mirum per emplastrum,
Et discernis singulum
per discrimen astrum,
Qui evellis frutices
nec per ferri rastrum,
Nos avulsos vitiis
duc ad tuum castrum.

3. Patris unigenite,
bone Jesu Christe,
Patri tuo pontifex
pro nobis adsiste,
Ut det nobis gaudium
auferat et triste,
Ne nos ad interitum
ducat mundus iste.

4. Amor indeficiens
et patris et prolis,
Intus nos illumina
igne summi solis,
Aufer nobis taedium
cujuscunque molis,
Ut simus pervigiles
in sanctorum scholis.

5. In personis trinitas,
qui es Deus unus,
Nobis supplicantibus
hoc largire munus,
Ut, quod datur miseris,
transcendamus funus,
Et nobis petentibus
da coelorum munus.

6. Maria, quam satanae
non infecit fucus,
Nec sollicitaverant
opes, ager, lucus,
Sed templo servaverat
Deus nec eunuchus,
Fac, ne nos adficiat
infernalis bruchus.

7. Sancta Dei genitrix
fundens orbi lucem,
Quam ad regnum perditum
jam habemus ducem,
Dum surgit a mortuis
Christus, scandit crucem,
Hunc roga, quod deprimat
nostrum hostem trucem.

8. Sancta virgo virginum,
quae mundo tulisti
Gaudia, dum Dominum
nostrum peperisti,
Cujus fortitudini
non potest resisti,
Fac nos ejus, petimus,
ante thronum sisti.

9. Qui draconem visceras
in monte Gargano,
Michael, spiritui
fraenum fac vesano,
Esto nobis obviam
in salutis plano,
Ut migremus ad Jesum
cum conductu sano.

10. Per quem plena, Gabriel,
virgo fit inventa
Flatu, per quem peperit
Christum, qui tormenta
Pro nobis pertulerat
praestans levamenta,
Ne tangamus, petimus,
Orci pavimenta.

11. Raphael, qui nuntias
nostra vota caelis
Et Tobiae fueras
in via fidelis
Et per fel pisciculi
caecitatis telis
Tobiam salvaveras,
nos sanare velis.

12. Angeli, archangeli,
potestates, throni,
Cherubim et Seraphim
senesque coloni,
Ad orandum Dominum
prece sitis proni,
Ut simus participes
sempiterni boni.

13. Prophetarum maxime,
Johannes Baptista,
Apud Christum Dominum
orans pro nobis sta,
Ne nos prendat miseros
priscus agonista,
Sed fruamur gloria
spolia post ista.

14. O dilecti Domini
sancti patriarchae,
Quos salvavit Dominus
per tutelam archae,
Fundite precamina
Domino jerarchae,
Ut coelestis patriae
simus commonarchae.

15. Futurorum scioli,
vos sancti prophetae,
Qui cum Deo famini,
preces jam praebete,
Veteris ut aucupis
transvolemus rete,
Carpentes confugium,
cujus non sunt metae.

16. Petre, coeli claviger,
qui potes ligare
In terra ac solvere,
pro nobis precare,
Ut nobis peccamina
velit condonare,
Qui tibi condoluit,
cum fleres amare.

17. Vas electum Domini,
o beate Paule,
Cum: quid me persequeris,
dixit, Saule, Saule,
Christus, ejus factus es
agnus sanctae caulae,
Coeli nobis impetra
mansionem aulae.

18. O per crucem redimens
gaudium Andrea,
Plebem firmans triduo
suspensus in ea,
Roga tuum Dominum,
criminis ne rea
Segregemur anima
sanctorum chorea.

19. Johannes apostole,
Christo praedilectus
Et in coena recubans
ejus supra pectus,
Hunc roges, qui latus est
lancea transjectus
In cruce, ne perimat
nos Satan dejectus.

20. Praetoris officium
gerens theloneo,
Matthaee, apostolus
vocatus a Deo,
Roga, qui vocavit te,
advocemur eo,
Quo nos non afficiat
lupus neque leo.

21. O sancti apostoli,
qui per mundum missi
Praedicastis gaudii
jacturam amissi
Nec per ullam haeresim
exstitistis fissi,
Nos transferri facite
fluvium abyssi.

22. O Christi discipuli,
qui mundum sprevistis
Et salutis monita
jugiter audistis
Et audita reliquos
digne docuistis,
Facite, ne premat nos
Orci turba tristis.

23. Baptizati sanguine
sancti innocentes,
Quos Herodes necuit
ubera lactentes,
Et, quocunque ierit,
agnum jam sequentes,
Hunc pro nobis petite
ad thronum canentes.

24. Gloriose Stephane
lapidantes passus,
Nec pro lapidantibus
orans eras lassus
Atque Christum cernere
coelo stantem fassus,
Non sit pro petentibus
sermo tuus cassus.

25. Oswalde, rex inclitus
et martyr insignis,
Eja, Christum rogita
precibus benignis,
Ut nos a spiritibus
conservet malignis,
Ne nos ardor opprimat
infernalis ignis.

26. Laurenti, craticulae
coronate lauro,
Dispersis pauperibus
opibus et auro,
Roga Christum, servet nos
a nequam centauro,
Ut fruamur denique
coelesti thesauro.

27. Cui fontem innuit
agnus pede, Clemens,
Cujus festis singulis
maris unda vehemens
Refugit, ut quaerant te
claudus, caecus, demens.
Fac, sit nobis proximus
Agnus Dei clemens.

28. O pastor egregie,
Archipraesul Thoma,
Christo praebens victimam
carneum in coma
Ad altare Domini
et sub ejus doma,
Da pro nobis Domino
precatus aroma.

29. O vos sancti martyres,
effuso cruore
Coronati gloria
laudis et honore,
Satiari facite
nos coeli dulcore.
Angelos qui reficit
consueto more.

30. Praesul par apostolis,
o sancte Martine,
Ad Deum et homines
viae sequax binae,
Cui non nocuerant
infestantes minae,
Roga Deum, salvet nos
a lapsu ruinae.

31. Nicolae pontifex,
qui tres liberasti
De mortis angustia
et tres maritasti
Inconsultas virgines,
preces summo plasti
Funde, quod ab ore nos
servet lacus vasti.

32. Benedicte nobilis,
monachorum lumen,
Qui compescens Satanam
carnis per legumen
Asperum, oraveras
trinitatis numen,
Roga Deum, et nos non
comprimat alumen.

33. O confessor nobilis,
pontifex Edmunde,
Pro Christi ecclesia
perferens abunde
Damnum et exsilium,
preces Deo funde,
Ne morti post obitum
tradamur secundae.

34. Sequax castimoniae,
sancte praesul Hugo,
Quem non inquinaverat
titilans lanugo,
Fac, quod nostra rasa sit
criminis ferrugo,
Ne post mortem animam
corrodat aerugo.

35. Recusantes terrea
sancti confessores,
Contemplantes coelica
carnis contemptores,
Facite, quod conterat
nostros subversores
Christus, qui nos redimens
sustulit dolores.

36. O vos, sancti monachi,
laudibus adstantes,
Pro nobis et ceteris
vota Deo dantes,
Per vestra suffragia
sitis nos salvantes,
Ne hoc mari fluido
simus naufragantes.

37. O fugaces hominum
mites eremitae,
Habitantes eremum,
ut sepulta lite
Toti sitis compotes
contemplantis vitae,
Per vos hostis careat
nostra Sunamite.

38. Contemplatrix coelicae
vitae Magdalena,
Laudanda peccantibus
dulci cum camoena,
Ubi sonant organa,
cantat philomena,
Per te nos suscipiat
Christus ad amoena.

39. Quae vicisti rhetores
quaestione mota,
Katharina, ferrea
quam torquebat rota,
Pro nobis supplicibus
Christo funde vota,
Ut sit a tortoribus
anima semota.

40. Virgo fide stabilis,
Sancta Margareta,
Hostem spernens invidum,
virtute repleta,
Rogita clementiam,
cujus non est meta,
Ut iniqui judicis
salvet nos a theta.

41. Deo carnem offerens,
Agnes dire torta,
Dum spernis conjugium,
duceris ad scorta,
Quo lux necans impios
coelitus est orta,
Fac, sit nobis patula
jam coelestis porta.

42. O sancta Caecilia,
facie venusta,
Sed fide venustior,
Mundo, Deo justa,
Quod uterque petit dans,
pro supplicibus sta
Nobis, ne nos noceat
barathri locusta.

43. Sectatrix munditiae
virginum caterva,
Agno sine macula
preces coacerva
Et virtutem zabuli
precibus enerva,
Ne nos truculentia
deprimat proterva.

44. O matronae nobiles,
coelorum matronam
Exorantes petite
jam per mentem bonam,
Ut per eam Dominus
det nobis annonam,
In coelis restituens
centuplam coronam.

45. O puellae nubiles,
o vos defloratae,
Matrem Dei petite,
Magdalenae date
Preces, ut ad Dominum
plenum pietate
Instantes pro nobis sint
in necessitate.

46. O vos omnes coelibes
Christi speciales,
Vos pulsate, petimus
Aures divinales,
Ut regni participes
simus nos sodales,
Ne nos tandem terreant
larvae stygiales.

47. O Deus omnipotens,
a quo cuncta cerni
Constat et, antequam sunt,
ideas discerni,
Amnis, ignis, aeris,
telluris, falerni,
Serva tuos famulos
ab imbris Arverni.

48. Jam lector amplecteris
finem letaniae,
Dicas sic ad Dominum
voto mentis piae:
Nos et hunc, qui scripsit hoc,
unicus Mariae
Filius custodiat
in suprema die.

Cod. Oxonien. Rawlins. C. 510. saec. 13. — 28, 4 Lies Carneum in coma? oder cerebrum in coma? oder carneam in coma? — Dafs diese Litanei von einem englischen Dichter herrührt, braucht wohl nicht bemerkt zu werden.

131. De Omnibus Sanctis.

1. Ave, summa trinitas,
Omnis per te sanctitas
Mihi Largiatur,
Ave, virgo virginum,
A me per te criminum
Culpa deleatur.

Virtus mihi Michael,
Gabriel et Raphael,
Per vos dirigatur,
Per cunctosque spiritus
Divos mihi coelitus
Salus augeatur.

2. Ave, apostolica
Cohors et prophetica
Et patriacharum;
Adsit quoque medicus
Chorus et theoricus
Evangelistarum,
Adsint et discipuli,
Contemptores saeculi
Et rerum cunctarum.
Omnes pro me fundite
Preces et me cingite
Donis gratiarum.

3. Ave, innocentium
Turba morientium
Pro Christo, beata
Turba, ave, niveo
Candore et rubeo
Martyrum ornata.
Per vestra martyria
Mater est ecclesia
Pulchre purpurata,
Pro vestra victoria
Mihi dentur gaudia
In coelis optata.

4. Ave, o pontificum
Cohors et mirificum
Agmen monachorum,
Adsint eremicolae
Et omnes deicolae
Legis confessorum;
Occurrant et virgines.
Viduarum ordines
Et conjugatorum,
Omnes me attendite,
Pro me preces edite
Principi coelorum.

5. Ave, turba omnium
Civium coelestium,
Qui regnant cum Deo;
Propter mea vitia
Ad vestra suffragia
Supplex ego fleo,
Pro me intercedite
Placatumque reddite
Deum mihi reo,
Sim in coeli solio
Vobiscum in gaudio
Et cum Jesu meo.

Cod. Mellicensis 932 saec. 15. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — 1, 3 Mihi fehlt A. — 1, 6 Culpa fehlt B. — 1, 8 et fehlt A. — 1, 10 que fehlt A. — 1, 11 Dives A. — 1, 12 Semper augeatur A. — 2, 4 Adsit quoque fehlt B; modicus B. — 2, 11 me ungite B. — 3, 1 innocentia B. — 3, 2 morientia. — 3, 4 Ave turba B. — 3, 5 Candoreque B. — 2, 7 bis 9 fehlen B. — 2, 11 Nobis dentur A. — 4, 4 Adsint et heremicolae B. — 4, 5 Omnesque B. — 4, 7 Occurantque B. — 5, 3 Regnat quae cum B. — 5, 5 Placatumque B. — Das Lied steht bei Mone III, 8 sq., aber lückenhaft, weshalb es hier wiederholt ist.

132. Litania Omnium Sanctorum.

1. Clemens pater, verbi sator,
Christe, saecli reformator,
Paraclite consolator,
Deus, clemens miserator,

R° Da ut omnis plebs sanctorum
Te imploret atque horum
Audi voces, rex coelorum.

2. O decore rex coelestis,
Da solamen vitae maestis,
Ut post hujus finem pestis
Intersimus tuis festis.

3. O Maria, florens rosa,
Virgo Jesse fructuosa,
Nobis prece gloriosa
Regna pande liliosa.

4. O phalanges angelorum,
O custodes viatorum,
Inter odas beatorum
Nos transferte gaudiorum.

5. O praecones summi regis,
Servatores scriptae legis,
Patriarchae cum prophetis,
Nobis pie suffragetis.

6. O praecusor claritatis,
O baptista veritatis,
Te poscentem pro peccatis
Ora fontem pietatis.

7. Sancte Petre, pastor bone,
Summo gregi nos appone,
Paule doctor, orbis lumen,
Coeli nobis placa numen.

8. O coelorum senatores
Atque orbis decursores,
In extremis adjutores
Sentiamus, non tortores.

9. O cruore purpurati,
Christo duce laureati,
Vestra prece decorati
Collaetemur coronati.

10. O beati confessores,
Mundanorum contemptores,
Paradisi per vos flores
Consequamur et honores.

11. O decorae et prudentes,
Castitate redolentes,
Opem ferte, repellentes
Impudicae vitae sentes.

12. Omnes sancti, vos rogamus,
Ut oretis, supplicamus,
Ne confusi pereamus
Sed vobiscum gaudeamus.

13. O sanctorum rex benigne,
Sempiterna laude digne,
Vitiorum nos ab igne
Munda, sacro replens igne.

14. Pater, Verbum, sanctum flamen,
Electorum tu juvamen,
Nobis pium da solamen
Et aeternum regnum. Amen.

Cod. Cantabrigen. Ff. VI 14. saec. 13. — 1, 5 bis 7 kehren als Rundreim nach jeder Strophe wieder. — 4, 2 custodes beatorum. — 5, 3 a prophetis. — 14, 2 Electorum in juvamen.

133. Litania Omnium Sanctorum.

1. Deus pater, qui creasti
Mundum et illuminasti,
Suscipe me poenitentem
Et illustra meam mentem.

2. Fili Dei, Jesu Christe,
Ad te venit reus iste,
Qui in coeli sedes arce,
Supplicanti mihi parce.

3. Sancte, spiritus, tuorum
Consolator miserorum,
Respice me peccatorem
Infundens tuum amorem.

4. Deus unitas superna
Trinitasque sempiterna,
Ut intendam tuae laudi,
Meos gemitus exaudi.

5. Dei genitrix, Maria,
Virgo clemens atque pia,
Ora pro me peccatore,
Ornans me virtutum flore.

6. O Maria, Deo cara,
Stella lucens et praeclara,
Confer mihi caritatem
Necnon et humilitatem.

7. Fac me tibi deservire
Et in te vitam finire,
Ut per te justificari
Possim, per te et salvari.

8. Michael, victor draconis
Pietatisque praedonis,
Volentem mihi nocere
Fac omnino non valere.

9. Gabriel, nuntie Christi,
Cujus ortum praedixisti,
Obsecro, mihi dignare
Mortem meam nuntiare.

10. Raphael, medicamentum,
Tu salus atque fomentum,
Medere meo languori,
Ut sim gratus salvatori.

11. Ad tua nunc praesidia
Cordis levo suspiria,
Cujus mihi custodia
Datur superna gratia.

12. Toto mentis conamine
Precor te, sancte angele,
Ut tuo sim juvamine
Securus et solamine.

13. O vos omnes angelorum
Conventus sanctissimorum,
Precor, ut me animetis
Et in bono confortetis.

14. O Johannes, praeco regis,
Primus testis novae legis,
Fac, ut parem viam Christi,
Quam docere voluisti.

15. O celsi patriarcharum
Ordines et prophetarum,
Apud coeli regem Christum
Excusate reum istum.

16. Signifer apostolorum,
Petre, princeps ceterorum,
Dilue mea peccata
Potestate tibi data.

17. Paule, doctor veritatis,
Lux totius pietatis,
In me, si placet, intende
Et auxilium impende.

18. Andrea, crucis amator,
Sanctitatis praedicator,
Ut laborem non in vanum,
Laboranti praesta manum.

19. Johannes, Christi dilecte,
Ipsius matrem inflecte,
Ut audiat meas preces,
Diluens immundas faeces.

20. Sancte Dei Martialis,
Munda me a cunctis malis,
Ut possim placere Christo,
In cujus conspectu sisto.

21. Apostoli Jesu Christi,
Cui vos credo adsisti,
A malo me liberate
Et in bono confortate.

22. Stephane, culmen honoris,
Primus testis salvatoris,
Adjuva me laborantem,
Qui vidisti Jesum stantem.

23. Laurenti, fortis athleta,
Qui coelorum vides laeta,
Me confirma in virtute
Ut non priver hac salute.

24. Vincenti, strenue miles,
Qui de Christo nunquam siles,
Auxilium mihi praesta,
Ne me turbet mors infesta.

25. Sancte martyr o Quirine,
Apta me legi divinae,
A cohorte tu proterva
In aeternum me conserva.

26. Chrysogone, martyr alme,
Laureatus ramis palmae,
Christo, precor, me commenda
Hora mortis in tremenda.

27. Felix martyr o Castori,
Semper adstans creatori,
Praebe mihi sublevamen,
Quando ducar ad examen.

28. Testis Christi, sancte Vite,
Qui complesti legem rite,
Duc me post hunc incolatum
Ad felicitatis statum.

29. O vos omnes gloriosi
Martyres et pretiosi,
Adjuvate me captivum
Et sanate semivivum.

30. Jeronyme gloriose,
Ecclesiae bellicose,
Qui corruscas ut aurora,
Juva me in mortis hora.

31. Mitem me fac et humilem,
Da virtutes, fuga crimen,
Ut sequar, sicut fuisti,
Callem gressus Jesu Christi.

32. Martine, gemma pastorum,
Lucerna catholicorum,
Tibi supplico, dignare,
Pro me Deum exorare.

33. Nicolae, vir fidelis,
Tu praecellens es in caelis
Sicut fulges deitate,
Sic me dita pietate.

34. O beate Benedicte,
Gregis Dei dux invicte,
Perduc me ad viam rectam
Regionemque electam.

35. Omnes sancti confessores,
Legis Dei defensores,
Me juvate vos sequentem
Quasi jam deficientem.

36. O Maria Magdalena,
Pietate Dei plena,
Summo regi me praesenta,
Cui servis tam attenta.

37. Agatha tu et Lucia
Matre sancta cum Maria,
Ferte pro me Deo preces,
Ut peccati tollat faeces.

38. Agnes, virgo gloriosa,
Fulgens atque pretiosa,
Flecte mihi salvatorem,
Pro quo fudisti cruorem.

39. Caecilia Deo grata,
Rosis veris coronata,
Jesum flecte et exora,
Ut sim felix mortis hora.

40. O martyr Anastasia,
Ignes passa pro Messia,
Hunc, beata, roga Deum,
Ut emundet pectus meum.

41. Ave mea advocata,
Dorothea, sis rogata,
Ut defectus et peccata
Per te a me sint ablata.

42. O beata Margareta,
Coeli tenes quae secreta,
Firma me nunc vacillantem
Et firmatum tene stantem.

43. Ave, Barbara praeclara,
Jesu Christo semper cara,
Praebe Mihi auxilium,
Cum ducar ad judicium.

44. Sancta martyr Katharina,
Praefulgens Christi doctrina,
Deprecare sponsum tuum,
Ne condemnet servum suum.

45. Scholastica, sponsa Christi,
Grata semper cui fuisti,
Iter meum para tutum
Per orationis scutum.

46. Omnes virgines sacratae,
Regi magno copulatae,
Offerte me, quaeso, sponso,
Cum venerit in absconso.

47. Domine Jesu, tuorum
Propter merita sanctorum,
Ut sim totus mundus corde,
Munda me ab omni sorde.

48. Da gratiam in praesenti,
Da veniam poenitenti,
Gloriam da in futura
Vita, qua est pax secura.

49. Omnes in te baptizatos,
Per peccatum inquinatos,
Perduc ad confessionem
Conferque remissionem.

50. Requiem aeternam cunctis
Da fidelibus defunctis,
Ne damnentur in fornace
Sed requiescant in pace.

Cod. Mellicen. 932. saec. 15. A: Finit feliciter letania Domini Francisci Petrarchae de omnibus sanctis, poetae laureati, collecta in monasterio Lunaelacensi seu Monse post Saltzburgam per fratrem humilem S. W. de F. Anno Domini 1481.

Cod. Palat. Vindobonen. 4089 c. a. 1460. B. — Litania de omnibus sanctis Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Cod. Palat. Vindobonen. 1855 saec. 15. C. — „Oratio sancti Petri de Luxemburg Cardinalis, qui obiit Avenione anno 1387, in qua rhythmica apostolorum postremus Martialis, Lemovicensium ille primus episcopus, medio demum saeculo 3. Roma missus, ita adpellatur: Sancte Dei Martialis etc." Denis I III p. 3130 sq.

Brev. ms. Arremarense saec. 15. Cod. Parisien. 1063 D: Oratio sancti Cardinalis.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. E: Incipiunt psalmi poenitentiales cum letania Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. F: Incipit litania Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. G: Letania alia de omnibus sanctis Francisci Petrarchae, poetae laureati et eximii, solemnis.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin. 19636 saec. 15. H: Litania Petrarchae poetae laureati et eximii.

Orat. ms. Sangallense 520 saec. 15. I.

Orat. ms. saec. 15/16. Cod. Bruxellen. 10389. K: De sancto Petro Lucemburgensi, wo de soviel heifsen soll als auctore.

Cod. Casanaten. D V 16 (884) saec. 17. L: Oratio beati Petri de Luxemburgo Cardinalis. Apud Avenionem requiescit.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Londinen. Burn. 336. M.

20, 1 Serve Dei Martialis K. — 21, 4 bono confirmate B. — 23, 3 Me conforta B. — Die ersten neun Strophen fehlen A.

134. De Omnibus Sanctis.

1. Redemptor noster Domine,
Qui passus es pro homine,
Nostra peccata hodie
Dele pro tuo nomine.

2. Salve, regina virginum,
Quae genuisti Dominum,
Hunc pro salute hominum
Ora, mater omnium.

3. Salve cum tuis angelis,
Michael venerabilis,
Juvamen miserabilis
Plebs petit et instabilis.

4. Salve cum sanctis patribus
Omnibus atque vatibus,
Baptista, nos suavibus
Coelorum ciba dapibus.

5. Salvete terrae principes,
Venturi quoque judices,
Regni Dei participes
Nos faciatis pauperes.

6. Salve, felix societas
Martyrum, vestra dignitas
Nos protegat et pietas,
Ne maculet iniquitas.

7. Salve cum confessoribus,
Martine, et doctoribus,
Nos ab inferni foribus
Custodi et doloribus.

8. Salve, turba virginum,
Quae flores sicut lilium,
Precare Dei filium,
Ut tollat molem criminum.

9. Tota coelestis curia,
Salve, nos ab injuria
Eripe et a furia
Hostis, qui nutrit jurgia.

10. Et post hanc vitam labilem,
Brevem ac lamentabilem
Nos semper fac amabilem
Videre Dei faciem.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20110. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. C. — B hat folgende Bemerkung: „Alia pulcherrima oratio de omnibus sanctis; et est in nota: Christum laudemus carmine, et est multum commendabilis.“

135. De Omnibus Sanctis.

1. Ave, numen, verum lumen,
Summum bonum, tenens thronum,
Rex aeternae gloriae,
Qui es trinus et non minus
Deus unus, da hoc munus,
Tollas zima scoriae.

2. Eja Deus, Deus meus,
Me dignare visitare
Atque benedicere,
Promovere et fovere,
Conformando ac salvando
In meque adspicere.

3. Me convertens et avertens
Pestem diram, omnem iram,
Summa, vera trinitas,
Fac me tibi hic et ibi
Gratulari, collaetari,
Simplex una deitas.

4. Me, o Jesu, tui esu
Tisque truce morte cruce
A malis eripias,
Tua arma mihi parma
Sint et scutum, flos virtutum,
Tandem me suscipias.

5. O Maria, mater pia,
Parens Dei, mater spei,
Sanctorum sanctissima,
Me curando, consolando
Praemunire, custodire
Digneris piissima.

6. Turma cuncta Deo juncta,
Sempiterno in superno
Mihi sis propitia,
Tuis alis me a malis
Protegendo, comprimendo
Hostes, tolle vitia.

7. Atque tecum ut tu secum
Me dignare tunc regnare,
Qui et suis largiter
Post hanc vitam hic finitam
Multa donat et coronat
Laurea perenniter.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

136. De sanctis Angelis.

1. Ad vos, coelestes spiritus,
Summi regis exercitus,
Humiliter confugio
Salutis desiderio.

2. Vos clari super sidera
Me sordidum per scelera
Nolite, quaeso, spernere
A vobis nec repellere.

3. O Michael, prae ceteris
In arce fulgens aetheris,
Meis intende precibus,
Ut tuis instem laudibus.

4. Paradisi praeposite,
Christi bellator inclite,
Me semper muni debilem
In hostem invisibilem.

5. O Gabriel, coelestia
Qui detulisti gaudia
Per Dei fortitudinem
Ad illibatam virginem,

6. Te gloriosum praedico,
Ut me confortes, supplico,
Per tuam da clementiam
Maesto mihi laetitiam.

7. O medicina Domini,
Esto succurrens homini,
O Raphael benignitas,
Tua me sanat caritas.

8. Tobiae comes optime
Et custos fidelissime,
Me crebro lapsum erige
Gressusque meos dirige.

9. Ad tua nunc praesidia
Corde levo suspiria,
Cujus mihi custodia
Datur superna gratia.

10. Hucusque per carnalia
Me foedans desideria
Tibi parere nolui
Honorem nec exhibui.

11. Jam revertentem suscipe
Et poenitentem recipe,
A fauce diabolica
Virtute regens coelica.

12. Toto mentis conamine
Precor te, sancte angele,
Ut tuo sim munimine
Securus et solamine.

13. Omnes coetus angelici,
Voce deposco supplici,
Ut in conspectu Domini
Juvare me dignemini.

14. Cum peccator convertitur,
Ut manifeste legitur,
De ejus poenitentia
Vobis erit laetitia.

15. Sic ergo et vos agite
Pro me sic intercedite,
Ut mihi sit salvatio
Et vobis exsultatio.

16. Emundatum a sordibus
Ornate me virtutibus,
Ut omni rectitudine
Vestro firmer juvamine.

17. Ad metam cum pervenero,
Quam transgredi non potero,
Ibi mihi succurrite
Et procul hostes pellite.

18. Per vos regina gloriae,
Mater misericordiae,
Quae potens est et humilis,
Fiat mihi placabilis.

19. Hanc placando poteritis
Obtinere, quae petitis,
Et ejus me dignatio
Salvabit absque dubio.

20. Honor et benedictio
Tam purae matris filio,
Regnanti sine termino
Sit angelorum Domino.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4076. saec. 15. B. — Cod. Palat. Vindobon. 4089 anni 1460. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. E. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. F.

2, 4 Nec a vobis B. — 4, 4 Contra hostem A. — 6, 3 Tua praestet clementia B. — 7, 2 Aegroto succurrens homini CD. — 7, 3 O fehlt in allen Hss. — 7, 4 Me tua sanet AD. — 8, 3 retro lapsum A. — 9, 3 Qui mihi pro A. — 9, 4 In baptismi datus est gratia A. — 10, 2 Mea desideria A. — 10, 4 Nec honorem BC. — 11, 1 Nunc revertentem BC. — 11, 4 regnes A. — 12, 2 Benigne precor domine A. — 12, 3 juvamine BC. — 13, 4 Me juvare B. — 14, 1 Malus cum converitur A. — 14, 2 Ut aperte legitur A. — 14, 3 Hujus de poenitentia A. — 14, 4 Vobis est A. — 15, 1 ergo nunc vos A. — 15, 2 Et pro me intercedite A. — 16, 3 Ut fiat exsultatio A. — 16, 4 Vobis mea salvatio A. — 19, 1 placare B. — 19, 2 Obtinendo B. — 20, 1 Gloria benedictio A.

137. De sanctis Angelis.

1. Angelici spiritus
omnes o beati,
Novem in ordinibus
mire collocati,

2. Ruentibus plurimis
tute praeservati,
Nobis in auxilium
estote parati.

3. Et quia clementia
vos sola divina
Ab hac apostatica
servavit ruina,

4. Merito pro gratia
tanta creatori
Et vestro in gloria
fideli tutori

5. Estis in perpetuum
sine fine grati
Et in innocentia
ita confirmati,

6. Quod peccare minime
vultis nec potestis,
Securi de gloria
vestra semper estis.

7. De beatitudine
vitae vobis data
Et de certitudine
vobis hinc collata

8. Nequaquam valebitis
in aevum moveri,
Nec ullis poteritis
hostibus terreri.

9. Sicut infidelitas
in vobis et nulla,
Sic neque crudelitas
praevalebit ulla.

10. Omnes a principio
vos immaculati,
Fideles et incliti,
Deo copulati;

11. Sibi juxta placitum
laeti servientes
Et ejus in jubilo
faciem videntes,

12. Et cum ad nos pauperes
missi declinatis,
Ut nos a spiritibus
malis defendatis,

13. Nequaquam privamini
Dei visione
Nec ejus fraudamini
tunc fruitione.

14. Mente semper alacres
estis atque mundi,
Pulchri et amabiles,
juvenes jucundi.

15. Quam consolatorii
sitis et quam boni,
Opem et praesidium
conferre quam proni,

16. In tentationibus
nostris experimur,
Dum vestro juvamine
in pugna munimur.

17. Carne nostra fragili
cito vinceremur,
Si vestro munimine
non circumdaremur.

18. Heu, quam nostris cordibus
sumus obscurati,
Quod non vobis amplius
de his simus grati.

19. Sed vos patientiam
in hoc habeatis,
Opem nobis miseris
nunquam subtrahatis,

20. Nostras ante Dominum
preces praesentetis
Et Mariam virginem
pro nobis oretis,

21. Quae est mundi domina,
regina coelorum,
Hominum et omnium
rectrix angelorum.

22. Ut sic per angelicos
vos mediatores
Levemur ad coelicos
inhabitatores,

23. Ubi de terrigenis
multae sublevatae
Gaudent cum coelicolis
animae beatae.

24. Ibi gratitudinis
carmina canemus
Atque Deo gratias
de vobis agemus.

25. Bona nobis nuntia,
Gabriel, futura,
Sauciata, Raphael,
corda nostra cura.

26. Saeva, sancte Michael,
remove tormenta
Atque nostras animas
Deo repraesenta.

27. Benedictus Dominus,
qui vos sic creavit,
In beatitudine
taliter firmavit,

28. Ut vobis non opus sit
quidquam formidare,
Possitis et pauperes
nos hic adjuvare.

29. Laus, honor et gloria
Deo sit deorum
In omnia saecula,
regi saeculorum.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7.

138. De sanctis Apostolis.

1. O Petre beatissime,
Apostolorum maxime,
Me in fide catholica
Tua prece consolida.

2. O Paule, mundi lilium,
Praesta mihi auxilium,
Spem firmam mihi impetra
Contra mundi discrimina.

3. O Andrea piissima,
Vota precantis suscipe,
Et caritatis geminae
Reple mentem dulcedine.

4. O Jacobe, accelera
Mea piando scelera,
Mundans dono justitiae
A fermento malitiae.

5. O Johannes castissime,
O tu Christo carissime,
Dona mihi prudentiam
Et castam conscientiam.

6. O Philippe, os lampadis.
Erue me a tenebris
Virtutum lustrans lumine
Muni me fortitudine.

7. O Jacobe, Jerusalem
Fac me poli participem
Coronans temperantia
Cum sanctitatis gratia.

8. O princeps apostolice,
Bartholomaee domine,
Mala mea mortifica,
Quae bona sunt, vivifica.

9. O Matthaee, ne differas
Fugare res mortiferas,
Voluptates carnalium,
Dans dona spiritalium.

10. O Thoma, tu qui vulnera
Palpasti salutifera,
Tu sana plagas pectoris
Coelestis rore nectaris.

11. O Simon beatissime,
Norma obedientiae,
Da per precum potentiam
Veram obedientiam.

12. O Juda Christum confitens,
Cor mihi dona poenitens
Cum fructu poenitentiae,
In bonis permanentiae.

13. O Matthia, qui meritis
Conjunctus es apostolis,
A cunctis salva pestibus,
Conjunge nos coelestibus.

14. Vos quemque singulariter
Omnesque precor pariter,
Ut pro meis excessibus
Oretis horis omnibus.

15. Omnes sancti apostoli,
Mei vos misereminі,
Vestra sancta memoria
Me collocet in gloria.

16. O quam beata merita,
Christi frui praesentia.
Cujus audire dulcia
Solebatis colloquia.

17. Vos mundi de tumultibus
Elegit sibi Dominus,
Qui meruistis cernere
Deum verum in corpore.

18. Vos estis mundi lumina
Super solem lucentia,
Per quos fulget ecclesia
Ut sol et luna splendida.

19. Cum filio vos hominis
Hunc mundum judicabitis,
Me per vos salvum expeto
In extremo judicio.

Orat. ms. Sitanstettense s. n. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n. C. — Orat. ms. Augustanum saec. 15. Clm. Monacen. 7530. D. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2894. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Gandaven. 212 (37). F. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. G. — Orat. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Maguntin. II 343. H. — Orat. ms. Capit. Toletani 34—71. saec. 15/16. I.

1, 3 Nos in fide B. — 2, 2 Praesta nobis B. — 2, 3 Et spem mihi D: nobis impetra B. — 2, 4 Contra fehlt B: Ante mundi CD. — 3, 2 precantum B. — 3, 3 germine B. — 3, 4 mentes B. — 4, 1 Mea dele scelera A; Mea mando [l: mundando] scelera B; pianda D; Tentata pelle bellica C. — 4, 3 Mihi dans dona A; Mundus domus B; Me a fumento malitiae C. — 4, 4 A fluento B; A fomento A; Scelera mundans dono justitiae C. — 5, 2 Ortu Christo B, Jesu Christo A. — 5, 3 Da mihi A; Da nobis B; Dona nunc C. — 6, 2 Evacua me a ABD. — 6, 4 me fehlt B. — Str. 7 und 4 vertauscht D. — 7, 2 Fac nos B. — 7, 3 Ornatus temperantia A. — 8, 3 Mala nostra B. — 9, 4 dona fehlt B. — 13, 3 salva precibus B; solve pestibus D; A fehlt C. — 13, 4 Conjunge nos B; hierauf folgt in AD:

O Maria Magdalena,
Gratia divina plena,
Apostolorum apostola,
Salutem nobis impetra.

In B trennt die nun folgenden Strophen die Aufschrift: „Alia oratio de apostolis.“ — Str. 14 fehlt C. — 14, 3 pro nostris B. — 15, 2 Vos nostri B. — 15, 4 Nos collocet B. — Str. 16 fehlt A. — 17, 2 Elegit pius Dominus A; Elegit fide Dominus C. — 17, 4 Verum Deum C; Dominum nostrum in A. — 18, 4 sol de luna B; fulgida D. — 19, 3 Me per vos salvum peto A; Per vos salvari postulo C.

139. Oratio ad omnes Apostolos.

1. Alme Petre, haerens petrae
Qui petram aedificas,
Me de poena mortis taetrae
Trahe ac resuscitas.

2. Petrus, Cephas, Simon dictus,
Firmus, capax, obediens,
Per me semper benedictus
Sit et me sit custodiens.

3. Petrus, firmans ecclesiam
Suis magnis miraculis,
Det mihi suam gratiam,
Me tollens a periculis.

4. Petrus, forma sanctitatis,
Me defendat a peccatis
Et in regno claritatis
Ponat et tunc erit satis.

5. O Petre, dux ecclesiae,
Sordes meae miseriae
Aufer, pastor egregie,
Da mihi bona gloriae.

6. O Paule, doctor gentium
Et speculum credentium,
In coetum contemplantium
Me duc et congaudentium.

7. O Andreas, Petri frater,
Christi primicerius,
Esto mei, quaeso, pater,
Dans mihi cor purius.

8. Tu qui de fonte bibisti
Omnis sapientiae,
Et idcirco tu scripsisti
Ordine scientiae,

9. Suscipi, Johannes, sine
Preces meas, obsecro,
Quia tibi sine fine
Corpus meum consecro.

10. Jacobus, Johannis frater,
Zebedaei filius,
Sit istius domus pater
Et custos egregius.

11. Philippus, lampas lucida,
Haereticorum stimulus,
Sit mihi stella fulgida
Et gratiarum cumulus.

12. O Bartholomaee fortis,
Magne Christi praedicator,
Trahe me de portis mortis,
Ut sim coeli habitator.

13. O Thomas, magister docte,
Qui non cito credidisti,
Tolle me de faecis nocte,
Firmans me in fide Christi.

14. Homo lucis, o Jacobe,
Alphaei clare fili,
Fac, ut non loquar improbe,
Sed cum modo subtili.

15. O Matthaee, scriptor Dei,
Mundi qui sprevisti vana,
Esto memor semper mei
Atque mentem meam sana.

16. Fratres Simon et Thaddaeus,
Vestro conjuncti agmine,
Spiritus ut, prestent, meus
Sit in superno cardine.

17. O Matthia, sorte datus
Domini credentium,
Fac, ut non sim elongatus
A coetu gaudentium.

18. O Johannes, qui tinxisti
Corpus Christi nitidum
Et manum imposuisti
Super caput lucidum.

19. Tinge, lava mentem meam
Ab omni spurcitia,
Ut laudare Deum queam
Cum omni laetitia.

20. O Johannes, qui fuisti
Jesu Christi praevius,
Et Johannes, qui scripsisti
Ceteris sublimius,

21. Gubernate nos studenter
In hoc mundo labili
Et portate nos laetanter
In regno laudabili.

22. O Maria Magdalena,
Speculum ecclesiae,
Fac ut mea mens sit plena
Odoris et gratiae.

23. Michael, qui pugil fortis
Diceris et vincis bella,
Me deduc in coeli hortis,
Ut evadam mortis fella.

24. Gabriel, qui laetus venis
Consolari flebiles,
Esto mihi custos lenis,
Ut sim inter humiles.

25. Raphael, qui medicina
Diceris dominica,
Plagas meas manu bina
Sanans me laetifica.

26. Marce, fili Petri ducis,
Nos alumnos, quos deducis,
Redde fortes signo crucis
Et consortes summae lucis.

27. O Lucas, lucis portitor
Et animarum medice,
Sis nobis lucis janitor
Et cura nos pacifice.

Cod. Miscell. Patavin. (ol. S. Justinae) 1328 saec. 14/15. — 1, 4 resuscitas später korrigiert in succurras. — 7, 1 O fehlt. — 14, 1 o fehlt.

140. De sanctis Apostolis.

1. Petre, princeps fidei
et apostolorum,
Cui claves traditae
sunt regni coelorum,
Me, pater, a vinculis
solve peccatorum,
Per te ut introeam
gaudia sanctorum.

2. Paule, doctor gentium,
lux ecclesiarum,
Peccatorum speculum
et jubar praeclarum,
Pater beatissime,
fac me Deo carum,
Quo me non absorbeat
lacus tenebrarum.

3. Andrea mitissime,
qui tormenta crucis
Passus es viriliter,
me consortem lucis
Facias perpetuae,
ut spretis caducis
Rebus, dignus famulus
fiam Christi ducis.

4. Jacobe, a Domino
cum fratre vocatus
Johanne, continuo
fuisti paratus,
Reliquisti omnia
centuplum lucratus,
Ora pro me, obsecro,
Christo sociatus.

5. Johannes castissime
cui commendavit
Christus matrem virginem
tibique donavit,
Subveni misericors
mihi, quem prostravit
Satanae invidia
atque subjugavit.

6. Thomas, dictus Didymus,
Jesu tetigisti
Resurgentis vulnera
factusque fuisti
Fidelis et credulus,
me a nece tristi,
Pater mi, custodias,
mortem qui vicisti.

7. Jacobe justissime,
filius Alphaei,
Dictus frater Domini,
custos esto mei,
Longe fac hypocrisin
a me pharisaei,
Fac, quod nunquam separer
a conspectu Dei.

8. Philippe, qui similem
mortem salvatori
Pertulisti moriens,
mihi peccatori
Obtine a Domino,
quod, cum vado mori,
Ab hinc me suscipiant
angelorum chori.

9. Bartholomaee pie,
qui excoriatus
Hic pro Dei gloria
es et decollatus,
Per te judex omnium
mihi sit placatus,
Ne aeternos incidam
inferni ploratus.

10. Matthaee, dominici
germinis relator,
De thelonecario
factus praedicator,
Sanctus per te spiritus,
dulcis consolator,
Meorum sit sensuum
clemens gubernator.

11. Simon, care Domini,
dictus Cananaeus,
Huic mundo genuit
te pater Alphaeus,
Mole pressus scelerum
te exoro reus,
Mihi sit propitius
per te judex meus.

12. Thadaee, Abagaro
regi praedicasti
Et cum suo populo
ad fidem vocasti
Eosque baptismatis
lavacro mundasti,
Aufer a me, pater mi,
culpam protoplasti.

13. Matthia, dignissime
Judae substitutus
In Christi apostolum,
juva me, quod tutus
Semper sim, ne devoret
me Satan versutus,
Tuoque praesidio
semper sim adjutus.

14. Barnaba, a spiritu
sancto es electus,
Verbi Dei nuntius
cum Paulo directus,
Rogo te, qui vitiis
multis sum infectus,
Fac, ut coram Domino
simplex sim et rectus.

15. O patres ecclesiae,
vestrum laudatorem
Promovete precibus
apud salvatorem,
Quod per vos effugiat
inferni dolorem
Ac vobiscum sentiat
coelicum ardorem.

Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3. saec. 15. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30 saec. 15. C. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917. D. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. E. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. F. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. G. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. H.

1, 1 Petre petra fidei AC. — 1, 2 Dux Christianorum AC. — 1, 3 Tibi claves F. — 2, 4 Jubarque F. — 2, 8 locus tenebrarum B. — 3, 1 sanctissime F. — 3, 2 tormentis F. — Str. 5 fehlt B. — 5, 1 carissime D. — 5, 4 Quando exspiravit F. — 5, 6 quod prostravit A. — 6, 2 Jesum ABCF. — 6, 8 Qui mortem BC. — 7, 1 justissimus A. — 7, 4 Memor esto BF. — 8, 6 ut cum F; vadam BC. — 10, 5 Sanctus pie A. — 12, 3 Et eum cum C. — Nach Str. 14 schiebt B ein:

Lucas, scriptor virginis et evangelista,
Fac, ut non decipiat fallax me sophista,
Nec maligna vulneret ejus me balista,
Christum ut in patria laudem cum psalmista.

Marce, evangelii scriptor salvatoris,
Fac, ut culpas abluam fletibus amoris,
Tecum ut assideam sedibus praeclaris,
Ubi cum coelestibus jugiter laetaris.

141. De sanctis Apostolis.

1. Hic sursum pedibus moritur pendens cruce Petrus,
Hic moritur Paulus, gladio perdens caput ejus.
Plangitur Andreas hic, quem crucifixit Aegeas,
Mortuus excusso Jacobus minor est cerebello.
Mittitur in fervens oleum doliique Johannes,
Transfigitur Didymus Thomas gladio moriturus.
Hic sunt transfixi Simon, Judas simul isti,
Erectis manibus occiditur ense Matthaeus.
Sancte Matthia, mori vis feriente securi.
Offert, summe Deus, tibi pellem Bartholomaeus.

Est pro te, Christe, crucifixus sanctus Philippus,
Hic Jacobus magnus decollatur velut agnus.
Bartholomaee, crucis tua des mihi dona salutis,
Da spiritum vitae, da divitias sine lite,
Regnum coeleste post mortem da manifeste.

Cod. ms. Ducumburgen. 76. saec. 15.

142. De sancto Achatio.

1. Alme martyr, o Achati,
Cordi meo contumaci
Pie fer subsidium,
Ut de digne salutare
Merear et impetrare
Tuum patrocinium.

2. Christi fortis o athleta,
Qui naturae mundi laeta
Spernis cum complicibus
Alexandro nec non Marco
Praesuleque Hermolao
Cum ter ternis millibus.

3. His cum mille Deo carus
Auctor militum praeclarus
Jungitur Theodorus,
Sicque decies millenus
Stat perfectus atque plenus
Sacer vester numerus.

4. Aquilis velociores,
Fortes Christi bellatores
Alta poli scandere,
Lapidati, coartati,
Diris spinis coronati
Portas coeli pandere.

5. Crucifixi, clavis puncti,
Pro baptismate peruncti
Pretioso sanguine,
Et sic omnes Christi plene
Sunt illatae vobis poenae,
O felices animae.

6. In extremis vestris horis
Signa mortis salvatoris
Referuntur edita;
O constantes, o invicti,
Quanta vestra, benedicti,
Sunt praeclara merita.

7. Vos ergo, dilecti Dei,
Precor, mementote mei
In coeli palatio,
Ut mors Christi, matris planctus
Mihi sine fine sanctus
Sit et consolatio.

8. Sit et vestrum per oramen
Mihi salus et tutamen
Corporis et animae,
Ut quandoque possim clare
Vobis et coexsultare
In aeterna requie.

Cod. Palat. Vindobonen. 1421. anni 1548. A. — Clm. Monacen. 4423. saec. 15. B.

143. De sancta Agatha.

Ave, pulchra Christi sponsa,
Agatha, quae sicut tonsa
Ovis feta scandens lota,
Nam explesti tua vota.
Clara nata parentela,
Valde prudens in loquela,
Inter Catanenses cives
Fama rebusque praedives,
Virgo facie venusta,
Sed ancilla Christi justa,
Ex illius servitute
Summe clara probas tu te.

O quantus dulcor te fovet,
Quam a Christo nihil movet,
Quam non mutant blandimenta
Neque minae nec tormenta;
Spernens suasum impudicum,
Blandimenta meretricum,
Gaudes sic incarcerari
Quasi laute convivari.
Heu dolorem fers amarum
In tortura mamillarum,
Tyrannus in te destruxit,
Quod in matre ipse suxit.
Nuda super testes fractas
Volutaris igne tactas,
Dira haec et inconsueta
Pertulisti mente laeta.
Quantum places sponso tuo,
Probant in te signa duo:
Sanctus Petrus Christi cura
Te salvavit a laesura,
Quem de coelis ad te misit,
Et libenter te invisit
Ut dilectam suam natam,
Quasi sponsam regis gratam.
Angelorumque conventum
Misit ad te bene centum,
Qui te darent sepelturae,
Tantae eras sibi curae.
Pandunt mentis sanctitatem
Patriaeque libertatem,
Angeli per hunc honorem
Suam monstrant te sororem.
O patrona curialis,
Precor, serva mea malis,
Fac mamillas intellectus,
Cordis semper et affectus
Me servare incorruptas
Tamquam soli Deo nuptas.
Quibus omnes sensus meos
Pascam delectando eos,
Pulchrum Dei contemplando,
Jussa ejus auscultando,
Attendendo vitam Christi,
Ut conformis fiam isti,
Hunc gustando cum dulcore
Et tangendo cum amore,
Ut sic crescam in salutem
Ad aeternam juventutem;
In qua semper tu laetaris
Cum amicis Dei caris
Cantans dulce modulamen
In chorea Christi. Amen.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 9. facies. — 31. Nam sanctus. — 46. Te precor serva.

144. De sancta Agnete.

1. Agneta, virgo nobilis,
Ingenua, spectabilis
Tam claritate corporis
Quam puritate pectoris,
Est cunctis gratiosa.
Grassantem mundi gloriam
Odivit et superbiam,
Ardenter Christum diligit,
Quam sequi martyr eligit
Ut sponsum amorosa.

2. Nequaquam cessit gladio,
Triumphat in incendio,
Fit saeculi spectaculum,
Turpatur ad prostibulum
Nec constans superatur.
E coelo vestis mittitur,
Qua virgo nuda tegitur,
Ac locus turpitudinis
Fulgore coeli luminis
In sanctum consecratur.

3. Terrores, minas, verbera,
Catenas, probra, vulnera
Juvante vicit Domino,
Potitur mortis termino
Mucrone perforata.
Ad te clamamus anxie:
O sponsa regis gloriae,
Pro nobis Deum flagita,
Ut nostra nobis debita
Dimittat et peccata.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

145. De sancta Agnete.

Agnes ave gloriosa,
Virgo dulcis, generosa,
Digna laude speciosa;
Ex nobili stirpe nata,
Agnes merito vocata,
Agnes agno sponsa grata,
Agni zelo in flammata.
Ergo pia et decora,
Me exaudi sine mora,
Coram agno mortis hora
Nobis veniam implora.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4955. — 2. Virgo fehlt Hs. — 6. sponsa fehlt Hs.

146. De sancta Aldegunde.

1. Gaude, felix Aldegundis,
Juventute quod recondis
Corde Dei monita.
Matris vultum non confundis,
Sed propositum abscondis
Spernens carnis libita.

2. Gaude, praesulum edocta,
Dictis sed intus excocta
Caritatis facibus;
Claustrum fabricas ancillis
Christi, sed ministras illis
Humilis humilibus.

3. Gaude, quod tu preces fundis,
Flumen transis manans undis,
Siccis tamen pedibus;
Vultum lacrimis perfundis,
Carnem macerando tundis
Studens Dei laudibus.

4. Gaude, cujus vita digna
Declaratur per tot signa
Collata divinitus;
Tibi fert columba velum,
Novit terra, prodit coelum
In te dona spiritus.

5. Gaude, quia nunc jucundis
Compar es et laetabundis
Angelorum coetibus;
Hostis nostri furibundis
Per te ruptis vinclis condis
Nostris pacem cordibus.

6. Ergo maris in profundis
Nobis adsis, o patrona,
Servans a naufragio,
Ut promissa corde mundis
Dentur nobis vera bona
Patronae suffragio.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 2 A juventute Hs. — 5, 4 sq. verraten den französischen Verfasser.

147. De Angelo Custode.

1. Ave, civis aulae Dei,
Cujus adstas faciei,
Pro me precare jugiter;
Inter astra matutina
Tu in laude stas divina
Hymnizans Deo dulciter.

2. Ave, nobilis factura
Apud Deum, vere pura,
Quo pascere, quo fruere;
Tu subtilis in natura,
Tu sublimis in figura,
Mecum ubique gradere.

3. Ave, comes praedilecte,
Semper ducens me directe
Tuere ab interitu;
Ave, custos spiritalis,
Me obumbra tuis alis
A peccatorum strepitu.

4. Ave, flos decore nimis,
Flos de summis et de primis
Paradisi floribus;
Ave, semper salutande,
Amplexande, osculande
Pro bonis tuis omnibus.

5. Ave, vivens margarita,
Mihi lucens in hac vita,
O venerande juvenis;
Summa prece pro me fusa
Tu cum tuis hoc excusa,
Quod in me foedum invenis.

6. Ave, meum consolamen,
Firmamentum et tutamen
In hoc mortali corpore,
Tu pro statu interpellas,
Pro reatu ne repellas
Aut spernas ullo tempore.

7. Ave, bone mi patrone,
Qui stas pro me in agone,
Ut hostem removeas;
Me post mortem tuo ductu
Ab aeterno raptum luctu,
Precor, ut Deo offeras.

Orat. ms. S. Albani Treviren. saec. 15. Cod. Treviren. 199. — 6, 4 pro meo statu.

148. De Angelo Custode.

Angele, qui mihi reo
Deputatus es a Deo,
Mei, quaeso, curam geras
Et salutis opem feras.
Mei pro defensione
Sume vires a leone,
Qui leonem superavit,
Sua morte mortem stravit,
Ut ad plenum tuearis
Me, quem velut undis maris
Intueris fluctuantem.
Dormientem, vigilantem
Me custodi, nec discedas,
Sed virtute Christi caedas
Hostes, qui me persequuntur
Meque perdere nituntur.
Mecum, precor, ut perdures
Et clementer hoc procures,
Ut mundatus a peccatis
Cunctis hostibus prostratis
Finem adipiscar bonum
Et ad summum vitae donum
Tuum veniam per ductum,
Ut Mariae ventris fructum
Tecum valeam videre
Cum electisque gaudere.
Rogo Christi per virtutem,
Meam semper ad salutem
Die, nocte sis paratus,
Sis et efficax legatus
Ad supernam regionem;
Meam fer legationem
Virginali matri Dei,
Petens, ut sit memor mei.
Ducat, deprecor, ad mentem
Tam amaram, tam ingentem
Passionem suae prolis,
In qua gladius doloris
Cor maternum penetravit,
Dum eundem, quem lactavit,
Cerneret in cruce mori,
Cujus non est par dolori.
Sui cordis per dolorem,
Sui nati per cruorem
Cunctis me peccatis mundet
Ac virtutibus fecundet,
Spiritaliter informet
Et saluti me reformet.

Eja, deam placa dictam,
Inter deas benedictam,
Ut me dulcis et amoena
Ab aeterna salvat poena,
Ut in morte me defendat,
Ne me daemon apprehendat,
Ne me tangant infernales
Nec exterreant larvales
Facies daemoniorum.
Sed per manus angelorumus,
Illa transferat ad pacem,
Ubi cum electis vacem
Semper laudibus divinis,
Quibus nullus restat finis.
Pater praestet haec et nat
Sacer utriusque flatus,
Trinus unus, qui cunctorum
Dominator saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

149. De Angelo Custode.

1. Angelorum dominum,
Regem coeli gloriae,
Genus laudet hominum
Oris et memoriae
Devoto famulatu.

2. Non retardet reddere
Deo quisque exsulum
Grates, qui in carcere
Suum fovet populum
Sollicito conatu.

3. Gratum cuivis socium
Dedit in auxilio,
Angelum, qui taedium
Nostrum in exsilio
Soletur et laborem.

4. Eja, coeli accola,
Dux et vitae semita,
Hostis suasa subdola
Veteris praecipita,
Gravamen et terrorem.

5. Luxus carnis macera,
Pigritantem erige,
Non me trahant scelera,
Totam vitam dirige
Secundum tuum morem.

6. Vestem aptam nuptiis
Juva cito confici,
Ne sordentem vitiis
Me contingat projici
Praesentia divina.

7. Spreto mundo tendere
Coge me ad requiem,
Ut, quam cernis, cernere
Tecum possim faciem
Paternam sine fine.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

150. De Angelo Custode.

1. Ave, dulcis custos meus,
Angele piissime,
Cui me totum dedit Deus
Regi fidelissime,
Ne sim malae mortis reus,
Vivere sanctissime
Fac me semper, rector meus,
Et mori laetissime.

2. In me per te roboretur
Fides, spes et caritas,
In me semper dominetur
Tota sancta trinitas,
In me Christus operetur
Omne, quod est veritas,
In me tandem reveletur
Felix aeternalitas.

3. Sana pectus suspirantis
Gemitu gravissimo,
Educ vota supplicantis
De corde purissimo,
Ut sim gratus majestatis
Jesu clementissimo,
Cujus visu me formantis
Fruar beatissimo.

4. Pastor bone, memor esto,
Ovem tuam pascere,
Illi semper sic adesto,
Ut dum lupus rapere
Temptat eam, tu sis praesto
Mox illam eripere,
Quo praesentes illi festo,
Quod nequit deficere.

5. Ave, frater spiritalis,
Amicorum intime,
Comes, rex et dux vitalis
Corporis et animae,
Esto mihi lux mentalis
Et a culpis exime
Atque me de cunctis malis
Hora mortis redime.

6. Doce linguam praedicare
Verba sapientiae,
Peccatores revocare
Ad datorem gratiae,
Poenitentes renovare
Ad opus justitiae,
Cunctos hostes debellare
Cum palma victoriae.

7. Pie pater, me digneris
Pio vultu cernere,
In adverso recorderis
Me nunquam deserere,
Et cum erro, ne moreris
Me cito reducere,
Ne depascar ab inferis,
Qui me volunt perdere.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Musaei Ferdinandaei Oenipontani. s. n. — 3, 5 grata. — 3, 8 Fruat. — 4, 7 Quod praesentes. — 6, 5 revocare. — 7, 6 Me nunquam deserere.

151. Ad Angelum Custodem

oratiuncula.

Pacem prolis tu, tutor spiritus,
Rege, serva, damna propitius
Carnis luxum, hostiles machinas,
Mundi jocos, tristes delicias.
Dulcis labor, si post hoc saeculum
Christo jungas tuum depositum.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 211.

152. De Angelo Custode.

1. Ave, custos mihi datus,
Cum per Christum sum vocatus
Ad baptismi gratiam,
Dulcis angele, procura,
Ut ad gaudia ventura
Te duce perveniam.

2. Fove, protege, defende,
Arma, scutum apprehende,
Meos hostes contere,
In praesenti, in futuro
Angele vallo et muro
Me digneris cingere.

Orat. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Maguntin. II 343.

153. Ad Angelum Custodem.

1. O angele dulcissime,
Mi custos fidelissime,
Me custodito miserum,
Ne decidam in tartarum,

2. Nam sum figmentum fragile.
Per nomen ineffabile
Dei vivi te postulo,
Ab omni me periculo,

3. Et corporis et animae
Praeserves, hostes comprime.
Dum vigilo, dum dormio,
Sanctae crucis praesidio

4. Munitum me custodias,
Tentationes noxias
Fac me prudenter vincere
Deoque digne vivere.

5. Corpus meum et animam
Sub tua fidelissima
Cura semper proficiant
In Deum nec deficiant.

6. Sis dux et tutor misero
Mihi, mori cum coepero,
Protector, mi sanctissime,
Tunc esto meae animae.

7. Adsis, virgo piissima,
Maria benignissima,
Ut vestro sic juvamine
Jesu fruar dulcedine.

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 25. saec. 15/16. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4089 anni 1460. B. — Orat. ms. Tegrinsense anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — 3, 1 Ut corporis B. — 6, 4 esto fehlt AC; Tuncque C.

154. Ad Angelum Custodem.

1. O angele sanctissime,
Mi custos amantissime,
Te saluto voce, voto,
Te deprecor corde toto.

2. Fer mihi tu auxilia
Contra bella hostilia,
Tu vivere me fac tute
In hoc aevo cum salute.

3. O artifex mirifice,
Mi consolator unice,
Fac peccata confiteri
Et dolore cordis teri.

4. O ducedo bonitatis
Et amator castitatis,
Da hymnos dulces promere
Atque mundana spernere.

5. Tu defensor meus fortis
Sis in hora meae mortis
Et ad coeli duc examen,
Ubi Christus regnat. Amen.

Cod. S. Petri Salisburgen. b I 25. saec. 15/16. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 4089 anni 1460. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — 3, 4 tergi ABC. — 4, 4 Et mundana A. — 5, 1 Tu fehlt A.

155. De sancta Anna.

1. Ave, radix sancta Jesse,
Ex te orta est expresse
Virga, quae produxit florem,
Qui salubrem dat odorem
  Dulcedinis mirificae;
Ave coelum, ex qua stella
Luxit, quae in sua cella
Clausit verum solem Christum,
Qui illustrat mundum istum
  Interne ac mirifice.

2. Salve, arca urnam gestans,
Quae est manna verum praestans,
Vena fontis in Bethlehem,
Quem sitit rex Jerusalem
Prae cunctis claris poculis.
Salve, benedicta tellus,
In qua requievit vellus,
In quod sicut ros descendit
Deus, pacem qui rependit
Jucundam nostris oculis.

3. Gaude, stirps praeclara David,
Unde nobis pullulavit
Tam ingens, tam multus fructus,
Quo fugatur omnis luctus,
Dans vitae dona suavia.
Gaude, namque beatorum
Quinque tu apostolorum
Atque Joseph, justi viri,
Sed et summi Dei miri
Es avia carissima.

4. Eja, gaude summa laude,
Quia sanctae tuae plantae,
Tres Mariae, nobis piae
Hanc septenam Deo plenam
Enixae sunt prosapiam.
Cunctis nuptis plus beata,
Infecundis plus dotata,
Inter natas mulierum
Nulla par est, hoc est verum,
Huic, ut salutem capiam.

5. Fac me, Anna, dignum manna,
Adsta suavis, nulli gravis,
Me tuere, fac habere
Dulce omen tuum nomen,
Quod idem est quam gratia.
O patrona pia, bona,
Cum tam grata stirpe nata
Me guberna ad superna,
Quo rex praepos tuus nepos
Dat omnibus solatia.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV°. 29.

156. De sancta Anna.

1. Felix Anna, Deo cara,
David filia praeclara,
Orta tribu de regali
Mixta cum sacerdotali.

2. Dum divine conversaris,
Gabriele nuntiaris,
Fore digna mater esse
Reflorentis stirpis Jesse.

3. Quae produxit mundo florem,
Jesum Christum salvatorem,
Fulgens arca testamenti,
Gestans urnam sacramenti,

4. Veri panis angelorum,
Cibi civium coelorum.
Lux primaeva novae legis,
Dulcis ava summi regis,

5. Eja, mitis veterana,
Aegras mente prece sana,
Cum Maria pia nata
Miserorum advocata,

6. Erga natam et nepotem.
Obtinere nobis dotem
Cura resurrectionis
Et glorificationis

7. Corporum et animarum,
Claritati beatarum
Jungamur jerarchicarum.

Cod. S. Petri Salisburgen. b VI 3 saec. 15.

157. De sancta Anna.

1. O praeclara mater matris,
Quae concepit verbum patris
Non commixtione maris
Sed ut virgo singularis,

5. Quem in utero portavit
Genitrix de stirpe David,
Invocantem te exaudi
Et studentem tuae laudi.

O parentis parens Dei,
Apud ipsum memor mei,
Quibus deprimor, meorum
Terge sordes peccatorum.
Et ipsa, quam genuisti,
Casta mater aula Christi,
Sua tecum sancta prece
Me ab omni purget faece.
Felix arca testamenti,
Quae Judaeae non credenti
Urnam continentem manna
Parturisti, clemens Anna,
Nec terrenum sed coeleste,
Omnes salva nos a peste,
Qui te sumus expetentes
Et ad te confugientes.
Ex auro virginitatis
Clara fulsit urna satis,
In qua panis angelorum
Fabricavit sibi thorum,
Ut lassatas, poenitentes
Anxiasque levet mentes
Hasque pascet carne sua,
Quam sumpsit de carne tua.
Ille rex propitiator
Mundo datus est salvator,
In quo nostra salus multa
Te juvante est exculta.
Terra sancta carnis Christi
De terra, quam coluisti,
Est assumpta, sicut patet,
Sacramentum hoc non latet.
O vas Anna gratiarum,
Tuum nomen, quam praeclarum,
Me laetificare solet
Et auferre, si quid dolet.
Quia gratia vocaris
Meritisque splendes claris,
Fac, ut juxta nomen tuum
Faciat rex opus suum
In me, sibi sic splendere,
Valeam ut complacere.
Figulusque, qui de limo
Fecit in parente primo,
Quod costa sublata viro
Fit virago actu miro,
Te formavit, ut formata
Hunc placares prece grata,
Sicque fieres multorum
Consolatrix miserorum.
Consolare me lugentem
Et conforta poenitentem
Et reduc ad vitae viam
Et videre da Messiam,
Quem venisse nescit rea
Sed venturum gens Hebraea
Adstruit et asseverat
Perfidaque est ut erat.
Tuis ergo, mater, votis
Cura favet sic nepotis,
Ut nil neget, si quid velis,
Repraesentas quod in caelis.
Igitur hunc interpella
Sitque tecum maris stella,
Et pro me Christum orate
Ambae matres Christo gratae.
Sensus per vos, precor, mei
Muniantur laude Dei,
Ut nil agant, quod horrescat,
Indignatio quo crescat
Quam benigni salvatoris.
Ergo me sub cunctis horis
Fac, Anna, parens beata,
Fac cum tua prole grata,
Ut me Christus, auctor vitae,
Sine rixa, sine lite
Sibi faciat praeclare
In hac vita militare.
Qui fons patens domus David
Peccatores multos lavit,
Per te lavet et expurget,
Quidquid in me scelus urget.
In Jerusalem qui manet,
Poscens, ut hunc Christus sanet,
Hic in pacis visione
Dignus est redemptione.
Angelus est quasi Dei,
Quem illustrat sol diei
Luxque vacat creatoris
Ab errore seductoris.
In hoc fonte Petrus lavit,
Quod negando jam peccavit,
Et res partiens Zachaeus

Rapuitque, quod Matthaeus.
Et de Magdalo Maria,
Per exemplum vitae via,
Et latro pendens in cruce
Diluit se Christo duce.
Hocque David fonte lotus
Subjugavit, Christo potus,
Quae de ipso scriptus ante
Vidit spiritu dictante,
Nostram praedicans salutem
Veram Dei per virtutem.
Ergo inter coeli cives,
Anna felix, Anna dives,
Fac, ut vitam castitatis
Teneam cum candidatis,
Innocentiam professis
Et in prelo mundi pressis.
Ora pro me et pro cunctis,
Tam vivis quam et defunctis,
Ut nos lue peccatorum
Mundet auctor beatorum
Detque gaudia sanctorum
In saecula saeculorum.

Cod. Londinen. (ol. Wintonien.) Vitell. A XVII. saec. 12. ex.

158. De sancta Barbara.

Ave, Barbara praeclara,
Ave, virgo Deo cara,
Ave, gemma virtuosa,
Ave, martyr, vernans rosa.
Ave tu, quae puerili
Et aetate juvenili
Jesum Christum dilexisti,
Cui corde adhaesisti.
Licet nondum baptizata,
Tamen illi multum grata
Per servitia placebas
Nec non maxime studebas,
Patrem tuum hoc nescire,
Qui studebat his servire,
Quos tu caute respuisti
Et viriliter dejecisti.
Propter quae es verberata
Et ab eo vulnerata
Ac in cellulam detrusa
Sicque firmiter reclusa,
Te quousque praesentaret
Praesidi et supplicaret,
Ut excessus emendares
Idolisque immolares.
Quod tu respuens dixisti,
Nam diabolum vicisti:
Unum Christum fide colo,
Cui et servire volo.
Quem tu praeses nunc ignoras,
Proh dolor, et non adoras,
Eo quod est induratum
Tuum cor atque gravatum,
Daemonibus tuis servis.
Tunc iratus jussit nervis
Discerpi te cum taurinis
Et texturis cilicinis
Impius praeses fricari
Et post haec incarcerari.
Nocte illa confortata
Es a Christo et sanata.
Mane tandem praesentaris
Praesidi, per quem probaris
Diis te sanatam esse,
Propter quod tibi necesse
Est eis dare gratias,
Quod nisi cito facias,
Magnis poenis es tradenda,
Nullo modo redimenda.
Illud vero tu negasti,
Jesum Christum invocasti,
Quo sanatam te ostendens,
Deos falsos reprehendens,
Ipsos nunquam te juvare
Posse neque te sanare.
Praeses fremens hoc audito
Ut leo praecepit cito,
Caput malleis ferire
Lateraque aperire,
Quibus ignem adhiberi.
Christum tibi misereri
Puro corde supplicasti,
Quod tam cito impetrasti.

Tis mamillae abscinduntur
Gladiisque feriuntur
Tua membra fortiter
Flagris, et sic turpiter
Nudam te educi jubet
Impius praeses nec pudet
Per hanc totam regionem.
Tunc fecisti hunc sermonem:
Rogo, Domine te Deus,
Esto nunc protector meus,
Tege corpus, quod nudatur,
Ne a viris videatur
Iniquis nec non lascivis.
Post haec nempe vidit quivis
Angelum mox descendentem,
Stolam albam deferentem,
Qua operta tuearis,
Ne a viris videaris.
Quo a praeside sentito
Famulis praecepit cito,
Ut per gladium trunceris
Et sic male consummeris.
Illud patri tunc praecepit,
Cum furore te recepit
Et permisit decollari,
Tuum caput amputari.
Hinc educta gratularis,
Speras finem, deprecaris
Sic pro cuncto peccatore
Coram tuo salvatore:
Jesu Christe, tu dignare
Pias aures inclinare
Ad omnes te in vocantes
Mihi atque supplicantes,
Pro me solvas a peccatis
More tuae pietatis.
Puram da contritionem,
Veram his confessionem
Facque eos manducare
Corpus tuum salutare.
Coeli vox auditur clara:
Veni, pulchra, veni cara,
Veni, veni, martyr pura,
Veni, semper regnatura,
Veni, his, pro quis rogasti,
Multa bona impetrasti.
In hoc capite truncaris
Et a Christo sublevaris
Ad superna coeli regna,
Ubi virgo nos commenda
Sponso tuo, ut sequamur
Atque coelis invehamur,
Tecum semper gavisuri,
Deo laudes cantituri.

Cod. Lambacen. 463 saec. 14. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. Altahen.) 9508. saec. 15. C. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. D. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. E. — 1, 1 Ave sancta Barbara BD. — 7. allexisti B. — 8. Et corde. C. — 16. Viriliterque BC. — 19. cellula C. — 27. Jesum Christum BC. — 28. et fehlt C. — 30. dolor, quem non B. — 40. Et a Christo es C. — 43. A suis dis sanatam B. — 45. His reddere B. — 46. Et nisi tu id facias B. — 47. sis tradenda B. — 49. Quos tu quoque sic B. — 51. A quo sanam B; ostendis C. — 52. reprehendis C. — 57. malleo B. — 60. Jussit sicque misereri. — 61. A Christo tu supplicasti B. — 62. O quam cito B. — 63. Mammae tuae B; Tibi mamillae C. — 65. Genera membrorum fortiter B. — 68. Malus praeses B. — 74. a vivis A. — 75. fehlt B. — 76. Mox de coelo missus venit B. — 77. Angelus qui te vestivit B. — 78 sqq. fehlen B. — 80. a vivis A. — 81. foetido C. — 83. truncaris A. — 84. consummaris A. — 85. pater A. — 87. Et praemisit A; Ut conatur B. — 89. A quo ducta B. — 96. Mihique A. — 100. Veramque B. — 107. pro quibus C. — 110 sqq. fehlen AC.

159. De sancto Bartholomaeo.

1. Excitare, o cor meum,
Laudando Bartholomaeum
Cum voce laetitiae,
Qui est potens apud Deum,
Ne me damnet suum reum
Rigore justitiae.

2. O Bartholomaee care,
O mi princeps, o praeclare
Dux magnificentiae,
Tu es magnum luminare,
Toti mundo salutare,
Mirae resplendentiae.

3. Tu ditator egenorum,
Propugnator peccatorum,
Hos Deo pacificans,
Liberator devotorum,
Ligator daemoniorum,
Haec urens mitificans.

4. Gaude, in apostolorum
Numero duodenorum
Vere stas dulciflue,
Quo tanguntur flores florum,
Penes arces musicorum
Sonando melliflue.

5. Nam octavus descendendo
Es et quintus ascendendo
Recte magistraliter,
Ex quo facto hoc perpendo,
Dulcem pium te essendo
Valde specialiter.

6. Quia chorda tensa bene
Dulcem sonum reddit plene,
Sic tu passus gravius;
Stricte corpus tensa lene,
Pellis, nervi sunt et venae,
Ergo sonas suavius.

7. Multis malis sum innisus,
Sed oro de te confisus,
Ut ab his excorier;
Circumquaque circumcisus
Hoc fit mihi paradisus,
Ut sic novus glorier.

8. O mi pater pietatis,
Adjutor necessitatis
Omni in periculo,
Hostes pelle pravitatis
Et me loca cum beatis
In mortis articulo.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

160. De sancto Benedicto.

1. Benedicte, legifer
et dux monachorum,
Qui nescisti lubricum
in delicto thorum,
Posce mihi veniam
scelerum meorum,
Tecum ut possideam
choros electorum.

2. Ex divini germinis
Irrigatus rore
Reliquisti saeculum
Puerili flore,
Viam Dei ambulans
In Christi timore;
Fac ut coeli videam
Regem in decore.

3. Nursiae provincia
Coelitus exortus
Factusque claustralium
Fluctuantum portus,
In Dei dilectione
Totus es absorptus;
Per te me laetificet
ex Maria ortus.

4. Etatem sic teneram
moribus transisti,
Voluptati animum
nullique dedisti,
Vastitatem eremi
puer introisti;
Fac, me ferre jugiter
suave jugum Christi.

5. Deus in te gratiam
mundo declaravit,
Quando tuis fletibus
motus reparavit
Fractum capisterium;
me, quem inquinavit
Culpa, per te abluat,
qui te coronavit.

6. In virtute Domini
multos revocasti
Satanae imperio,
quos vivificasti
Corpore et anima
et eos salvasti;
Fac, ne regno spolier
cum regina Vasthi.

7. Cura semper de me sit
tibi, pie pater,
Ne in me praevaleat
hostis meus ater;
Fac ut clemens mihi sit
pia Dei mater,
Ut dignus efficiar
esse Jesu frater.

8. Tu in terra positus
coelorum secreta
Perlustrasti spiritu;
fac ut pompa spreta
Seducentis saeculi
Christi sim athleta,
Cernens ejus faciem
gaudens sine meta.

9. Uires a te postulo
Indignus claustralis,
Tuis me defendere
digneris sub alis,
Ut exutus omnibus,
quibus premor, malis
Jugiter permaneam
Jesu subjugalis.

10. Sexto ante obitum
die te portari
Jubes in ecclesiam
ibique humari;
Fac me, pater inclite,
tecum collocari
In aeternis gaudiis
tecumque laetari.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV°. 29.

161. De sancto Benedicto.

1. Ave, pater et patrone,
Monachorum ductor bone,
Benedicte pater, ave,
Mihi peccatori fave.

2. Preces meas admittendo
Et obnixe deducendo
In effectum, quidquid peto,
Te accedo corde laeto;

3. Supplicando studiose,
Ut tu, pater gloriose,
Intercedas apud Christum,
Ne fallar per mundum istum;

4. Et omne per me commissum
Ne me mergat in abyssum,
Sed ex toto poenitere
In hac vita et deflere,

5. Fac et demum praecavere,
Deum prae oculis habere;
Ne delinquam rursus prave,
Cor ad Deum sursum trahe.

6. Corde, voce laudem Deum,
Reflectendo super eum
Omnes vires et conamen
Suum exorando nomen.

7. Ut excessus sic deplangam,
Ut non post hanc vitam longam
Pro peccatis feram poenam,
Invitari fac ad coenam,

8. Ubi nullus est defectus,
Ut ibidem sim electus,
Angelis conregnaturus
Et a malo sim securus.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021.

162. De sancto Benedicto.

1. Salve, abba monachorum,
Vitae forma, decus morum,
Te decent praeconia,
Gnarus orbis reparator,
Salvandorum propagator
Christi in ecclesia.

2. Tu nostrum es spectaculum
Tutumque propugnaculum
Pio legis foedere,
Sacer auctor instituti,
Quo electi sunt imbuti
Digne Deo vivere.

3. Nam, ut doces, sic vixisti
Ac vivendo exstitisti
Vivax norma subditis,
Eja, sacer Benedicte,
Dulcis, clemens et invicte,
Mitis atque humilis,

4. Cunctorum vatum gratiam,
Archos, patrumque sophiam
Nactus es eximie,
Dum sophiae deputaris,
Jesum pie aemularis,
Doctus migrans nescie.

5. Natale solum deserens,
Vasti praerupta penetrans,
Fide signans Abraham,
Clam sub frutectis latitas,
Palam ut sol irradias
Densam mundi nebulam.

6. Futurus abbas plurium
Mox fugas omne noxium
Tui candoris spiculo,
Es virtutum pius sator,
Vitiorum exstirpator
Sanctitatis sarculo.

7. David mitis eluxisti,
Velut ille tu planxisti
Aemuli interitum,
Dum nat ferrum Helisaeus,
Helias, cum tibi Deus
Corvi dat solatium,

8. Et merum vincens toxicum
Vitale per signaculum
Compar tunc apostolis,
Nunc in coelo sublimatus,
Exinde glorificatus
Et es consors angelis.

9. Per te, pater generati
Sumus, sed heu depravati
Malis nostris actibus;
Refove nos, gloriose,
Christo Jesu viscerose,
Bonis praevalentibus.

10. Donec lumen increatum
Sit in nobis reparatum,
Precamur suppliciter,
Et in regno claritatis.
Tuo nutu pietatis
Colloca feliciter.

Orat. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 1. — 3, 1 Jam ut.

163. De sancto Benedicto.

1. Almi Benedicti vita
Orbem illustravit ita
Velut sol irradians,
Qui jubare suae lucis
Sub vexillo sanctae crucis
Rutilat crepusculo.

2. O monarche Benedicte,
Nomen tuum sonat rite
In omni ecclesia,
Patriarcha monachorum,
Conservator es cunctorum,
Qui ad te confugiunt.

3. Coenobitis praebes normam
Anachoretisque formam
Vias vitae ingredi,
O archimandrita pie,
Quis non optet tuae viae
Prosequi vestigia?

4. Disertissimus interpres
Facundiaque locuples
Ordinando regulam;
Hoc Gregorius testatur
Stupor mundi, papa sacer
In suo dialogo.

5. Septus liliis duobus,
Albo, rubo cum ambobus
Corruscas in medio:
Maurus candet sanctitate,
Uterque virginitate,
Placidus martyrio.

6. Regnant jam cum Deo pleni
Quatuor et ter milleni
In coelesti gloria,
Quos Johannes duodenus
Apostolicus serenus
Ex archivis prodidit.

7. De Romanis libris tulit,
Quos exinde nobis fudit
Sanctorum catalogo;
Quisnam alter confessorum
Secum ducit talem chorum
Per coeli palatia?

8. Roga supplex tu pro nobis,
Qui sanctorum sedis choris,
Optime vexillifer;
Pastor bone, tu catervam
Ad vitam perduc aeternam,
Ut cum sanctis gaudeat.

9. Tu conserva congregatam
Sub Lunaco titulatam
Undique familiam,
Sed post mundi incolatum
Duc ad verae vitae statum.
Ubi tecum gaudeat.

10. Hanc trinus et unus Deus,
Pius pater, amor verus,
In cunctis adaugeat,
Cui decus et majestas
Semper exstat et potestas
Per aeterna saecula.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4089 anni 1460. A. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1481. B. — Cod. Mellicen. 932 saec. 15. C. — B ist Abschrift von A; beide haben die Notiz: Alia rescripta in Monte Casino. — 1, 1 Olim Benedicti AB. — 1, 4 Jubare qui C. — 2, 1 O fehlt C. — 3, 5 optet C. — 4, 5 sator AB. — 5, 4 und 5 umgestellt C. — 6, 2 und 3 umgestellt C. — 6, 4 und 5 desgl. C, und so fort bis zu Ende. — 7, 1 Te Romanus libris tulit C. — 9, 2 sq. ist in C also abgeändert:

Cujus [lies: Hujus] loci Udal. Augustensis
Gregem serva hunc, ne ensis
Hostilis confodiat.

9, 4 sqq. fehlen AB. — 10, 2 amor meus C. — 10, 3 augeat AB.

164. De sancto Bernhardo.

1. Ave pater et patrone,
Bernharde sanctissime,
Es suavis in odore
Sonans hoc ex nomine;
Fragrans nardus es Bernharde,
Odor namque coelitus
Te a mundi traxit fraude
Et replevit penitus.

2. Adhuc in matris utero
Per catulum signatus
In adversanti populo
Acutos das latratus,
Huic mundo procreatus
Eras bonae indolis,
Cunctis placens atque gratus
Es ad cuncta docilis.

3. Ab ipsa mox infantia
Polles bonis moribus,
Devitas, quae sunt noxia,
Verecundus, providus,
Ad salutis iter tendens
Declinasti publica,
Lignum vitae apprehendens,
Quod fert dona plurima.

4. Clara natus parentela
Caenosum fugis mundum,
Conversando abs querela
Tu tollis Christi jugum.
Vitam amans spiritalem
Intrasti coenobium,
Ubi te ostendis talem,
Quod es vitae speculum.

5. Salve, vas suavitatis,
Bernharde melliflue,
Es in scriptis dulcis satis,
Vincis mel dulcedine;
Te qui legit, experitur,
Se gustasse suavia,
Sensus ejus aperitur,
Et exsultant viscera.

6. Pietate redimitus
Es virtutum scrinium,
Naufraganti pandis litus,
Iter praebens regium,
Durus corporis castigator
Subdens hoc spiritui,
Disciplinae es amator
Nihil ferens vitii.

7. Curam geris pastoralem
Multis cum laboribus,
Verbis, factis efficacem
Reddis te in omnibus,
Es lucrator animarum,
Multos mundo subtrahis,
Ad salutem tendens harum
Dei verbo reficis.

8. Tu fidelis pastor eras
Ovem portans humeris,
Temetipsum impendebas
Obvians periculis;
O pater, sub te vivere
Tutum valde fuerat,
Nam, qui decessit, libere
Coelum mox conscenderat.

9. Gaude, pater gloriose,
Dei fultus gratia,
Nam virtutes copiosae
Facis et prodigia,
Nardum tuum fundis late,
Bonus odor saeculi,
Totus flagrans caritate
Dei atque proximi.

10. Ad odorem tantae nardi
Confluebant populi,
Caeci, surdi, muti, claudi
Atque daemoniaci,
Per te, pater, hi curantur
Laetique abierant,
Deum laudant et mirantur
De his, quae audierant.

11. Quocunque loco veneras,
Opem quisque flagitat,
Miranda, quae patraveras,
Quis effari valeat?
Morbos sanas, desperatos
Simulque freneticos,
Discordantes facis gratos
Persequens haereticos.

12. Columna tu ecclesiae,
Contra graves impetus
Subveniens angustiae,
Gaudet omnis populus,
Ordo Cisterciensium
Gaudet tuis meritis,
Cunctorumque claustralium
Vota nunquam despicis.

13. Vale, pater venerande,
Mundum istum deserens,
Plenus manens omni laude,
Pondus carnis exuens,
Sicut nardus fragrat late,
Mundum hunc repleveras
Et ad Deum, pater alme,
Semper anhelaveras.

14. Vitae tuae complens cursum
Es adeptus gloriam,
Conscendisti montem sursum
Ad plenam scientiam,
De mundo isto sterili,
Qui plenus est moerore,
Ad Deum fructu fertili
Conscendis cum honore.

15. Profecto nunc potentior
Intrans in potentias,
Ad impetrandum gratior,
Quam in terris fueras,
Te a mundo hoc sublatum
Plangunt omnes populi,
Et ad coelos te translato
Jucundantur angeli.

16. Claravallis, tu laetare,
Apud te est conditus
Hic patronus, qui te clare
Ditat nunc honoribus,
Opem ejus implorare
Omnis debet populus.
Ipsum volens invocare
Supplex dicat famulus:

17. O patrone, mi Bernharde,
Meis adsis precibus,
Me ab omni serva fraude
Cunctisque sceleribus,
Fac, ut Deo pura mente
Serviamus singuli,
Ope tua suffragante
Simus semper fervidi.

18. Quidquid mali nos infestat,
Amove celeriter
Et, ad bonum quidquid spectat,
Hoc adauge jugiter,
Procul pelle temptamenta
Mundi, carnis, daemonis.
In adversis nos sustenta
Servans a periculis.

19. Me, patrone, circumspectum
Facias in omnibus,
Da, ut sequar iter rectum
Deo haerens artius,
Ut sim fortis in agone
Contra malos spiritus,
Rogo, adsta, pastor bone,
Fugans illos eminus.

20. Ex odore tuae nardi
Animam refrigera,
Deo, qui non potest falli,
Ipsam reconcilia,
Sursum illam trahe tecum
In coelorum culmine
Ad videndum vultum tecum
Trinitatis sedule.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

165. De sancto Bernhardo.

1. Bernharde, pater inclite,
Odorem tuae gratiae,
Quam designas ex nomine
In meo funde pectore.

2. Expelle cuncta crimina
Et ad virtutes incita,
Ut mens terrenis vacua
Meditetur coelestia.

3. Rixa catelli prodidit,
Quod mater, quae te peperit,
In mundo talem protulit,
Qui inimicos repulit.

4. Nardus, quae est herba humilis,
Odore delectabilis,
Signat, quod dono flaminis
Refertus es in intimis.

5. Ad sancta exercitia
Tendis a pueritia
Relinquens haec terrestria
Propter bona coelestia.

6. Religionem appetens
Cisterciumque adiens,
Virtutibus proficiens
Ac Deo pure serviens.

7. Doctrina tua mellica
Convertit dura pectora,
A saeculi fallacia
Erigens ad coelestia.

8. Ubique fama spargitur,
Undique ad te curritur,
Gaudium cunctis oritur,
Aeger quisque sanabitur

9. Salus nostra, o Bernharde,
Te laudantes in hac valle,
Hos ab omni serva fraude
Et coelesti junge aulae.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV°. 29.

166. De sancto Bernhardo.

1. Salve, candens flos doctorum,
   Irroratus coelitus,
   Bernharde, vernans gemma morum,
   Radians divinitus.
2. Castitatis ob decorem
   Cum agno legis lilia,
   Sanum tuis das odorem
   Humilitatis viola.
3. Tua florida doctrina
   Foeda mea separa,
   Cum virtutum disciplina
   Cor et corpus praepara.
4. Hunc effectum mihi praesta,
   Mi patrone, prece pia
   Ad agenda coeli festa
   Cum dulci Jesu et Maria.

Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

167. De sancto Bernhardo.

1. Salve, Bernharde praeclare,
   Te nunc precor, supplicare
   Prece cordis intime,
2. Ut amore me ferventi
   Atque vita condecenti
   Digneris instruere.
3. Ut ignitus caritate,
   Adornatus honestate,
   Verbo atque opere,
4. Intus Deo me ostendam,
   Foris quemquam non offendam
   Motu, statu, habitu.
5. Te me semper defensante,
   Te nocte dieque stante
   Meo in circuitu,
6. Securum post dirae mortis
   Patefactis coeli portis
   Duc me sine strepitu
7. De potestate daemonum
   In conventum beatorum,
   Alme pater, ubi tu
8. In coelestis aula regis
   Coronatus semper degis
   Laetus absque gemitu.

Cod. Altovaden. 60. saec. 15.

168. De sancta Caecilia.

1. Ave, virgo gloriosa,
   Toti mundo gaudiosa,
   Beata tu Caecilia,
   Rubens sicut florens rosa,
   Tota dulcis et formosa,
   Vincens candore lilia.
2. Digna nata es Romana,
   Docta lege Christiana
   Ab ipsis jam cunabulis,
   Corde Christi verba sana
   Gerens ut salutis grana
   Despectis mundi fabulis.
3. Tuque saepe jejunasti,
   Veste dura castigasti
   Tuum corpus femineum,
   Deum semper exorasti,
   Cunctis sanctis commendasti
   Tuum decus virgineum.

4. Matri Christi plus aequata,
Sponsis suis es praelata
Cunctis in hoc articulo,
Nam es viro desponsata,
Manens tamen virgo grata
In lecto, in cubiculo.

5. Qui attendit diligenter,
Admiratur vehementer
Tam magnam in te gratiam,
Quod tam caute, tam prudenter
Superasti innocenter
Saevi sponsi audaciam.

6. Duos sponsos habuisti,
Quorum mater et fuisti
Terrenum atque coelicum;
Unum fide concepisti,
Hunc in altero genuisti
Per dogma evangelicum.

7. O argumentosa apis,
Quae sunt Dei, bene sapis,
In mel mutans fel mentium;
Multos ab inferno rapis,
Quos ad fidem Christi capis
Es mater et egentium.

8. O salvatrix animarum,
Fortis victrix et poenarum,
Novo gaude signaculo,
Tam pulchrarum coronarum,
Paradiso allatarum
Angelico miraculo.

9. O electa institutrix,
Sis fidelis praelocutrix
Contra hostem nequissimum,
Sis in morte mea tutrix,
Tu mei fortis sis adjutrix,
Ad sponsum duc carissimum.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV°. 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — Orat. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. C.

169. De sancto Christophoro.

Egregie martyr Domini,
Do laudes tuo nomini,
Quod contulit tibi Deus.
Tu vocabaris reprobus,
Nunc diceris Christophorus.
Progenie Cananeus,
Personae fortitudinem
Habens et longitudinem
Duodecim cubitorum,
Desiderabas quaerere
Et nequaquam deserere
Potissimum dominorum.
Primo potentis hominis
Servus eras, hinc daemonis,
Sed postea Jesu Christi,
Cui portando populum
Per fluminis periculum
Fideliter servivisti.
Quem tandem personaliter
Per fluvium realiter
In humeris transferebas,
Et in hujus signaculum
Tuum florere baculum
Cum fructibus tunc videbas.
Post haec in Samon veniens
Et linguam non intelligens,
A Domino impetrasti
Linguae intelligentiam
Et fidei scientiam,
Qua plurimos confortasti.
Fers risum, plagas judicis,
Arentem virgam efficis
Frondescere coram gente;
Sic octo millia hominum
Conversi sunt ad Dominum
Fideliter te docente;
Hinc quadringentos equites
Regis fecisti milites
Et martyres Jesu Christi.
Qui non audebant tangere
Te nec ad regem trahere,
Spontanee sed ivisti.
Te viso rex abhorruit,
Sic quod de sede corruit.

Qui denique te volentem
Incarcerans sororibus
Commisit, ut amplexibus
Inficerent tuam mentem.
Has Christo facis credere.
Prostibulum deserere.
Sic idolis praeconfusis
Aquilina suspenditur,
Ense Incena caeditur
Precatibus Deo fusis.
Tu caesus virgis ferreis,
Ustus ignitis galeis,
Hinc ferreo super scamno
Vinctus in igne poneris,
Quo liquefacto solveris,
Egrederis sine damno.
Ligatum sagittaverant
Tota die nec laeserant
Te milites quadringenti;
Suspendebantur aere
Sagittae, nec te tangere
Vis potuit instrumenti,
Sed retroversum spiculum
Excussit regis oculum.
Tu principi praedixisti.
Quod morereris crastino
Et a dolore pristino
Juvamine Jesu Christi
Ocellus sanus fieret,
Si rex eum perungeret
Cum sarguine, quem fundebas.
Sic fusis Deo precibus
Pro tibi servientibus
Mox gratiam obtinebas,
Ut a delicti sordibus
Et morborum doloribus
Te venerans liberetur,
Decollabaris denique,
Regis ocellus, undique
Dum sanguine liniretur,
Recepit visus gratiam,
Rex fidei notitiam
Promeruit dans edictum,
Ut gentes suae pariter
Christo credant fideliter
Vel subeant ensis ictum.
Ob hoc te gloriosius
Laudat scribens Ambrosius
Prodigia, quae fecisti
Per signa mirabilia.
Quadraginta octo milia
Gentilium convertisti
Sicque palmam victoriae,
Coronam quoque gloriae
A Domino recepisti.
Cui congaudens jugiter
Vernis tuis fideliter
Succurrere meruisti.
Christophore, mi domine,
Pro tuo sancto nomine
Te deprecor confidenter,
Ut Christi nomen colere,
Te laudibus extollere
Me doceas diligenter.
Da mihi fortitudinem
Vitaeque longitudinem,
A daemone me secura,
Me summum Deum quaerere
Semperque corde gerere
Fac removens nocitura.
Me peccatorem aridum
Virtutibus fac floridum
Et opere fructuosum;
Da sanam eloquentiam,
Devotam patientiam
Et judicem gratiosum.
Tu cum tuis sequacibus
Ab hostibus mordacibus
Me protege nec permittas
Malignorum perfidias,
Arma, minas, insidias
Me tangere nec sagittas.
Fac, ut me hostes metuant,
A vultu meo corruant,
Me captio non molestet
Nec noceat temptatio,
Sed fidei firmatio
Coelestia mihi praestet.
Plagas, ignes, supplicia,
Confusiones, vitia,
Non sinito me subire,
Da cuncta retrocedere,
Quae me deberent laedere.
Fac obitum me praescire,

Da sanitatem corporis,
Tranquillitatem temporis,
Fac exitum vitae bonum.
Tu posce vivis gratiam,
Defunctis culpae veniam,
Ecclesiae pacis donum,
Cunctis te venerantibus
Sis in necessitatibus
Solabile adjuvamen,
Ut ex Dei clementia
Futura et praesentia
Sint prospera nobis. Amen.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. — 57 Hinc ferro Hs. — 79 a dilecti Hs.

170. De ss. Cosma et Damiano.

O medici languentium,
Cosma cum Damiano,
Succurrite poscentium
Votis ore plano
Et populo Christiano
Sitis in adjutorium,
Ut nobis spiritu sano
Christus det suum gaudium.

Horae ms. ad usum Blesensem. saec. 15/16. Cod. bibl. Rossianae.

171. De sancta Cuthburga.

1. Ave, virgo Deo grata,
Northumbrorum regis nata,
Cuthburga castissima,
Prece carnem carne degens,
Cor et corpus caste regens,
Carnis vincens vitia.

2. Coelibatus ob amorem
Mundi pompam et honorem
Respuisti penitus,
In virtute semper viva,
Vernans, virens ut oliva,
Inspirata coelitus.

3. Sponsa Christo desponsata,
Casta, constans et velata
Velo pudicitiae,
Rosa pulchra nunquam arens,
Sorde carnis semper carens,
Vasculum munditiae.

4. Ope sponsi tui Christi
Hostes trinos devicisti,
Mundum, carnem, Satanam;
Corpus servans illibatum,
Fame, siti castigatum,
Culpae tegens maculam.

5. O coelestis coenobita,
Ad coelestem nos invita
Coenam agni providi,
Ut purgati a peccatis
Jucundemur cum beatis
Stolis albis candidi.

6. Illis, qui te hic honorant
Opem tuam et implorant,
Cito fer auxilium,
Per te sentiant juvamen
Nunc et tandem consolamen
Vitae post exilium.

7. Benedicta o Cuthburga,
Peccatorum faeces purga
Dempta carnis scoria,
Tecum tandem ut locemur
In aeternum et laetemur
In sanctorum gloria.

Orat. ms. Cantuariense saec. 15. Cod. Lambethan. 560. — 1, 4 Preces carnem. — 7, 2 preces purga.

172. De sancta Dorothea.

1. Dulcis ave Dorothea,
Post Mariam sola mea
Sportella rosigera,
Te pedissequam elegit
Singularem et collegit
Puella Christifera.

2. Ob hoc aevo puerili
Culta studio senili,
Informata coelitus,
Deos falsos respuisti,
Adamatrix Jesu Christi
De corde medullitus.

3. Rosa vernans, sic odorem
Tuum spargis et saporem
Longe, late dulciter;
Hinc a paganorum turbis
Tradita praefecto urbis
Es virgo ferociter.

4. O quam dire cruciata,
In catasta tua grata
Sunt distenta viscera,
Hinc in vultu fuste caesa,
Faculisque tua laesa
Sunt praeclara ubera.

5. Tandem revocantur tristes
Christe atque Kallistes
Per te, virgo nobilis,
Quibus igne concrematis
Et in coelo collocatis
Tu perstas immobilis.

6. Heu tandem tu decollaris,
Sed in coelis gloriaris
Transmittens Theophilo
Cum pomis vernantes rosas,
Speciosas, odorosas
Paradisi hortulo.

7. Eja, dulcis Dorothea,
De maligni me romphea
Hostis pie libera,
Fac ut plangam Christi mortem
Cum Maria semper fortem
Et haec adde munera.

8. A verenda paupertate
Et ab omni tempestate
Nec non ab infamia
Me custodi, me guberna,
O praeclara Christi verna,
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 52 d 11. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. S. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1481. B. — 5, 2 Kristen atque Kallistes AB. — 5, 6 Tu fehlt B. — 6, 1 Tu fehlt B. — 8, 1 berenda B.

173. De sancta Dorothea.

1. Dei sponsa inclita,
Virgo Dorothea,
Quae in coelis sequeris
Agnum, ad te mea
Heu peccatrix anima
clamat mortis rea:
Cor mundum et spiritum
rectum in me crea.

2. O martyr egregia,
ora Christum regem,
Quod me ovem perditam
reportet ad gregem.
Ut ejus sanctissimum
nomen nunquam negem,
Sed semper custodiam
sacram ejus legem.

3. Regni Cappadociae
impius praefectus
Te in sponsam petiit
specie illectus,
Sed effectu caruit
ipsius affectus;
Per te, beatissima,
sim Deo dilectus.

4. Odio Fabricii
contra te furentis
Missa es in dolium
olei ferventis,
Quod tibi non nocuit
vi omnipotentis;
Serva me a gladio
in throno sedentis.

5. Tenebroso carcere
innocens locata,
Cibi alimonia
tibi denegata,
Per sanctos es angelos
Dei confortata;
Mea fiant opera
per te Deo grata.

6. Hinc poenis equulei
sancta cruciaris,
In mammillis faculis
Igneis cremaris,
Ultimo sententia
Capitis damnaris;
Me a malis omnibus
clemens tuearis.

7. Extra muros duceris
Instar Jesu Christi,
Pro cujus preconio
mortem pertulisti,
Rosasque Theophilo
scribae tu misisti
Et sic in palatia
coeli introisti.

8. Adjuva, misericors,
tuum laudatorem,
Respice, piissima,
tuum oratorem,
Per te Jesum habeam
pium adjutorem
Et contra diabolum
jugem protectorem.

Orat. ms. Sigismundi Span de Bernstein 1477. Cod. Pragen. XIII Hs. 3 b.

174. De sancta Dorothea.

1. Ave, sancta Dorothea,
Consolatrix et spes mea,
Peccatorum de morphea
Sana me et justum crea.

2. Ave, virgo mitis tota,
Da, ut caritas sit nota
Mihi, per quem fracta vota
Scelerata forent lota.

3. Ave, sceptum Christi gratum
Liliumque delicatum,
Miseriae meae statum
Mihi verte in beatum.

4. Ave, vultu nimis clara,
Me pollutum mundum para,
Ut gens saeva et avara
Me non trahat ad amara.

5. Ave, coeli cornu digna,
Mater cunctorum benigna,
Christo, quaeso, me consigna,
Ne me tangat vis maligna.

6. Ave, gemma virtuosa,
Dorothea, vernans rosa,
Esto mihi gratiosa
In hac valle lacrimosa.

7. Ave, flos virginitatis,
Patens glosa sanctitatis,
Statum meae paupertatis
Vide vultu pietatis.

8. Ave, speculum pudoris,
Dorothea, vas honoris,
Me emunda intus, foris
De humore coeli roris.

9. Ave, rivus fluens melle,
Mea mala procul pelle
Et cor meum purga felle,
Ut sim gratus maris stellae.

10. Ave, pietate plena,
Coeli tu dulcoris vena,
Paradisi ad amoena
Me de faece duc terrena.

11. Ave, martyr eximia,
Dorothea, virgo pia,
Cordi meo allevia,
Quae hactenus sunt gravia.

12. Ave, nutrix orphanorum
Consolatrixque moestorum
Et adjutrix afflictorum,
Me consortem fac lectorum.

13. Ave, mea spes sublimis,
Te deposco moestus nimis
Ut cum vitae erit finis,
Me ad Christum fer ab imis.

14. Ave, virtus virginalis,
Tuis pasce me sub alis,
Ne in finem jungar malis,
Sed sim justis coaequalis.

15. Ave, balsamus odoris,
Amygdalum clari floris,
Me sanctorum junge choris,
Ut te laudem cunctis horis.

16. Ave, lumen lucis merae,
Dorothea, miserere
Mei morbisque medere
Et sinistra cuncta tere.

17. Ave, laetitia vera,
Tu moestorum spes sincera,
Cordis mei tu sis sera,
Ne hoc intret vorax fera.

18. Ave, Christi disciplina,
Mitem mihi te inclina
Corque serves a ruina,
Hostis fiam ne rapina.

19. Ave, rutilans aurora,
Virgo fulgens et decora,
Jesum flecte et exora,
Ut sim felix mortis hora.

20. Ave, consors angelorum,
Choris infer me sanctorum.
Deum laudem ut deorum
Cunctis horis saeculorum.

21. Ave, clemens et intacta,
Dorothea virgo sancta
Per te in me sint confracta
Scelerata quaevis acta.

22. Ave, quae es cordis rei
Ancora et forma spei,
Interventrix esto mei
In conspectu summi Dei.

23. Ave, sidus tu praeclarum.
Causas aufer ruinarum
Atque Christo fac me carum.
Qui est salus animarum.

24. Ave, mea advocata,
Dorothea sis rogata,
Ut defectus et peccata
Per te a me sint ablata.

25. Ave, domus pietatis,
Flos totius honestatis.
Dies praesta sanitatis
Meque serva a peccatis.

26. Ave, virgo dulcis famae,
Vitiosa aufer a me,
Ut culparum mihi squamae
Non sint cruciatus flammae.

27. Ave tu, quae scribam rosis
Paradisi speciosis
Reducis a falsis glosis
Salvans dictis gloriosis.

28. Ave, virgo Christi bona,
Te exoro voce prona,
Ut haec laudis meae dona
Tua perstent in corona.

29. Ave, palmes verae vitis,
Dorothea sponsa mitis,
Cum operibus contritis
Aufer cordis flammas litis.

30. Ave, cellula virtutum,
In extremis fac me tutum,
Tuum praebens mihi scutum,
Ne formidem tunc versutum.

31. Ave, agonista fortis,
Praesens sis in hora mortis,
Ne inferni jungar portis,
Sed in coeli laeter hortis.

32. Ave, victrix tormentorum,
Te exoro, ut meorum
Memor exstes amicorum,
Vivorum et mortuorum.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VIII 1. saec. 15. C. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. D. — 1, 1 Ave sancta Katharina CD. — 6, 2 Katharina vernans CD; ebenso 8, 2; 11, 2; 16, 2; 21, 2; 24, 2; 29, 2. — 12, 4 fac beatorum CD; lectorum statt electorum. — 16, 1 lucis meae CD. — 19, 2 Refulgens et decora CD. — 21, 3 Pro te . . . sunt CD. — 22, 2 formosa spei CD. — 26, 1 Ave virgo egregia CD. — 26, 2 Aufer a me vitiosa CD. — Str. 27 fehlt, weil auf Katharina nicht anwendbar CD. — 28, 4 praestent ACD.

175. De sancta Dympna.

Ave, Dympna, virgo sanctissima,
Multa laude vere dignissima.
Ave, gratiosa et jucunda,
Agni sanguine rubicunda.
Ave, beata Christi virguncula,
Per quam tanta coruscant miracula.
Gaude, dulcis et benedicta,
Quae reorum deles delicta.
Vale, pia mater, per saecula,
Sis apud Christum pro nobis sollicita.

Orat. ms. saec. 15. Cod. der k. k. Fideikommissbibl. Wien 7977.

176. De sancta Erntrude.

1. Egregia Erentrudis,
Vernis tuis tu recludis
Aulam tuae gratiae,
Tui fontis dispensatrix,
Gazae coeli ac donatrix
Tu flos honorantiae.

2. Redimita auro poli
Et adjuncta vero soli,
O dulcis Christicola,
Refecta es delicate
Tui sponsi pietate,
Hierarchiae incola.

3. Normae verae observatrix,
Sanctae vitae legislatrix,
Aquae vivae situla.
Nos tu aqua illa riga,
Ut sedetur mortis briga,
Tu spes nostra patula.

4. Despondisti te sincero
Jesu Christo, sponso vero,
Regi regum omnium,
Dote cujus semper fruens,
Sine fine ipsum tuens
Deitatis filium.

5. Rosa florens, pulchra tota,
Caritatis igne fota,
Clarior sideribus,
Rectrix filiabus Christi
Sacrum dogma tu dedisti
Verbis et operibus.

6. Vitis vernans celebina,
Vina donans dulcorina
Te insuppetentibus,
Vera atque tu matrona,
Advocata semper prona
In necessitatibus.

7. Diademate ornata
Virginali, Deo grata,
Es in throno gloriae
Ebriata tu amore
Trinitatis ac dulcore
O quam multifarie.

8. Ingens claritatis lumen,
Totam te illuxit numen
Sua claritudine,
Incliti es favus mellis,
Relevatrix in procellis,
Protectrix in turbine.

9. Salutaris nostri ortus
Ac securitatis portus,
Me audi benigniter,
Suspiro ad te benignam,
Ut hic vitam mihi dignam
Dones et perenniter.

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 55 d 11. saec. 15. — 2, 4 Referta. — 3, 5 sedatur. — 8, 5 Revelatrix.

177. De sancto Floriano.

1. In hoc festo martyris,
Fratres jucundemur,
Ne fermenti veteris
Faece praegravemur,
Sinceres in azymis
Simul epulemur
Et praeclari palmitis
Palmam veneremur.

2. Iste sicut lilium
Palmes germinavit
Et in aquis Siloe
Vestes candidavit,
Ut vernans in Jericho
Rosa rutilavit,
Nam in agni sanguine
Stolam suam lavit.

3. Tractus ante judicem
Litem contestatur,
Se trinum Deum colere
Non infitiatur
Et mortis sententiam
Pati gloriatur,
Ut perenni gaudio
Libere fruatur.

4. Ex Aegypti tenebris
Postquam est translatus,
Mox accinctus renibus,
Pedes calciatus,
Spiritali baculo
Fortiter armatus,
Phase verum peragens
Transit immolatus.

5. Exiens de Jericho
Hierusalem tendit,
Unde quondam saucius
Hic homo descendit
Et palmae dulcissimos
Fructus apprehendit,
Cautus et ad lapidem
Pedem non offendit.

6. Jam victor stelliferam
Colit regionem
Et compensat praemio
Duram passionem,
Nam de mensa percipit
Benedictionem,
Christum sibi computans
Summam petitionem.

7. Nostram non ambigimus
Catervam decere,
Ut hoc festum studeat
Colere sincere,
Sed hoc non sufficimus
Decenter implere,
Tu autem, o Domine,
Nostri miserere.

Cod. S. Floriani XI 220. saec. 12. fol. 211 b. — Daraus mit einzelnen Ungenauigkeiten bei Pez, Scriptt. rer. Austr. I, 53. — 3, 2 wegen Radierungen undeutlich. — 3, 8 perfruatur.

178. De sancto Georgio.

1. Salve, martyr gloriose,
Ave miles pretiose,
Christi flos militiae,
O Georgi gratiose,
Germen stirpis generosae
Gentis Kappadociae.

2. Salve, crucis vexillator
Et virtute triumphator
Coelestis signifere,
Per quem sola regis nata
Est a fauce liberata
Draconis pestiferi.

3. Salve, miles summi Dei,
Per virtutem sanctae spei
Superans daemonia,
Et pro Christo mente laeta
Hujus mundi pompa spreta
Despexisti omnia.

4. Salve, victor in tormentis,
Fide constans verae mentis
Spreta idolatria,
Post tormenta decollatus
Et cum sanctis exaltatus
In coelesti patria.

5. Salve, martyr, spes Anglorum,
Dux et decus bellatorum,
Honor te colentium,
Alme Christi proeliator,
Sis benignus defensator
In te confitentium.

6. Ora Christum, Christi care,
Et Mariam deprecare,
Ut devictis hostibus
Hic possimus triumphare
Et post mortem conregnare
Tecum in coelestibus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2887. A. — Orat. ms. Trudonense saec. 16 in. Cod. Leodien. 395. B. — 1, 3 fehlt B. — 1, 5 sq. fehlen B. — 2, 3 solus A. — 3, 1 regis Dei B. — 3, 4 Et fehlt B; Christi A. — 4, 1 victor verae mentis A. — 4, 2 constans victor mentis A. — Str. 5 fehlt B. — 6, 3 de cunctis hostibus B.

179. De sancto Georgio.

Ave, Quiritum gloria,
Ave, martyrum victoria,
Ave, lux thronorum,
Ave, dux patronorum,
Ave, inclite proeliator,
Orthodoxe propagator,
Inclitus et gloriosus,
Nulla quippe labe rosus,
Strenuitate fulcitus,
In latria sistens citus,
Georgi sanctissime,
Moribus gravissime,
Tu illaesus permansisti,
Dum virtute Jesu Christi
Intoxicatum bibisti,
Unde magum convertisti.
O rex, spretor mundanorum,
Frivolantur vires quorum,
Quanta luce corruscasti,
Virginem dum liberasti
Mortis ab exitio
Fidei mysterio,
Draconem interficiendo,
Ob hoc regem convertendo.
Ex quo nobilissimus,
Cunctis potentissimus,
Certe nobilis equester,
Inter me et hos tres hostes
Coeli defende ut postes,
Carnem, daemonemque mundum.
Fac me iter ire mundum
Et sic jube militare,
Coelum possim ut intrare,
Tuo sancto sub vexillo
Locans nos tunc in tranquillo.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

180. De sancto Georgio.

1. Fideles, huc attendite,
Christi sanctum diligite,
Mentibus laetis dicite:
Georgi, martyr inclite,

2. Te decet laus et gloria.
Praedotatum militia,
Per quem puella regia
Exsistens in tristitia

3. Coram dracone pessimo
Te rogans corde intimo
Salvata est et animo
Se reddidit altissimo

4. Cum multis infidelibus.
Fac ergo sic, ut civibus
Tu nos reddas coelestibus
Nostris ablutis sordibus.

5. Ut simul cum laetitia
Tecum simus in gloria
Nostraque reddant labia
Laudes Christo cum gratia.

Orat. ms. saec. 14/15. Cod. Bruxellen. 108 12—16. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n. B. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican. 3768. C. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 206. D. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Parmen. GG I 124. E.

1, 1—4 fehlen CDE. — 2, 3 quam A. — 3, 2 sq. umgestellt D. — 3, 2 Te fehlt C; rogat A. — 3, 3 est a Domino. — 3, 4 fehlt C. — 4, 1 Nunc in crucis fidelibus B; Ut cum cunctis fidelibus C. — 4, 2 Fac ergo, ut cum civibus B; Coeli jungamur civibus C. — 4, 4 Mortis ablatis A.

181. De sancto Geraldo.

1. O Geralde, gaude, plaude,
Vir virtutum dignus laude,
Non sit, qui te sileat;
Claraevallis hinc exsultet,
Omnis ordo sic resultet,
Ut nec unus taceat.

2. Huc venite et videte,
Mecum, quaeso, congaudete,
Tota coeli curia,
Hic Geraldus, quem tenetis,
Martyr factus, ut videtis,
Sua tinxit lilia.

3. Erat heri candidatus
Et en modo rubricatus,
Flos in florem transiit;
Flos in florem transmutatur,
Liliumque decoratur,
Cum in rosam prodiit.

4. Claraevallis nostrae coetus
Vobis psallens atque laetus
Mittit haec encennia:
Heri virum dealbatum,
Nunc habetis purpuratum
In coelesti gloria.

5. Talem fructum ab Avernis
Modo legunt in supernis
Montibus coelicolae,
Non diebus tantum vernis,
Sed diebus sempiternis
Cujus rubent violae.

6. Nunc ad virum revertatur.
Qui sic suo decoratur
Pretioso sanguine,
Qui pro legis Dei jure,
Quam tenebat ita pure,
Est defossus inguine.

7. Caro fuit ferro caesa,
Sed permansit mens illaesa
Sub virili pectore,
Carnem fodit et cucullam,
Laesionem tamen nullam
Mens sensit de corpore.

8. Parce mihi, sanctus dixit,
Cum cultellum latro fixit,
Parce mihi, domine,
Ad hanc precem se non flexit
Et magistrum non respexit
Vel pro Christi nomine.

9. Non est flexus nec mutatus
Homo nequam exoratus
Tam misericorditer,
Sed percussit virum magnum
Et invasit lupus agnum
Nimium abtrociter.

10. O Geralde sancte, vale,
Cui nomen aeternale
Dominus largitus est,
Pro me, quaeso, deprecare,
Ne me mergat mundi mare,
Ubi nemo tutus est.

11. Ille ego tuus quondam,
Modo cantor, cur abscondam,
Quod est meum canere?
Me misisti trans marina,
Ne te praesens in ruina
Vae, vae possim plangere.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1444. saec. 15.

182. De sancta Hedwige.

1. Hedwigis, praeclarissima
Stirpe procreata,
Ab adolescentia
Summo regi grata,
Pio es Poloniae
Duci copulata,
Mihi, mater, impetra
praemia beata.

2. Exstingue, castissima,
lubricum calorem
In me tuo famulo
castumque amorem
Meis pete sensibus
apud redemptorem,
Ut castarum mentium
vincam corruptorem.

3. Ducis tu Meraniae
filia praeclara,
Deo et hominibus
Placens atque cara,
Iter ad coelestia
mihi tutum para,
Ne me poena tartari
cruciet amara.

4. Vulnera superbiae
in me clemens cura
Meaque peccamina
dele prece pura,
Quod evadam inferi
tormenta tam dura
Tecumque possideam
gaudia ventura.

5. In praeclaro culmine
   et sic afflixisti
Diris cruciatibus,
   quod carnem fecisti
Servire spiritui
   nec non subjecisti,
Fac, ut corpus teneam
   sub rigore Christi.

6. Gloriosa trinitas
   sic te illustravit,
Quod per te miracula
   multa perpetravit,
Variis languoribus
   oppressos curavit.
Tua prece salvet me
   is, qui me creavit.

7. In lege conjugii
   carnem sic domasti,
Quod a viri thalamo
   thorum sequestrasti,
Nudis semper pedibus
   felix ambulasti,
Hunc me fac devincere
   hostem, quem calcasti.

8. Sub jugo altissimi
   fac me permanere
Et ejus imperio
   jugiter parere,
Quod fraus mihi Satanae
   nequeat nocere,
Ut possim in gloria
   tibi congaudere.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

183. De sancto Henrico.

1. Rex Henricus sis amicus
   Nobis in angustia,
Cujus prece nos a nece
   Salvemur perpetua.

2. Lampas morum, spes aegrorum
   Ferens medicamina,
Sis tuorum famulorum
   Ductor ad coelestia.

3. Pax in terra, non sit guerra
   Orbis per confinia,
Virtus crescat et fervescat
   Caritas per omnia.

4. Non sudore vel dolore
   Moriamur subito,
Sed vivamus et plaudamus
   Coelis sine termino.

Orat. ms. Trudonense saec. 16. in. Cod. Leodien. 395.

184. De sancto Hieronymo.

1. Dispensator scripturarum
Jeronyme tu sacrarum,
   Doctorque eximie,
Protege me supplicantem,
Serva tibi famulantem,
   Excelse Christicole.

2. Funde preces, flecte Deum,
Ut illustret pectus meum,
   Ad te mentem erigo,
Ut sim salvus tuo dono,
Totam in te spem repono
   Te patronum eligo.

3. Ecclesiae tuae electus
Doctor factus et perfectus
Et flos pudicitiae,
Vagos stringe cogitatus,
Per te salvus in me status
Degat innocentiae.

4. Sensus frena fluctuantes,
Hostes fuga conturbantes,
Reprime daemonia,
Doma mentem, iram frena,
Confer pacem, cor serena,
Aufer adversantia.

5. Doctor clare, tu dignare
Delictorum impetrare
Mihi Christi veniam,
Ut sic possim respirare
Excessusque emendare
Consecutus gratiam.

6. Confer vitae sanitatem,
Dona morum honestatem
Et quieta tempora,
Auge veram caritatem
Pectorisque puritatem,
Me languentem robora.

7. O lucerna, flos virtutum,
Doctor tenens iter tutum,
Stella lucens sedulo,
Jubar tuae pietatis
Me defendat a peccatis
Tollens ab ergastulo.

8. Vitae meae rege cursum,
Post hanc vitam tolle sursum
Animam ad gaudia,
Ubi Deum contemplari
Justisque consociari
Merear in gloria.

Cod. S. Petri Salisburgen. a III 10. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1481. C. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 4977. saec. 15. D. — Orat. ms. Palat. Vindobonen. 4106 saec. 15. E. — Cod. Palat. Vindobonen. 2014. saec. 15. F.

Das Lied steht als Sequenz, was es ursprünglich keinesfalls ist, in Miss. ms. Palat. Vindobonen. 1797 und mit verändertem Anfang: Dispensator regularum, Benedicte, tu sacrarum, als Lied auf den hl. Benedict in Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20021 anni 1470.

1, 2 sanctarum AB. — 2, 5 spem pono AB. — 3, 2 Doctor perfectusque Dei amator AB. — 3, 3 Flos es pudicitiae AB. — 3, 6 Degant AB. — 4, 6 adversaria AB. — 5, 3 Christi fehlt AB. — 6, 5 que fehlt AB. — 7, 2 sternens iter C; cernens iter D. — 8, 6 Mereamur AB. — Man vgl. das Lied Contemplator trinitatis, welches der Dichter dieses gebrandschatzt hat.

185. De sancto Hieronymo.

Confessor alme Domini,
Jeronyme beate,
Nefando mihi homini
De tua bonitate
Tuisque sanctis precibus
Sincere confidenti
Et peccatorum sordibus
Crudeliter foetenti
Digneris pius veniam
A Deo postulare
Per tuamque clementiam
Eundem deprecare
Pro tam indigno famulo
Tuae sanctitatis,
Ut plasmati exiguo
Suae immensitatis
Ipse largitor gratiae
Per suam pietatem
Ob suae clementiae
Immensam bonitatem
Dignetur sinum gratiae
Clementer aperire
Ad statum innocentiae
Praestetque pervenire,

Ut perseverans jugiter
In vitae puritate,
Conservet me fideliter
In omni caritate.
Ad virtuose vivere
Sis firmum adjuvamen
Hostesque dona vincere
Per tuum sanctum nomen.
O candor innocentiae
Ac gemma puritatis,
O splendor pudicitiae
Et norma sanctitatis,
O flos florum vernantium
Et speculum virtutis,
Cunctorum te amantium
Tutamen es salutis.
Tu sidus es irradians,
Doctor sinceritatis,
Ecclesiam illuminans
Doctrina veritatis,
Tu lux et lumen saeculi,
Tu stella claritatis,
Te amant omnes populi,
Qui tuae sanctitatis
Noverunt magnitudinem
Ac merita laudanda
Tuamque altitudinem
Et vota admiranda.
Per tuam te clementiam,
Egregie doctorum,
Tuamque excellentiam,
Eximie virorum,
Te deprecor, Jeronyme,
O nimium beate,
Ut peccatrici animae
Pro tua pietate
Deus affectum satiet
Et ne ullius ultor
Se invenisse gaudeat.
Esto fidelis tutor,
Et quem pus premit scelerum,
Nunc et in hora mortis,
Confundat ne jus divinum,
Esto adjutor fortis.
Per merita sanctissima
Et intercessiones,
Quae sunt arma fortissima,
Et consolationes
Ipsum tremendum judicem
Efficias placatum.
Iram ejus ne vindicem
Propter meum reatum
Sentiens mirabiliter
Poenam experiendo
Et zabulo finaliter
Cum ipso permanendo
Associari merear
Ab eo puniendus,
Sed tua prece protegar
Et tecum perfruendus
Aeternae vitae gaudia
Laetus percipiendo
Per saeculorum saecula
Illic Deum laudando.

Cod. S. Petri Salisburgen. a II 10 saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b II 30. B. — 13 sq. fehlen A. — 28. In vera et omni caritate B. — 59. Et peccatrici AB. — 62. Et ne lius ultor A; Et nullius ultor B; die Stelle ist verdorben. — 63. Sed invenisse B. — 65. premat A. — 71. arma sanctissima AB.

186. De sancto Hieronymo.

1. Ave, gemma monachorum,
Jubar stellaque doctorum,
Praedicator inclite,
Expugnator perfidorum,
Illustrator devotorum,
O sancte Jeronyme,

2. Deprecare Jesum Christum,
Ut post nequam mundum istum
In coelesti culmine
Donet nobis cum beatis
Aeterne clarificatis
Perenniter vivere.

Cod. Altovaden. 31. saec. 15.

187. De s. Johanne Baptista.

1. Gaude, Johannes baptista
Qui in ventris clausus cista
Congaudebas Domino,
Fac nos tecum tu gaudere
Simul atque congaudere
Christo sine termino.

2. Gaude, nam tu nominatus
Et ut Christus, nuntiatus
Es eodem angelo,
Nunc nos Christo fac conformes,
Sic ut simus deiformes
In futuro saeculo.

3. Gaude, quia te infante
Nato gaudet plebs, ut ante
Gabriel praedixerat;
Per hunc plausum temporalem
Plebi plausum perennalem
Da, qui sensum superat.

4. Gaude, cujus fit soluta
Lingua patris prius muta,
Quando circumcideris,
Nostras linguas nunc laxari
Fac per laudem et laetari
Nos fac post cum superis.

5. Gaude, quia prophetavit
De te pater cum cantavit:
Benedictus Dominus;
Isto cantu consolemur
Et a cunctis conservemur
Mundi malis protinus.

6. Gaude, tenens strictum ritum
Quoad victum et vestitum,
Habitator eremi,
Carnis vilis voluptatem
Sanctam per sobrietatem
Fac in nobis reprimi.

7. Gaude tantae sanctitatis,
Quod in mulierum natis
Major te non fuerat,
Tu, amice Christi care,
Nos cum eo fac regnare,
Qui te talem fecerat.

Orat. ms. Altovadense XXXVII. saec. 15. A. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2846. B. — Orat. ms. Anglicanum saec. 15. Cod. Londinen. Ar. 203. C. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Oxonien. 13. D. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 10776. E. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. G.

Das Lied kommt in einer längeren und kürzeren Fassung vor. Letztere, welcher die Verse 4, 5 und 6 der sechs ersten Strophen fehlen, bieten sämtliche Handschriften mit Ausnahme von CFG, welche die längere Form haben.

1, 1 Gaude Christi tu baptista FG. — 1, 2 in alvi clausus FG. — 1, 4 Fac me tecum hilarari FG. — 1, 5 Simul atque venerari FG. — 1, 6 Christum FG. — 2, 1 Gaude tu nam FG. — 2, 4 consortes FG. — 3, 4 Post hunc plausum C. — 4, 4 hic laxari FG. — 4, 6 Post civibus cum superis FG. — 5, 6 Mundi fehlt C. — 6, 5 Per sanctam C. — 7, 2 natis fehlt A.

188. De ss. Johanne Baptista et Johanne Evangelista.

1. Ave, Dei o gratia,
Baptista, nobis spatia
Des, vitam corrigamus:
Divinae compar gratiae,
Evangelista gloriae,
Vos binos salutamus.

2. Gaude, Johannes nominatus
Alvo matris nondum natus
Gabrielis vocibus,
Praeco Dei vocitatus
Es propheta designatus,
Baptista Christi praevius.

3. Gaude, Johannes vocitatus,
Aquila praefiguratus
Ezechielis visibus,
Prophetias es effatus
Et apostolus dotatus,
Evangelista coelitus.

4. Gaude, Johannes, vox clamantis
Et lucerna perlustrantis
Veri luce numinis,
Patris vocem audis fantis,
Lavas corpus conregnantis
Unda visu flaminis.

5. Gaude, Johannes, verbum vocis,
Eructabas multis locis,
Quod verbum caro factum est,
Patrem audis videns natum
Corruscantem transfiguratum,
Monte Thabor hoc actum est.

6. Gaude, Johannes, nepos Christi,
Amicus ejus adfuisti
Agnum monstrans digito;
Ipsum multum dilexisti,
In deserto praedixisti,
Advenit prope saeculo.

7. Gaude, Johannes, nepos Christi,
Christi care, tu vidisti
Agnum Sion speculo,
Praedilectus tu fuisti,
Apocalypsim post scripsisti
Pathmos in exsilio.

8. Gaude, Johannes, castitatis
Exemplarque virginitatis,
Praedicans poenitentiam
Et salutem, baptizatis
Pharisaeis reprobatis
Affirmans indulgentiam.

9. Gaude, Johannes, Dei matris
Custos nutu deitatis,
Virgo per excellentiam;
Tu per verba veritatis
Haereticorum pravitatis
Superasti nequitiam.

10. Gaude, martyr, cujus lumen
Venit limbo quasi numen
Redemptorem nuntians,
Bone martyr, vates, virgo,
Morituro, quando pirgo,
Sis reconciliatio.

11. Gaude, martyr sanctitatis,
Avis, virgo puritatis,
Vas ferventis olei
Te non laedit, Christi sacrista,
Nos conserves cum baptista,
Valete, sancti gemini.

12. Vale, major hominum,
Ora pro nobis Dominum,
Johannes o baptista;
Vale, qui prae ceteris
A Christo plus diligeris,
Johannes evangelista.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Collegii SS. Trinit. Oxonien. 13.

189. De s. Johanne Evangelista.

1. Contemplator trinitatis,
Speculum virginitatis,
Johannes apostole,
Protege me supplicantem,
Serva tibi famulantem,
Excelse coelicole;
Funde preces, flecte Deum,
Ut illustret pectus meum,
Ad te mentem erigo,
Ut sim salvus tuo dono,
Totam in te spem repono,
Te patronum eligo.

2. Virgo Dei es electus
Et prae ceteris dilectus,
Gemma pudicitiae,
Vagos stringe cogitatus,
Ut sit salvus in me status
Dei continentiae,
Sensus firma fluctuantes,
Hostes fuga conturbantes,
Reprime daemonia,
Doma mentem, iram frena,
Confer pacem, cor serena,
Aufer adversantia.

3. Cum Jesu recubuisti
Super pectus, ebibisti
Dicta evangelica,
Dum in Pathmos relegaris,
Ad superna sublevaris,
Contemplaris mystica.
Praeelecte, tu dignare
Delictorum impetrare
Mihi Christi veniam,
Ut sic possim respirare
Et excessus emendare
Consequi et gratiam.

4. O felix evangelista,
Mihi jugiter in ista
Aerumna subvenias;
Sicut matrem Jesu Christi
Commendatam custodisti,
Precor me custodias.
Confer vitae sanctitatem,
Corporis da sanitatem
Et quieta tempora,
Aufer cordis pravitatem,
Purga linguae foeditatem,
Me languentem robora.

5. O lucerna, flos virtutum,
Ductor cernens iter tutum,
Stella lucens saeculo,
Jubar tuae claritatis
Me defendat a peccatis,
Tollat ab ergastulo.
Vitae meae rege cursum,
Post hanc vitam trahe sursum
Animam ad gaudia,
Ubi Deum contemplari,
Justis pie sociari
Merear in gloria.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20002 B. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV. 29. C. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. D.

190. De sancto Joseph.

1. Gaude, Joseph, fili David,
Deus quod dignificavit
Te regali prosapia,
Orta qua fuit Maria.

2. Gaude, tibi non negatum,
Quod Johanni est collatum,
Intra matris suae ventrem
Sanctam esse suam mentem.

3. Gaude, virginali flore,
Quo nitebas ac decore
Omnium virtutum clare,
Fac, mi Joseph, te amare.

4. Gaude, Deus quod probavit
Dignum te et demonstravit,
Cui Mariam copularet,
Virginem qui et servaret.

5. Gaude, quod te reputasti
Ut indignum, recusasti
Cum regina angelorum
Copulae subire thorum.

6. Gaude, tibi quod illuxit
Angelus, qui et induxit
Te accipere conjugem,
Mariam semper virginem.

7. Gaude, cui famulatum
Et in Bethlehem ducatum
Praestitisti mente pia,
Ubi peperit Maria.

8. Gaude, cultu quod latriae
Primitus regem gloriae
Adorasti, solotenus
Pro nobis missum coelitus.

9. Gaude, Deum quod laudantes
Gloria audis cantantes
Angelorum exercitus,
Quod nobis natus est Christus.

10. Gaude, totis quod medullis
Amas Jesulum, quem ulnis
Tuis quam saepius stringis
Dans oscula et maxillis.

11. Gaude, quod tu pater Christi
Dignus dici meruisti,
Eo quod eras nutritor
Matris ejus atque tutor.

12. Gaude, annis quod ter denis
Virtutibus cum his plenis
Vixeras hic, cum patribus
Dormis illis praesentibus.

13. De hac vita feliciter
Coronandus sublimiter
Pergis, Joseph, Deo care,
Sis dux meus hoc per mare.

Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen. 2990.

191. De sancto Joseph.

1. Gaude, Joseph, fili David,
Quem cum magno decoravit
Deus privilegio,
Ut sis suae matris custos,
Computatus inter justos,
Credens Dei nuntio.

2. Non relinquens desponsatam,
Sed in fine commendatam
Observans puerperam,
Ora tu Mariae natum,
Ut se nobis det placatum
Collocans in dexteram.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Vatican. 3768.

192. De sancta Katharina.

1. Ave, o eximia
Virgo Katharina,
Exorta de Graecia,
Martyr et regina,

2. De tua praesentia
Mons exsultet Sina
In omni augustia
Mihi sis vicina.

3. Ave, quae Maxentium
Caesarem sprevisti
Et ad Christum gentium
Rhetores duxisti,

4. Rotarum supplicium
Prece confregisti,
Jucunda post gladium
Coelos introisti.

5. Ave, quae in gloria
Locum tenes gratum,
Vide me in varia
Culpa, quaeso, natum,

6. Currentem per devia
Adhuc per peccatum,
Spernentem felicia,
Fac fine beatum.

7. Ave, virgo, propera
Mihi in solamen,
Exurgens ad prospera
Tuum per levamen,

8. Da, ut spernam scelera,
Mihi respiramen,
Scandam super sidera
Tuum per ducamen.

9. Ave, mea gloria,
Ave, vas virtutum,
In mortis angustia
Ferto mihi scutum,

10. Fac mea fallacia
Satanae solutum,
Praebe ad coelestia
Iter mihi tutum.

Cod. S. Petri Salisburgen b. VIII 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. B. -- Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. C. — Melodie: Costi regis filia.

193. De sancta Katharina.

1. Ave, dulcis Katharina,
Virgo martyr et regina,
Florens rosa sine spina,
Vitiorum de sentina

2. Me dignare sublevare
Et a malis liberare,
Propter tuam passionem
Tutum meum fac agonem.

3. Virgo prudens et formosa,
Paradisi vernans rosa,
Gloriosa sponsa Christi,
Hostes omnes tu vicisti.

4. Apud Christum impetrato
Tuo interventu grato,
Ut et ego superare,
Tibi queam conregnare.

5. Pretiosa margarita,
In coelesti throno sita,
Thorum tenes praeparatum,
Sponsum mihi fac placatum.

6. Esto fida mediatrix
Felixque interpellatrix
Apud Christum, qui tuorum
In pressuris tormentorum

7. Te confortans visitavit
Et finaliter salvavit.
Oro, virgo, visitare
Ut digneris et juvare

8. Me in tribulatione
Mundi nec non in agone
Et ipsius salutare
Mihi velis impetrare.

9. Quando hinc sum transiturus
Et a mundo exiturus,
Precor, virgo praeamanda
Et a cunctis veneranda,

10. Ut tunc praesens esse velis,
Inimicus ne crudelis
Mihi queat insultare
Et terrendo fatigare.

11. Sed ad vitam perventurus
Possim ipsum conditorem
Contemplari cum beatis
In conspectu trinitatis.

Cod. S. Petri Salisburgen. b. VIII 1. saec. 15. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 35. saec. 15. B. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. C. — 4, 4 Tibi quoque conregnare ABC. — 5, 3 Tuorum tenes AB. — 7, 3 O virgo visitare AB. — 8, 1 Ne in tribulatione AB. — 10, 2 ut crudelis AB.

194. De sancta Katharina.

1. Ave, virgo speciosa,
Katharina pretiosa,
Costi regis filia,
Cujus vultum et decorem
Concupivit et amorem
Cubans inter lilia.

2. In aetate juvenili
Tui cordis in cubili
Deo fruens dulciter
Ejus cuncta pro amore
Amorosa cum fervore
Mundi spresti fortiter.

3. Quinquaginta superasti
Atque Deo pretiasti
Doctores malevolos
Constrinxistique reginam
Per divinam medicinam
Linquere vaniloquos.

4. Cujus causa, o puella,
Tibi multa sunt flagella
Data per Maxentium,
Sed sprevisti blandimenta
Cuncta prosus et tormenta
Ad salutem gentium.

5. Capitalem nimis dire
Jussa tandem es subire
Et pati sententiam;
En res mira, pro cruore
Lac manavit miro more
Plebis ad praesentiam.

6. Et accedens angelorum
Multitudo beatorum
Corpus tuum tumulant
Et in coelis multa dona
Super datum esse bona
Animae accumulant.

7. Ergo felix et beata
Katharina, sociata
Angelis in gloria,
Omnes tibi famulantes
Et juvamen postulantes
Habe in memoria.

8. In eorum mortis hora
Adsis cito sine mora
Turbam fugans hostium,
Tibi Deus nam promisit,
Quisque tibi se commisit,
Reddere solatium.

9. Eja, virgo praeelecta,
Duc me tecum in dilecta
Dei tabernacula,
Ubi sequar sine fine
Tecum regis et reginae
Agnum sine macula.

Orat. ms. saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. n.

195. De sancta Katharina.

Katharina regia,
Virgo, martyr egregia,
Speciosa amabilis,
Generosa laudabilis,
Virgo Christi castissima,
Sponsa ejus dignissima,
Esto mihi propitia,
Quem multa gravant vitia.
Passo, precor, compatere,
Ad te compellor fugere,
Quia non possum pergere
Pro me, tu manum porrige,
Vide meam miseriam
Et peccatorum veniam
Mihi confer per gratiam
A Deo tibi traditam
Qui tibi sapientiam
Donavit et potentiam,
Qua rhetores convincere
Potuisti celerrime
Et ad Deum convertere
In crucifixi nomine,
Hos ad coeli palatium
Praemittens per martyrium.
O beatae primitiae
Tuae sanctae militiae,
O virilis constantia,
Vincens blanda et aspera,
Quam non mulcent blanditia,
Nec deterrent supplicia.
Imperator Maxentius
Caedens te scorpionibus,

Hinc tenebrosi carceris
In profundo detruderis.
Fame, siti et frigore
Maceranda continue.
At te columba candida
Refovebat interea,
Dum dapes defert coelicas.
Cum te regina visitat,
Christus eam illuminat,
Quae cum duce Porphyrio
Coronatur martyrio.
Duces quoque mox milites
Ducenti fiunt martyres,
Quorum felix victoria
Tua laus est et gloria.
Post haec visus est Dominus
Cum coelorum agminibus,
Turba stipatus virginum,
Hoc tibi dans solatium:
Agnosce tuum, filia,
Actorem, pro quo gravia
Suscepisti certamina,
Constans esto per omnia,
Tecum sum in auxilio,
Nunquam ego te desero.
Quam magna consolatio
Fuit haec sponsi visio.
Vix enim fiunt machinae
Rotarum acutissimae,
Quas nimis horrens tacite,
Et mox solvuntur turbine.
Sed de plebe incredula,
Quae stabat ad spectacula,
Quatuor perdidit milia
Manus vindex angelica.
Post hoc factum miraculum
Turba gaudet fidelium,
Grex terretur incredulus.
Mente dolet Maxentius,
Cum se vinci a femina
Vidit immitis bellua,
Capitali sententia
Te plecti jubet, domina.
Et jam ante martyrium
Preces fundis ad Dominum
Pro cunctis, qui memoriam
Tui agunt mellifluam.
Exauditur oratio
In coelorum palatio,
Vox tibi mandat angelica,
Haec impetrasse per omnia.
Hinc grates agens Domino,
Cervicem subdens gladio,
In Jesu Christi nomine
Lac fudisti pro sanguine.
Corpus sumentes angeli
Condunt in monte Sinai,
Ex quo destillat oleum
Infirmis saluberrimum,
Ubi Deus innumera
Per te facit miracula,
Sed et per orbis climata
Tua laudantur merita.
O viva Christi hostia,
Katharina sanctissima,
Tua mihi sit passio
Peccatorum remissio,
Jugis commemoratio
Sit mentis reparatio.
O virgo sole pulchrior
Et omni melle dulcior,
Fac, ut tua memoria
Mihi sit perpes gloria,
Exaudi haec precamina
Mea delens peccamina
Virtute potentissima.
Katharina piissima,
Quae perpetravi scelera
Et mala innumera,
Ab eorum me sarcina
Tua prece exonera.
Cum mala cogitatio
Vel carnalis temptatio
Fit hostis expugnatio,
Tua commiseratio
Sit cordis reparatio.
Audi preces cum jubilo
Tuae laudis, quam recolo,
Katharina fortissima,
Post Mariam dulcissima.
O Maria, flos virginum,
Mitem fac mihi Dominum
Deum tuum [et filium]
Per Katharinae meritum.

Katharina, archangeli
Pro me orent et angeli,
Apostoli et martyres,
Confessores et virgines;
Cuncta coelorum agmina
Pro me ut orent, depreca
Tu, quae de sponsi gloria
Felix vivis per saecula.
O Christe, salus unica,
Qui de carne virginea
Pro me nasci dignatus es
Et mortem crucis passus es,
Sis Katharinae precibus
Mihi semper propitius,
Post hujus vitae terminum
Aeternae confer praemium.
Cum patre, sancto flamine
Regnas tu sine tempore,
Tibi laus sit et gloria
Per saeculorum saecula.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 37. Et te. — 82. Lies vox tibi dat? — 105. tua haec memoria. — 125. fehlt die Hälfte des Verses. — 135. O fehlt.

196. De sancto Laurentio.

1. Ad te, Deus, clamo reus,
Dona mihi veniam
Dans, ut quaeram opem veram,
Adde, ut inveniam.

2. De profundo corde fundo
Lacrimarum flumina,
Mortis metu largo fletu
Mea madent lumina.

3. Meos planctus ad te sanctus
Martyrum grex provehat
Et affectum in me rectum
Generet ac foveat.

4. Te, Laurenti, mihi flenti
Poscente solatia
Det post luctum luctus fructum
Summi regis gratia.

5. Martyr Dei, cordis mei
Maculas extermina,
Fac bonorum in me morum
Pullulare germina.

6. Unde ductus crescat fructus
Cremento multiplici,
Habens scutum non occultum
Cultoris mirifici.

7. Martyr digne, tuam igne
Tortor carnem torruit
Nec cremare, Deo care,
Te vivum abhorruit.

8. Vere bonum te carbonum
Probavit congeries
Et poenarum aliarum
Multiformis series.

9. Vis tormenti tuae menti
Nequaquam praevaluit,
Carne usta mens robusta
Coeli flamma caluit.

10. Reddens grates, cum te crates
Cruciaret ferrea,
Da, ut aeque vincam quaeque,
Moles quae vult terrea.

11. Tormentorum tu tuorum
Vicisti incendia,
Vitiorum da meorum
Mihi refrigeria.

12. O levita, cujus vita
Vitam veram meruit,
Vitae finis te divinis
Legibus inseruit.

13. Da, ut ita fruar vita,
Ne mortem promerear,
Peccatori da sic mori,
Ut ad vitam provehar.

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 508. saec. 13. in. — Das Lied steht unter den Meditationes et Orationes sancti Anselmi, was die Vermutung nahelegt, dafs es von Anselm verfafst sei. Die Metrik erinnert sehr an das sog. Mariale. — 12, 4 Lies: Civibus inseruit?

197. De sancto Longino.

Ave, miles nobilis,
Longine translanciator,
Tu cordis et lateris
Jesu reserator.
Grates tibi plurimae,
Quia thalamum dulcoris
In latere fecisti
Jesu amatoris,
Foederis oraculum,
Cameram amoris,
Pacis tabernaculum,
Clibanum ardoris.
Cruorem purpureum
Extraxisti et aquarum
Viventium puteum
Atque gratiarum
Pelagus deigenum
Et deliciarum,
Immensum profluvium
Opulentiarum.
Tu cum lancea tua,
O sancte Longine,
Aurea et ignea
In extremo fine
Propugna et libera,
Januam pietatis
Divinae resera,
Intrare me sine
Procul fac sint minae.

Orat. ms. S. Caeciliae Colonien. saec. 15. Cod. Colonien. 1.

198. De sancto Mammete.

Magnus et insignis, psalmo venerandus et hymnis,
Ad calidas flammas deductus carcere Mammas,
Insiluit tutus, pueros puer igne secutus.
Verberibus caesus, sed nec tunc nec modo laesus,
Quinque dies passus, sexto processit inassus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Musaei Czartoryski 1217.

199. De sancta Margareta.

1. Ave, virgo Margareta,
Sponsi summi quae secreta
Penetras cubicula,
Ibi per amoris nexus
Fideique per amplexus
Celebratur copula.

2. Eja corpore formosa,
Fide magis speciosa,
Tu praeclara genere,
Margareta Deo grata,
Gratiarum decorata
Et virtutum munere.

3. Salve, sancta Margareta,
Voluptate mundi spreta
Omnique ludibrio
Hostem superas antiquum,
Castitatis inimicum
Una cum Olybrio.

4. Cum tu Christum confiteris
Carcerari mox juberis,
Post hoc in equleo
Laniata vi tortoris,
Rubens manat fons cruoris
Corpore virgineo.

5. Gaude, felix Margareta,
Tu virtute Christi freta
Triumphatrix inclita,
Infernalem tu draconem
Et ingentem passionem
Vincis Christo dedita.

6. Quae dum cultum detestaris
Idolorum, cruciaris
Diris poenis ignium,
Aqua frigens dum succedit,
Sed non laedens, Christo credit
Turba quinque milium.

7. Vale, dulcis Margareta,
Vere gratia repleta,
Quae in vitae termino
Pro his, quibus veneraris
Et a quibus tormentaris,
Preces fundis Domino.

8. Post haec capite truncata,
Nunc a Christo coronata
Passionis laurea,
Ut praefulgens margarita
Es in sponsi serto sita.
Sponsa tu virginea.

9. O beata Margareta,
Quae cum Christo regnas laeta
In coelesti requie,
Tu delictis et peccatis
Meis malis perpetratis
Posce dona veniae.

10. Da contemptum mundanorum
Et amorem supernorum
Cum augmento gratiae,
Fac, evadam inferorum
Portas, portum beatorum
Adipiscar gloriae.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815.

200. De sancta Margareta.

1. Ave, virgo Margareta,
Peccatorum via spreta
Lege Dei vere laeta
Meditari sine meta.

2. Ave, mundum quae sprevisti,
Jugum Christi suscepisti,
Ergo, quidquid expetisti,
Margareta recepisti.

3. Ave, clamans exaudita
Nec a malis impedita,
Voces audi nostras ita,
Clara Christi margarita.

4. Ave, virgo, signo Christi
Consignata quae fuisti,
Per quem fortis exstitisti,
Margareta, dum vicisti.

5. Ave, virgo, curans mentes,
Nomen tuum diligentes,
Margareta, fac ferventes,
In amore te sequentes.

6. Ave, sanans tu languorem
Infirmorum et dolorem,
Virgo, Dei per amorem
Iram pellas et furorem.

7. Ave, rosa castitatis,
Judex justus veritatis
Tuae testis puritatis
Te servavit a peccatis.

8. Ave, virgo spes moestorum.
Margareta, lux mundorum,
Viam spernis mundanorum,
Vitam gerens angelorum.

9. Ave, virgo derelicta
Ab amicis, sed relicta
Jesu Christo benedicta,
In tormentis non devicta.

10. Ave, virgo, Dei sedes,
Nos supernas duc ad aedes,
Fac nos Christi cohaeredes,
Ubi cum dilecto sedes.

11. Ave, virgo gloriosa,
Margareta generosa,
Lingua fallax et mendosa
Nos non tangat et dolosa.

12. Ave, virgo, ne in morte
Obsint nobis mortis portae,
Lumen nobis dona forte
Et a mala duc cohorte.

13. Ave, virgo, salutare
Christi nobis fac adstare,
Ut cum sanctis exsultare
Valeamus et cantare.

14. Ave, virgo, te rogemus,
Mala mundi ne gustemus,
Post te coelum ut intremus
Et cum sanctis habitemus.

Cod. S. Petri Salisurgen. a III 10. saec. 15. — 9, 2 Ab inimicis sed relicta, gegen Versmaſs und Sinn.

201. De sancta Margareta.

1. Ave, coeli redimita
   Margareta laurea,
   Pretiosa margarita
   Coelibatu nivea,
   Tunsionibus polita,
   Vita, signis splendida,
   In corona Jesu sita,
   Nos in Christo solida.

2. O victrix eximia,
   Virgo Margareta,
   Tua desideria
   Bonis sunt impleta,
   Duplex sertum gloriae
   Fers inter beatos,
   Grata fonti gratiae,
   Fac nos ipsi gratos.

3. O rosa per saecula
   Vernans sempiterna,
   Tibi sine nebula
   Lucet lux superna,
   Summo bono frueris,
   Victrix coronata,
   Margareta, superis
   Junge nos beata.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

202. De sancta Margareta.

1. Salve, felix Margareta,
   Quae virtute Dei freta
   In agone Jesu Christi´
   Non es victa sed vicisti.

2. Salve virgo Margareta,
   Quae corporis morte spreta
   Veritatem es confessa
   Mente semper indefessa.

3. Salve, fortis Margareta,
   Quae constanti mente laeta
   Mortem reddis salvatori,
   Qui voluit pro te mori.

4. Salve, virgo vere munda,
   Cujus sanguis velut unda
   Puri fontis emanavit,
   Cum te tortor flagellavit.

5. Salve, virgo, quae serpentem
   In carcere te sorbentem
   Nihil laesa dirupisti,
   Nec tu tamen sed crux Christi.

6. Salve, virgo, per quam stratus
   Et sub pede conculcatus
   Fuit daemon et coactus,
   Ut referret suos actus.

7. Salve, virgo, lux insignis,
   Cujus corpus faces ignis
   Et lampades exurebant,
   Sed te tamen non vincebant.

8. Salve, virgo, quam praefectus
   Legi Christi non subjectus
   Vinclis jussit alligari
   Et in aqua suffocari.

9. Salve, virgo, quam solutam
   Et ab aquis fecit tutam
   Christus, qui te per columbam
   Hortabatur ad coronam.

10. Salve, virgo, quam viderunt
    Et videntes crediderunt
    Virorum quinque milia,
    Perpessi sunt martyria.

11. Salve, virgo, quam insignem
    Et per aquam et per ignem
    Transeuntem Christus rexit
    Et ad thorum suum vexit.

12. Salve, virgo, quam orantem
    Et pro multis deprecantem
    Exaudivit auris Christi,
    Plus promittens, quam petisti.

13. Salve, virgo, quae devotos
Tuos habes bene notos,
His succurrens in necesse,
Quando cernis opus esse.

14. Salve, virgo, vere digna,
Vere dulcis et benigna,
Pretiosa sponsa Dei.
Miserere, quaeso, mei.

15. Salve, martyr Margareta,
Fac, ut mihi sint deleta
Et reatus et delicta
Per te, virgo benedicta.

Cod. Bruxellen. II 1069 (ol. Philipps 4649) saec. 13.

203. De sancta Margareta.

1. Margareta nobilis,
Gemma virtuosa,
Fide stans immobilis,
Facie formosa.

2. Virgo pia, tenera
Carne delicata,
Ad omnia genera
Poenarum parata.

3. Ob amorem Domini,
Sponsi tui Christi,
In mortem, in carcerem
Te ipsam dedisti,

4. Aureolam geminae
Portans sanctitatis,
Martyrium feminae
Et virginitatis.

5. Ergo cum sis meritis
Dives et praeclara,
Nobis tuis famulis
Locum pacis para.

6. Ut ex hac miseria
Laeti transeamus
Et secum in patria
Semper gaudeamus.

7. Audituri virginum
Dulce jubilamen
Et vestrum ad canticum
Responsuri: Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Colonien. 7.

204. De s. Maria Magdalena.

O piissima peccatrix.
Pedum Domini lavatrix,
Non de fontibus aquarum,
Sed de guttis lacrimarum,
Ut te multis a peccatis
Fons lavaret pietatis.
O praeclarum Dei templum.
Poenitentium exemplum,
Quae beatos pedes Christi
Sanctis crinibus tersisti,
Ut meretricalis usus
A te fieret exclusus,
Tergeretque tuas sordes
Manus per misericordes.
O solamen peccatorum,
Certa spes erraneorum,
Quae unguentum pretiosum
Super regem gloriosum
In tugurio leprosi
Sanctis manibus fudisti,
Ut foetori tuae mentis
Bonus odor recumbentis
Christi per hanc unctionem
Faceret abjectionem.

Audi me nunc exprobrantem,
Sed te magis exorantem,
Per eundem verum Deum
Fac mollescere cor meum,
Fac, ut saxum meae mentis
Fletus abluat fluentis,
Ut per lacrimationem
Habeam consolationem
Et ut bonum per odorem
Perdam criminum foetorem.

Cod. Oxonien. Laud. Miscell. 508 saec. 13. in. — Das Lied steht unter Gebeten Anselms von Canterbury, so dafs der Gedanke an eine Abfassung durch ihn sich nahelegt. — 1. O fehlt. — 23. hanc ergänzt.

205. De ss. Martino et Brictio.

Ave dulcis o Martine,
Ave et Bricti domine,
Laus sit vobis sine fine
Sed in Dei nomine.
Praesules o gloriosi,
Sitis mihi gratiosi,
Per vos mihi bonum nomen
Detur et beatum omen,
Salus et prosperitas,
Quod det summa trinitas.
Doxa tibi trinitas,
Indivisa unitas,
O beata deitas.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Chimen.) 4724. saec. 14.

206. De sancto Matthaeo.

Gaude, spes salutis meae,
Alme pater mi, Matthaee,
De honore triplicato
Tibi soli simul dato,
Quem sanctorum simul vere
Nullus scitur possidere.
Nam apostolus es clarus
Et evangelista gnarus,
Es et martyr triumphalis,
Quis tibi in his aequalis?
Qui in coelis sic praeferris,
Opem reis fer in terris.
Lucra mundi reliquisti,
Lucra coeli recepisti,
O evangelista prime,
Leva corda in sublime,
Ne hic vanis maculentur
Sed divinis delectentur,
Et ut fiat hoc perfecte,
Modum, doctor, doce recte.
Tu praelatus puellarum
Primus Deo sacratarum,
Quas amasti, custodisti,
Tam fidenter protexisti,
Quod ob virginalem florem
Tuum fuderas cruorem.
O Matthaee, tibi tantus
Erga me sit fervor sanctus,
Quantus fuit erga illas;
Vires robora pusillas,
Tua sacra sub tutela
Sume me cum parentela.
O praeclare princeps mundi,
Fac nec laedi nec confundi
Me et mihi attinentes,
Ubicunque consistentes,
Ut in Deo semper laeti
Simus bona pace freti.

Fortis Dei agonista,
Nunquam ope mihi dista,
Velox mihi sis adjutor,
Ut sim Christi consecutor,
Tuum sit, pensare, nosse
Tam infirmum meum posse;
Quanto scis fragiliorem,
Tanto opem da majorem.
O Matthaee, judex orbis,
Sana me a cunctis morbis;
Oro, licet lingua balba,
Veste clara me dealba,
Sicut Mauros dealbasti,
Quos ad Christum convocasti,
Ut in morte laete, compte
Sic occurram sponso prompte
Ad convivii solamen
In coelis cum sanctis. Amen.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29.

207. De sancto Matthia.

1. Gaude, o Matthia, gaude,
Te laudare sine fraude
Servum tuum dignifica,
A me mala cuncta claude.
Ut semper de tua laude
Possim fare magnifica.

2. Gaude, quia es electus
Et tam summe es provectus
Ad thronum apostolicum,
A quo Judas est dejectus,
Juste et sic est profectus
Ad locum diabolicum.

3. Gaude, munus tam praeclarum
Te sortitum non est parum
In principum colegio,
Nam tam dignum, Deo carum,
Ut tu eras tunc terrarum,
Non tulit omnis regio.

4. Juste potes hinc gaudere,
Altum thronum possidere
Cum saeculi judicibus;
Hoc praedixit David vere,
Frui alterum debere
Donis Judae felicibus.

5. A Judaeis lapidaris,
Cum securi mox mactaris
Complendo sic martyrium.
Coelo digne coronaris
Et per orbem festivaris
Cum toto nisu virium.

6. O mi princeps duodene,
Me commendo tibi plene
Contra cuncta obstacula,
Me in castitate tene
Et in cunctis rege bene,
Ut fiam sine macula.

7. Parvus tu humilitate
Dictus es non quantitate,
Donatus Dei gratia,
Dulcis pater mi beate,
Precor te in veritate,
Me tuis donis satia.

8. Fac me bonis sic donari,
Ut digner adnumerari
Viventium consortio,
Ubi Deum contemplari
Atque tecum jucundari
Sit semper mea portio.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. A. — Orat. ms. Carthusian. saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 116. B. — 1, 1 O Matthia gaude, gaude B. — 3, 5 tu fehlt A. — 7, 6 socia A.

208. De sanctis Mauris.

1. Ave, martyr, cujus nomen
Ignoratur sed non omen,
Tu pro Christo pateris,
Legionis Thebaeorum
Nomen ornat te decorum,
Illi dum adscriberis.

2. Ortu, fide, sanctitate,
Sensu, actu, dignitate
Clarus et militia,
Spe mercedis et coronae
Pugnas, martyr, in agone
Tendens ad coelestia.

3. Caesar furit cum profanis,
Et tu, martyr, spretis vanis
Immolaris hostia;
Dum occidit te scienter,
Introducit nescienter
Ad superna gaudia.

4. Corpus tuum venerandum
Huc translatum ad pausandum
Dei providentia
Nobis exstat honorandum
Atque per te impetrandum
Bona permanentia.

5. Intendentes tuae laudi
Nos attende, nos exaudi,
Nos a malo libera,
Christo Jesu nos commenda,
Ut exutos omni menda
Collocet in patria.

6. Tuique commilitones
Nostras dent orationes
Coram Deo placitas,
A cunctis nostris domibus
Repellant et a mentibus
Daemonis fallacias.

7. Ipsorum patrocinio
Gubernemur a Domino
Nunc et in perpetuum.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. Mit dem Vermerk: „Item oratio ad martyrem sine nomine de societate sancti Victoris, quem venerabilis Archiepiscopus Coloniensis Philippus transtulit de Xanctis ad monasterium Campense circa annum Domini millesimum centesimum octogesimum."

209. Item alia oratio ad eundem martyrem sine nomine vel ad s. Victorem.

1. Salve, miles triumphalis,
Christi martyr specialis,
Nos a mundi serva malis,
Ne nos amor mundialis
Mergat in flagitia.

2. Palma fruens triumphali,
Poena plexus capitali,
Vitam claudis morte tali,
Ut post mortem immortali
Fruereris trabea.

3. Una voce, mente pari
Nos honore singulari
Te studemus venerari;
Dum versamur in hoc mari,
Exhibe suffragia.

4. Ut tua per magnalia
Crescant spiritualia,
Nec desint temporalia,
Post haec et aeternalia
Dentur Christi munera.

5. O miles, martyr Domini,
Tuo beato nomini
Nostra subscribe nomina
In libri vitae pagina
Christi dante gratia.

6. Ne permittas spe frustrari,
Quibus potes suffragari,
Fac nos Christo praesentari,
Ut hunc tecum contemplari
Possimus in gloria.

7. Ubi nec cras nec hesternum,
Sed est idem hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Ubi pax est infinita,
Ubi Deus omnia.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

210. De sancto Michaele.

1. Christiane vir fidelis,
Qui regnare vis in caelis,
Saepe recordari velis
Gloriosi Michaelis,
Principis ecclesiae;
Hic defensor animarum
Crucifixo devotarum
Et susceptor est earum
Ad coeleste jubar clarum
Paradisi gloriae.

2. Istum principem decorum
Et primatem angelorum
Laudet chorus electorum,
Qui vult esse gaudiorum
Particeps coelestium.
Habeamus istum talem
In patronum specialem,
Ut nos ducat ad regalem
Mansionem aeternalem
Supernorum civium.

3. Michael, o princeps bone,
Qui pugnasti cum dracone,
Fac nos fortes in agone,
Ut in Dei visione
Laetemur in patria.
Tu pro nobis omni hora,
Sancte Michael, exora,
Ut post mortem sine mora
Nos perducas ad decora
Sempiterna gaudia.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen). 4089 anni 1460. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15. B. — Clm. Monacen. (ol. SS. Udalrici et Afrae) 4423 anni 1480. C. — Orat ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. D. — Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20 021. E. — 1, 5 Principem alle Hss.

211. De sancta Odilia.

1. Ave, virgo gloriosa,
Sanctitate radiosa,
Clarescens Odilia,
Stirpe prodis generosa,
Sed virtutum plus famosa
Facta per humilia.

2. O praecelsae stirpis ramus,
Ad te miseri clamamus
Prece devotissima,
Ne noxae nos stringat hamus,
Sed soluti quam praestamus,
Laus sit acceptissima.

3. Dulcis Adalrici nata,
De illustri propagata
Francorum familia,
Verum caeca generata,
De te mens patris turbata
Tractat horribilia.

4. Infrunitus vi ruboris
Vibrat arma mox furoris
Te jubens interfici,
Sed decretum hoc horroris
Mutat mater sanioris
Cordis et deifici.

5. Domo patris occultaris
Et per annum educaris
Abrae ministerio,
Post te rumor popularis
Prodit causa singularis
Late in mysterio.

6. Nam tum nutrix praeparatur,
Quae itura proscribatur
Tecum in exilium,
Sed de fuga dum tractatur,
Palma claustrum inspiratur
Dei per consilium.

7. Illic annis sex ignota
Tamquam pauper et aegrota,
Orba dulci lumine,
Patris aedibus remota,
Lates baptismali lota
Nec lustrali flumine.

8. Jubet Christus hinc benignus,
Pergens ad te praesul dignus
Erhardus Bavariae,
Det sacrantis undae pignus,
Quo depulsus it malignus
Artis multifariae.

9. Baptizata dum chrismaris,
Vigor venit ocularis
Cum fulgoris acie;
Mira res et salutaris,
Intus, extra collustraris
Simul luce gratiae.

10. Crescit virtus cum aetate,
Grata morum probitate,
Noxae necans scoriam,
Mens repleta caritate
Carnem domat castitate
Mundi calcans gloriam.

11. Unguentorum hoc odore
Avulsisti mundi flore
Tres germani filias,
Trinitatis in honore
Permansuras cum virore
Tres plantasti tilias.

12. Palma claustro dum donaris,
Cui mater delegaris
A Christo Odilia,
Quo sagena voti paris
De procella magni maris
Trahis ad te milia.

13. Dicens: omnes huc venite,
Ferte jugum sponsi mite,
Ipsum vos alleviet
Ad currendam viam rite,
Quae ad portas ducit vitae,
Vestrum nulla deviet.

14. Has exemplo castitatis
Et mirandae sanctitatis
Constanter aedificas
Ad contemptum vanitatis
Amoremque paupertatis
Hortatu aedificas.

15. Patrem sciens in tormentis
Pia prece et lamentis
Exsolvis supplicio,
Vini vas deficientis
Replet mero purae mentis
Sacrata petitio.

16. Post adesse finem pandis,
Tibi detur honor grandis
Quo coeli palatio,
Sed priusquam illuc scandis,
Filiabus verbis blandis
Dulcis fit collatio.

17. In qua fortes adhortando,
Tristes pie sonsolando
Tui das memoriam,
Templum petunt hac orando,
Sponsus adest evocando
Te ad coeli gloriam.

18. Veni, ait, sponsa cara,
De fallaci et amara
Vita, coronaberis.
Martyr voto, virgo clara,
Ad Luciam ire para,
Cum qua praemiaberis.

19. Tandem solvit carnis nexus
Mors, suaves in amplexus
Sponsi volas coelitus;
In nos, quaeso, duc reflexus
Precum, hostis ne perplexus
Nos evertat penitus.

20. Fac nos digne conversari,
Plene mundum aspernari
Suis cum deliciis,
Intus, extra decorari
In palaestra regulari
Sacris exercitiis.

21. Ora sponsum, virgo pia,
Ne privemur in hac via
Visus dono luminis,
Nos in coeli politia
Vera frui det sophia
Luce celsi numinis.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — Nach dem Liede folgt vor der Oration zur Heiligen noch folgender Versikel:

V. Carnis linquens edulium [l.: exsilium?]
Ad sponsi triclinium
Laetanter ingressa,
R. Sana, serva lumina,
Virgo placa numina
Prece indefessa.

212. De sancto Petro.

1. Salve, pastor gregis Christi,
Quem pascendo docuisti
Fidem salutiferam,
Ejus cultum dilatasti,
Idolorum exstirpasti
Sequelam mortiferam.

2. Prius Simon vocabaris,
Dehinc Petrus nominaris
A petra firmissima,
Quae est Christus noster rector,
Nostra salus et protector
Et spes solidissima.

3. O piscator animarum,
Qui et prius belluarum
Marinarum fueras,
In hoc mari fluctuantes
Salva nos periclitantes
Ob culpas pestiferas.

4. Tibi Christus militantis
Claves nec non triumphantis
Contulit ecclesiae,
Ut quod solveres, solutum
Quod ligares, insolutum
Ejus esset requie.

5. Te rogamus mente pura,
Solve nos a ligatura
Nostrorum peccaminum,
Ut possimus in futura
Vita fine caritura
Contemplari Dominum.

6. Tu cephas apostolorum
Atque princeps singulorum
Constitutus coelitus,
Ut plus flagrans in amore,
Dignum erat, quod honore
Magis esses praeditus.

7. Ob amorem tam extensum
Non relinquis indefensum
Gregem tibi subditum,
Para sed nobis ascensum
Gaudium ad hoc immensum
Coeli tibi praestitum.

8. Salve, jubar singulare,
Opacum illuminare
Meruisti saeculum,
Dogma tuum salutare
Vere constat effugare
Haeresis umbraculum.

9. Nos volutos in peccatis
Duc ad viam veritatis
Tuis piis precibus,
Aeternae felicitatis
Congaudere cum beatis
Fac supernis civibus.

10. Claviger o paradisi,
Exitus nos improvisi
Serves a periculo,
Ut securi et gavisi
Transcendamus, cum divisi
Simus ab hoc saeculo.

11. Et in fine exsultantes
Nos precamur te rogantes
Ob tuam clementiam,
Ut devote visitantes
A coelo peregrinantes
Hanc tuam ecclesiam,

12. Non decedant in mortali
Crimine vel veniali
Maculare spiritum,
Gaudio sed aeternali
Frui bonoque finali
Possint post hunc exitum.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Pollingense saec. 15. Clm. Monacen. 11917 B. — 1, 2 Qui vitare docuisti B. — 1, 3 Cultum idolorum B. — 1, 4 Vitia tunc exstirpasti B. — 1, 5 Jesu nomen dilatasti B. — 1, 6 Qui es via morum B. — 2, 2 Petrus inde B. — 2, 3 serenissima B. — 2, 4 Qui est Christus verus rector B. — 2, 5 Saulus nostra B. — 2, 6 Sis spes B. — 3, 1 O fehlt A; O pastor B. — 4, 1 Tibi claves triumphantis B. — 4, 2 Christus nec non militantis B. — 4, 6 Ejus pia requie B; hierauf folgen in B 7, 1 bis 3. — 5, 1 precamur B. — 5, 3 Meorum A. — 6, 4 Magis flagrans B. — 6, 6 esset B. — 7, 1 und 2 umgestellt B. — 7, 4 Para nobisque B. — 7, 5 hoc in immensum B. — 8, 2 Spatium illuminare B. — 8, 3 Docuisti saeculum. — 8, 4 Tuum dogma B. — 8, 5 Vere praestat B. — 8, 6 Criminis umbraculum B. — 10, 4 Sed ut tecum et gavisi B. — 10, 5 dum divisi B. — 10, 6 Sumus. B. — 11, 1 Ut in A. — 11, 5 Attende periclitantes B. — 12, 2 nec veniali B. — 12, 3 Maculare lesen AB; zu korrigieren scheint entweder Maculave oder Maculati. — 12, 6 Possim A; hoc exsilium B. — Nach 11, 6 ist das Lied für eine Petruskirche geschrieben worden.

213. De sancto Procopio.

Bonae lucis fulgor mundo jam illuxit,
Quam mystice stirps deicola produxit
In patrem adjutoremque inopum,
Quem nunc omnes collaudemus sanctum.
Cujus vita, sanctitate plena,
Clare claruit, et miserationis vena
Per ipsum misericorditer est aperta,
Ut apparet per ejus signa certa.
Nam per ipsum peccatoribus venia impetratur,
Ad ipsumque venientibus caecis visus datur,
Surdi, leprosi, contracti inibi sanantur,
Muti, caduci, paralytici sua prece curantur.
Vinctis misericorditer vincula relaxat,
Depressos suaviter erigit, correxit
Infirmis debilibus ossa dissipata
Ad se venientibus sua prece grata.
Pauperum penurium potens scit ditare,
Quorum cordis se typum vere indet amare,
Moestis et flebilibus confert consolamen,

Servientes spiritu sibi salvat tamen.
Pius horum scelera precibus abstergit,
A fluctuanti mundo hos in coelum vergit,
Qui dignis sibi precibus et meritis se praebent.
Suis servientibus devotis non hebent,
Sed devoto spiritu corde dicunt vere:
Consolator pauperum, Procopi, miserere,
Et nostrorum nunc relaxa peccatorum onus,
Nostri cordis caecitatem illustra, summe bonus.
Quod in nobis est confractum, dissipatum, sana,
Ab hostium malitiis eripe et pugna
Mundi, carnis miserae delectatione vana.
Pauperiem animae a nobis procul pelle,
In Dei servitiis conforta nostrum velle,
Ut justa, Deo placita agamus te docente
Et mundati sordibus te interveniente
Sacramentum corporis Christi hora mortis
Digneque suscipiamus, ut cum leo fortis
Nobis insurrexerit, ejusdem virtute
Viam ad coeli atria perambulemus tute,
Ubi tecum Domino gratias agamus
Et cum sanctis perpetim hymnum et dicamus.

Scala coeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3.

214. De sancto Rudberto.

1. Salve, sancte mi Rudberte,
Praesul in Wormatia,
Almae vitae sic repertae
Plenus sanctimonia.

2. Nobili ex regum stirpe
Francorum et accola,
Castus, mansuetus, quippe
Devotorum formula.

3. Tu virtutum armamentum
Per divinam gratiam,
Eras gregis fulcimentum
Per doctrinae copiam.

4. Rebus plene actitasti,
Quae doctrina sonuit,
Vere bene praedicasti,
Ut scriptura tonuit.

5. Deus homo Jesus coepit
Facere et docuit,
Beatus Rudbertus egit,
Dicendo quae monuit.

6. Ejus verbum sic ornabat
Dis misericordia,
Rectum actum dispensabat
Pietas, justitia.

7. Tute corpus affligebas
Vigiliis, jejuniis,
Omne opus exercebas
Egenis et viduis.

8. Omne tuum aestimabas,
Quod inops acceperat,
Reliquum parvipendebas,
Quod lucrum non aggerat.

9. Alta fama longe, late
Sanctum virum sparserat,
Prorsus multos indilate
Ad ipsum attraxerat.

10. Religionis veritatem
Puram eo audiunt
Omnesque anxietatem
Moesti cito deserunt.

11. Numerosi tam benigno
Liberati famine
Ope ejus a maligno
Juncti coeli agmine.

12. Boni credunt, mali ruunt
Divinis judiciis,
Justum caeduntsquali, trudunt,
Afligunt supliciis,

13. Sanctitatem non ferentes
Grandi cum injuria
Obaudire renuentes
Sua pro duritia.

14. Mentis foedae hunc repellunt
Ab urbe Wormatia,
Nullae morae intercedunt
Nec annorum spatia.

15. Incunctanter famam audit
Sancti prudens Theodo,
Bavarorum dux, applaudit
Mittens pro episcopo:

16. Visitare dignaretur
Sedentes in tenebris,
Suscitari mererentur
Foetentes illecebris.

17. Tunc praemittis cum legatis
Sacerdotes fidei,
Verum jubar post hos vadis,
Fundamentum populi.

18. Audiens princeps praefatus
Grandi ovat gaudio,
Militum auceps stipatus
Suscipit cum populo.

19. Sanctus ducem Ratisponae
Instruxit jejuniis
Ac luce salutis bonae
Indidit mysteriis.

20. Nobiles et populares
Salvatorem omnium,
Cuncti simul generales
Agnoverunt Dominum.

21. Theodone obsecratus
Alveum Danubii
Intrans spargis Deo gratus
Verbum evangelii.

22. Tendens usque Lauriacum
Et Noringos visitas
Ac Germanis coelibatum
Praedicando intimas.

23. Tali opere commendans
Jesum natum Dominum
Ex aeterno patre signans
Ante ortum temporum.

24. Matris virginisque partum,
Deum veri luminis,
Crucifixum, passum, captum
Pro salute hominis.

25. Omnes salvans resurrexit,
Ascendit ad patriam,
Nobis spiritum direxit
Pandens suam gloriam.

26. Facto Christiano duce
Ac fideli populo
Incunctanter locum tute
Censes episcopio.

27. Tumulum urbis collapsae,
Quae Juvavo nomine
Erat dicta, indilate
Renovasti prospere.

28. Nomen in Salzburgam vertunt
Sicque et nunc dicitur,
Tot illi bona impertunt,
Quod summe perficitur.

29. Ibi structam dedicasti,
Fundasti ecclesiam,
Beate, quam decorasti
Ad divinam gloriam.

30. Vernas Christi sacerdotes,
Clericos ac populum
Sexus utriusque doces
Sacramentum ordinum.

31. Ad quos tuas sanctas laudes
Non possum exprimere,
Cunctasque malorum fraudes
Dignare ignoscere.

32. In labore praedicandi
Magna tua proelia,
Nunc ecclesias fundandi
Multa sancta merita.

33. Vocas viros, mulieres
Moniales, monachos,
Optas tibi coaequales
Simul omnes populos.

34. Cunctis impendis virtutem,
Caritatem singulis,
Amas omnes, ad salutem
Quare plures attrahis,

35. Nunc docendo, praedicando,
Orando assidue,
Temet ipsum macerando,
Castigando undique.

36. Inde prophetiae gradum
Meruisti pleniter,
Beatum quo finem tuum
Praedixisti circiter.

37. Vere multum consternati
Juvavenses filii
Sancta morte patris tanti
Lacrimantes singuli.

38. At commendans spe erectum
Noricorum populum,
Multum Salzburgensem clerum
Creatori omnium,

39. Eligendumque Vitalem
Successorem censuis,
Non frustra commendans talem,
Deo flatum exeris.

40. Plane voces angelorum
Animam ferentium
In coelestem beatorum
Sacrosanctum numerum:

41. Ecce sic transivit justus
Ad aeternam gloriam,
Pravis qui non est adustus
Nec contraxit maculam.

42. Ad sepeliendum viri
Sanctum adsunt splendidi,
Tunc post neque ante visi
Et creduntur angeli.

43. Eja nunc felix Juvavo,
Civitas laetitiae,
Redolens tali patrono,
Tanto clarens lumine.

44. Felix turba Bavarorum
Tui patris oramine
Et populus Noricorum
Ejus adjuvamine.

45. Laurea nunc coronatus
In aeterna gloria,
Illic nostri incolatus
Memor abde vitia.

46. Christum salvatorum nostrum
Fac nobis propitium,
A mundanis cor erectum
Contemnamus saeculum.

47. Malis nostris ne depressi
Praeda simus hostibus,
Ex hac carne sed egressi
Jungas sanctis omnibus.

48. Exuturos carnem certe
[Hujus] vitae post examen,
Nos tecum, sancte Rudberte,
Duc, amoene pater. Amen.

Clm. Monacen. (ol. Andecen). 3012. saec. 15. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19354. B. — Orat. ms. Unterdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. C. — Cod. Londinen. (ol. Buxhemen.) Add. 33438 anni 1499. D. — 1, 1 Mi sancte D. — Str. 5 bis 34 fehlen C. — 6, 2 Dis misericordia, vermutlich statt Dei misericordia, mifsverstandene Bildung nach Analogie von mei = mis, Dei = Dis. — 7, 3 Almae opus A. — 9, 1 Ita fama D. — 9, 2 spargerat A. — 12, 1 Mali cedunt D. — 15, 3 Barbarorum A. — 15, 4 Mittit D. — 17, 1 praemittens D. — 17, 3 post hoc A. — 21, 3 Intras D. — 23, 3 aeterno patre D. — 28, 2 et fehlt A. — 48, 3 amen tecum sancte ABC; Nos tecum Rudberte D. — 48, 4 Duc amen pater amen ABC.

215. De sancta Sitha.

1. Salve, sancta famula,
Sitha, Jesu Christi,
Quae cum tota anima
Deo placuisti.

2. Egenos et flebiles
De cibo pavisti,
Semper elemosynam
Dare consuevisti.

3. Caecos, mutos, debiles
Et claudos juvisti,
Deum et ecclesiam,
Virgo, dilexisti.

4. Fraudem et nequitiam
Tu nimis odisti,
Para nobis gloriam,
Quam tu meruisti.

Orat. ms. Praedicat. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2445.

216. De sancto Sixto.

1. Ave, pater et domine,
Sixte, te Dei nomine
Imploro, ne me deseras,
Sed pro me preces offeras.
Altissimo, ne peream,
Sed hostibus praevaleam
Cunctis et in virtutibus
Per te perorner omnibus.

2. Ave, pater omnis orbis,
Pie Sixte, adsis, morbis
Nostris pie miserere,
Fac utroque nos gaudere
In anima et corpore
Nunc et in omni tempore,
Sed praecipue peccatis
A nobis procul fugatis.

3. Ave, decus Graeciae,
Flos exortus ab Athenis,
Prius philosophiae
Scriptis, mundi pompis plenis,
Sixte, qui floruisti,
Sed ipsas reliquisti
Teque subdidisti
Suavi jugo Christi.

4. Ave, dulcis domine,
Tibi cupio placere,
Hinc in Jesu nomine
Te exoro, miserere
Nunc mihi peccatori,
Qui tibi preces fundo,
Non me permittas mori
Peccatorum profundo.

5. Ave, Sixte peroptime,
Post Petrum papa septime,
Per quem septenum numerum
In te virtutum cumulum
Completum esse novimus,
Unde potes, quod petimus,
Nobis et cunctis subditis
Prodesse sanctis meritis.

6. Ave, martyr et pontifex,
Virtutum potens artifex,
Sixte, praesul Romanorum,
Hinc fidelium cunctorum,
Sed nobis specialis,
Qui degimus sub alis
Tuis, quis confovemur,
Adesto, ne damnemur.

7. Ave, Sixte beate,
Praedulcis et amate,
Qui tibi supplicamus,
Fac tecum gaudeamus
In summis coelorum
Per saecula saeculorum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Chimen.) 4724. saec. 14.

217. De Sororibus BMV.

1. O nobile collegium
Sanctarum sororum trium,
Quibus nomen est Maria,
Vestrum sanctum suffragium
Imploro ad praesidium
In ista angustia.

2. Quae erit Christo gratior
Aut quae sibi acceptior,
Quam sit vestra oratio,
Nulla sibi conjunctior,
Nulla sibi proximior,
Quam sit vestra cognatio.

3. Tu sibi, virgo, mater es,
Inde sibi quod imperes,
Et naturae dat ratio;
Vos vero duae ceterae
Estis ejus materterae,
O quam ingens affectio.

4. Vobis me dedicaveram
In servum et decreveram,
Memetipsum expendere
In devotis officiis
Et debitis obsequiis
Vestri Deique munere.

5. Sed in morbo jam imbibor,
Deficiens et delibor,
Si nunc desit remedium;
Ergo dulce consortium,
Vestrarum precum dulcium
Sentiam nunc auxilium.

Cod. Parisien. 1147. saec. 15. — Der Handschrift zufolge ist der Verfasser des Liedes „Reverendus Petrus, Sancti Pauli Leonensis episcopus, morum elegantia clarissimus virque magnae caritatis et literaturae"; er habe das Lied in schwerer Krankheit gedichtet und nach seiner Genesung auf einer Ex-voto-Tafel anbringen lassen. Pierre Bernard (nicht zu verwechseln mit dem Karmeliten Pierre de Saint-Pol-de-Leon) hatte den Stuhl von Saint-Pol inne um 1328.

218. De sancta Ursula.

1. Ave, virgo Ursula,
Genere regalis,
Non te carnis macula
Fuscat aliqualis,
In te tabernacula
Princeps illocalis
Fixit praebens oscula
Sponsi spiritalis.

2. Ave, primiceria,
Victoriosarum
Te undena milia
Ornant puellarum,
Tibi per martyria
Totidem sanctarum
Frequentatur gloria
Per orbem terrarum.

3. Ave, mundi dulcia
Quae aspernabaris,
Juste tympanistria
Agni nuncuparis,
Christo multa milia
Martyrum lucraris,
Cum quibus in curia
Coeli gloriaris.

4. Ave, ecce sceleris
Me ligat ligamen,
Cujus quoque ponderis
Opprimit gravamen,
Per hoc curre prae caeteris
Meum ad juvamen,
Ut mihi non noceat
Hostis, sis levamen.

5. Ave, vitae speculum,
Virginum regina,
Quam illustrat undique
Gratia divina,
Aurem tuam pauperum
Precibus inclina,
Quos involvit misere
sordium sentina.

6. Ave, his temporibus
quae surgis ut stella,
In occidentis partibus
Patria novella,
A me piis precibus
Mortis fuga bella,
Me junge coelestibus,
O dulcis puella.

7. Ave, virgo regia,
Regem contemplando
Preces nostras suscipe
Sibi praesentando,
Ut pro tuo nomine
Nobis misceretur
Nosque tibi famulos
Tecum coronetur.

Orat. ms. Unterdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. — Der Reim der ungeraden Zeilen ist nicht durchgeführt.

IV.

DIVERSA.

219. De Rebus Humanis.

1. Lingua rudis, hebes ingenio
Viri docti sermonem facio,
Sed quid loquar, qui loqui nescio?
Necessitas et non praesumptio.

2. Nulli vestrum reor ambiguum,
Viris bonis hoc esse congruum,
Ut supportet magnus exiguum,
Aegrum sanus et prudens fatuum.

3. Ne sim dignus et reus odio,
Si lucernam ponam sub modio,
Quid de rebus humanis sentio,
Pia loqui jubet intentio.

4. Ne vos gravet longa narratio,
Nec dormitet lector prae taedio,
Nec *Tu autem* dicat in medio,
Verbis brevem sermonem facio.

5. Ad aeternam beatitudinem
Ipsum Deus revocans hominem,
Verbum suum, suam imaginem
Misit ad nos per mitem virginem.

6. Est unita deitas homini,
Servo suo persona Domini,
Morti vita, splendor caligini,
Miseria beatitudini.

7. Scimus ista potentialiter
Magis facta certe quam aliter,
Scrutantibus spiritualiter
Scire datur, nescio qualiter.

8. Arte mira, miro consilio
Quaerit ovem bonus opilio,
Vagantibus in hoc exsilio
Locutus est nobis in filio.

9. Sed cum suae mentis consilium
Patefecit mundo per filium,
Ut neglecto cultu gentilium,
Deum noscat sic error hominum,

10. Poetarum seductos fabulis
Veritatis instruxit regulis,
Signis multis atque miraculis
Fidem veram dedit incredulis.

11. Obmutescant humana labia,
Nil occultum, jam patent omnia,
Revelavit sacra latentia
Non sapiens sed sapientia.

12. Conticescas fari, temeritas,
Ubi palam loquitur veritas,
Quod divina probat auctoritas,
Non improbet obscura falsitas.

13. Hujus mundi praeterit orbita,
Stricta ducit ad vitam semita,
Qui scrutatur rerum abscondita,
Trutinabit omnium merita.

14. Justus judex, inspector cordium,
Nos ad suum trahit judicium,
Redditurus ad pondus proprium
Bonis bona, malis contrarium,

15. In hac vita misere vivitur,
Vanitas est omne, quod cernitur,
Heri natus, hodie moritur,
Finem habet omne, quod oritur.

16. Sed qui dedit ad tempus vivere,
Vitam brevem potest producere,
Vitam potest de morte facere,
Qui mortuus potest resurgere.

17. Nos ad regna vocat coelestia,
Ubi prorsus nulla miseria,
Sed voluptas adsunt et gaudia,
Cum sit Deus omnibus omnia.

18. Puniamus virtute vitium,
Terreat nos ignis incendium,
Foetor, fletus et stridor dentium,
Cujus caret fine supplicium.

19. Sciens Deus nos esse teneros
Et gehennae dolores asperos,
Pia voce revocat miseros,
Ovem suam ponens in humeros.

20. O pietas inenarrabilis,
Omnipotens, incorruptibilis
Creaturae misertus nobilis
Est pro nobis factus passibilis.

21. Est alapas passus et verbera,
Ludicrorum diversa genera,
Sputa, spinas et praeter cetera
Crucis morte damnatus aspera.

22. Cum creator in cruce patitur,
Ferreus est, qui non compatitur,
Cum salvator lancea pungitur,
Saxeus est, qui non compungitur.

23. Compungamur intus in anima,
Iram Dei placantes lacrima,
Dies irae, dies novissima
Cito venit nimis celerrima.

24. Ecce redit districtus arbiter,
Qui passus est misericorditer,
Redit quidem, sed jam minaciter,
Coactus est, non potest aliter.

25. Judex justus commotus acriter
Judicabit iniquos graviter
Et torquebit eos perenniter,
Quamvis juste, tamen crudeliter.

26. Vos judicis estis discipuli
Et scriptura divina seduli,
Christiani lucerna populi,
Contemptores praesentis saeculi.

27. Vos non estis virgines fatuae,
Vertrae non sunt lampades vacuae,
Vasa vestra madent assidue,
Caritatis oleo mutuae.

28. Vos pascitis gregem dominicum
Erogantes divinum triticum,
Quibusdam plus, quibusdam modicum,
Prout quemque scitis famelicum.

29. Decus estis ecclesiasticum,
Cum venerit judex in publicum,
Ut puniat omnem maleficum,
Sedebitis in throno judicum.

30. Verumtamen in mundi fluctibus,
Ubi nemo mundus a sordibus,
Quod dicitis in vestris cordibus,
Compungendum est in cubilibus.

31. Insistite bonis operibus,
Bene vestris utentes opibus,
Nam Deo dat, qui dat inopibus,
Ipse Deus est in pauperibus.

32. Ut divina testatur pagina,
Opes multae sunt viro sarcina,
Summa virtus est elemosyna,
Dici potest virtutum domina.

33. Hanc commendo vobis prae ceteris,
Abscondatur in sinu pauperis,
Crede mihi, si quid deliqueris,
Per hanc Deum placare poteris.

34. Hanc commendo vobis praecipue,
Haec est via vitae perpetuae,
Quod salvator ostendens congrue
Dixit: Omni petenti tribue.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — 3, 1 Sed ne sim. — 4, 3 Jede Lesung des Officiums schliefst mit der Formel: Tu autem Domine miserere nobis. Das „tu autem" ist also soviel als „Schlufs" rufen. — 7, 3 adsunt ergänzt. — 30, 4 est in vestris cubilibus. — 34, 2 est ergänzt.

220. Visio sancti Morandi Abbatis.

Mira loquor, sed digna fide. — Bernarde? quid hoc est?
Vivis adhuc? — Vivo. — Non es, rogo, mortuus? — Immo.
Et quid agis? — Requiesco. — Taces an faris? — Utrumque.
Cur retices? — Quia dormio. — Cur loqueris? — Quia vivo.
Quid loqueris? — Sacra mystica. — Cui? — Mea scripta legenti.
Num cunctis? — Non. — Ergo quibus? — Qui dulcia quaerunt.
Nomen habes? — Ita. — Quod? — Bernardus. — Num sine causa?
Non. — Dic ergo, quid est Bernardus? — Id est bona nardus.
Cur nadus? — Quoniam fragro. — Quo flamine? — Dulci.
Cui fragras et ubi? — Lectori codice sacro.
Quod cognomen habes? — De Clara Valle. — Manes hic?
Mansi, sed modo non. — Ubi nunc? — In vertice montis.
Qualis eras in valle manens? — Humilis. — Modo quantus?
Major nunc sursum, quanto minor ante deorsum.
Nilne tui vallis habet? — Immo? — Quid? — Ossa. — Quousque?
Donec coeleste fiat terrestre cadaver.
Hoc quando fiet? — Omnis caro quando resurget.

Cod. Altovaden. 60. saec. 15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 1946 anni 1482. B. — Die Aufschrift giebt B. — 3. Ey quid agis B; taces confaris A. — 4. Cur taces B. — 9. flagro A. — 10. ubi? Studioso codice B. — 11. Quod tibi cognomen? B. — 14. minor antea fui B. — 15. Immo fehlt A. — 16. Donec terrestre fiat coeleste A. — 17 fehlt A.

221. Oratio Regis Anglorum.

1. Rex cunctorum saeculorum,
Rex arcis aethereae,
Rector poli, rector soli,
Regum rex altissime.

2. Qui et maris dominaris,
Conturbas et exitas,
Et, cum placet, stratum jacet,
Motum ejus mitigas.

3. Tu creasti, tu formasti
Coelos, terras, maria,
Quae fecisti, condidisti,
Tu gubernas omnia.

4. Omne bonum tuum donum,
Omnipotentissime,
Cuncta grata tua data,
Dominorum domine.

5. Hos coronas atque donas
Gloria multiplici,
Qui in mundo corde mundo
Vita vivunt simplici.

6. Hi beantur, coronantur
In superlunaribus,
Quorum mentes sunt ferventes
Igne sancti spiritus.

7. Peccatorem, adjutorem
Qui non ponit Dominum,
Exaltatum, elevatum
Super cedros, Libanum,
Infernalem, gehennalem
Demergis in clibanum.

8. In Averni, in inferni
Tenebroso carcere

Habes clausos reos, ausos
Te Deum contemnere.

9. Ibi rei jussu Dei
Pro forma sententiae,
Lugent, rigent, ardent, frigent
Et torquentur undique.

10. Ibi metus, ibi fletus,
Ibi stridor dentium
Ibi poenae, omnes plenae
Vocibus gementium.

11. Hic dolores acriores
Aliis doloribus,
Hic tortores nequiores
Aliis tortoribus.

12. Deus meus, ego reus
Tibi me humilio,
Deus vere, miserere
Adoptivo filio.

13. Supplex tuus, servus tuus,
Deus clementissime,
Te adoro, te imploro,
Tuae donum gratiae.

14. Rex coelorum, me, Anglorum
Dictum regem, suscipe,
Regem rege, sua lege
Qui se nequit regere.

15. Est regnare, ministrare
Toto tibi animo,
Obedire et servire
Tuo sub imperio.

16. Tuus miles actus viles
Declinem peccaminum,
Incentiva rediviva
Exstinguam libidinum,
Falsa laeta consueta
Devitem excessuum.

17. Non procuro corde puro,
Quod te Deum diligam,
Parvipendo, vix attendo,
Quomodo me habeam.

18. Hujus lucis in caducis
Rebus nimis glorior,
Inpeccatis supra satis
Immorans immorior.

19. Aberravi et peccavi,
Fateor me, Domine,
Temera vi violavi
Jura castimoniae.

20. Patuerunt, putruerunt
Cicatrices criminum,
Aestimati, similati
In lacum descendentium.

21. Honestatis, castitatis
Legem fregi tutius,
Est sopita mea vita
In malis diutius.

22. Me immundum non secundum
Peccata corripias,
Qui elatos vulneratos
Hos et hos humilias,

23. Sed correcto et respecto
Tua, Deus, gratia
Te laudare et amare
Da mihi coelestia.

24. Emundare, emendare,
Quae commisi omnia,
Spem salutis, rem virtutis,
Vitae innocentiam,
Castitatis, puritatis
Dona mihi gratiam.

25. Cum in ira mente dira
Interdum efferveo,
Deus care, moderare
In me, quod non valeo.

26. Nec sit cura mihi, jura
Cuicumque tollere
Vel suorum vicinorum
Terminos revellere,
Licet censu, armis, sensu
Queam hos devincere.

27. In Bragmani, in pagani
Regis est apicibus
Quod habemus, possidemus,
Quaecunque non cupimus.

28. Urbes illas, castra, villas,
Nisi prius cupiam,
Non abesse vel deesse
Eas mihi sentiam.

29. Regum turres, pauperum res
Simili interitu,
Opum plenus et egenus
Aequo cadunt obitu.

30. Regni sedes da haeredes
Meos pro me scandere
Et pacatum regni statum
Te tutante regere.

31. Meum clerum da sincerum
Fas et jus eligere
Et devota mente tota
Te Deum diligere.

32. Vivant ita bona vita,
Ut tibi complaceant,
Nobis normam atque formam
Vivendi se praebeant.

33. Populique mei quique
Commissi regimini
Dirigantur et subdantur
Tuo moderamini.

34. His intende, hos defende,
His te praebe clipeum,
Sceptrum tuum, regnum tuum,
Dominaris gentium.

35. Aufer bella et flagella
Tuae iracundiae,
Nobis parce, hostes arce,
Pacem nobis tribue.

36. Est humana virtus vana,
Scis, quod est in homine,
Nam in parvis nostris armis
Non salvamur, Domine.

37. Saepe nisa et confisa
Sequelis auxilii
Retro vadit, in se cadit
Vis expers consilii.

38. Sed de throno tuo dono
Virtus adest coelica,
Per quam datur, procuratur
De hoste victoria.

39. Nostra sata duplicata
Nos fruge laetificent,
Nostra culta messe multa
Copiam multiplicent.

40. Sic utamur, sic fruamur
Bonis temporalibus,
Ut laetemur, jucundemur
Tecum in coelestibus.

41. Et meorum propinquorum
Miseratus animas
Has absolve et revolve
Delictorum maculas.

42. Vivis cunctis et defunctis,
Domine, fidelibus
Da paccatam et beatam
Vitam in coelestibus.

Cod. Oxonien. Douce 287 saec. 13. — Das Gedicht ist von William Fitz Stephen, dem bekannten Anhänger und Biographen des hl. Thomas Becket. Die Hs. der Vita führt es mit der Bemerkung ein: „Wilhelmus, filius Stephani, per orationem unam, quam fecerat et regi in capella de Bruhulla dederat, pacem habuit. Haec autem est illa oratio propria Domini regis Anglorum.“ — 6, 2 superliminaribus. — 26, 2 Cuiquam tollere. — 26, 6 Queant devincere.

222. Lessus Poenitentiae.

1. O mi custos, o mi heros,
mi pater misericors,
Flecte, precor, ad me tuos
miseranter oculos,
Lucem super omnem pulchros,
super solem splendidos.

2. Tuque, mi redemptor, Christe,
fili patris optime,
Dignare tuo cum patre
me, quaeso, respicere,
Ut respectus possim flere
miser amarissime.

3. Tuque, spiritus o sancte,
pie mi paraclite,
Qui ex patre filioque
procedis assidue,
Me tuo misellum more
conturbandum commove.

4. Novi namque, me peccasse
coram te gravissime,
Sicut die, ita nocte,
corde, ore, opere,
Laboravi semper valde
te, Deus, offendere.

5. Laboravi, inquam, valde
plura mala facere,
Quam sint homines in orbe,
quam astra in aethere
Vel quot pisces intra mare,
Arena in litore.

6. Volo unde nunc lugere,
sed non possum, Domine,
Sine te quivi peccare,
sed non possum plangere,
Sine te sum lapsus male,
sed non possum surgere.

7. Non enim possum plorare
nec lamenta fundere,
Potui multa patrare
qui mala quotidie,
Quorum soli patet tuae
numerus sententiae.

8. Caro ita quidem mea
sine te est arida,
Sicut terra sine aqua,
sicut petra rigida.
Oculorum est pupilla
ceu crystallum frigida.

9. Sicque sicut silex dura
cuncta sunt praecordia,
Ideo non valet ulla
emanare guttula
Exque me nec saltem una
ire potest lacrima.

10. Proinde meorum multa
criminum cum milia
Sunt et plura quam arena
marina per litora
Atque multa graviora
massa exstant plumbea,

11. Clamat, ecce, supplex mea
nunc ad te miseria,
Petens, ut digneris tua
me misericordia
Hac respicere in hora
torpentem socordia.

12. Age, jam mei mollita
cordis [hac] duritia
Educ, quaeso, modo multa
lacrimarum flumina
Ad facinora deflenda
simul et flagitia.

13. Graviter peccavit mea
nam tibi dementia,
Fortiter succurrat tua
sed mihi clementia,
Quoniam est tibi tanta
ceu nulli potentia.

14. Tu es trinus unus Deus,
tu es potentissimus,
Tu es pius, tu benignus,
tu es clementissimus,
Ob hoc meis da dignatus
flumina luminibus.

15. Tu petram in stagna aquarum
convertisti laticum
Atque rupem in aquarum
fontes multiplicium,
Tu quoque potes cor meum
emollire ferreum:

16. Tu pectus adamantinum
reddere ut carneum,
Tu mutare hunc belluinum
in humanum animum,
Veterem sive antiquum
in jam novum spiritum.

17. Ad cadendum sola mea
sufficit miseria,
Ad surgendum tua sola
sed misericordia,
Quia inest mihi multa,
proh dolor, vecordia.

18. Porrige jam lapso manum,
da luctum, da gemitum,
Dona fletum, dona planctum
ploratumque plurimum
Facque cor humiliatum,
conturbatum spiritum.

19. Plorem, pater, vehementer
te donante jugiter,
Plorem, fili patris, semper,
flagito suppliciter,
Plorem, spiritus o sacer,
te favente fortiter.

20. Lacrimer indesinenter
et incessabiliter,
Lacrimer nec non instanter,
infatigabiliter,
Ut post perpetim consoler
tecum et exhilarer.

21. Summe pater, miserere
fons misericordiae,
Miseranter tuae clemens
plasmae reminiscere
Et ad meum me adtrahe
forti Jesum robore.

22. Tuque, Domine o Christe,
o caput ecclesiae,
Attractum deposco a te
me dignanter recipe
Et receptum solidare,
in te noli spernere.

23. Tuque, spiritus o sancte
ac dulcis paraclite,
Mei semper meminisse
noli, rex, contemnere,
Sed da patrem filiumque
atque te diligere.

24. Deus trine, Deus une,
Deus clementissime,
Trinitas colenda corde,
mente atque pectore,
Unitas amanda valde
omni nobis tempore.

25. Qui es quadri diligendus
orbis in climatibus,
Sed mei plus irritatus
corporis heu sensibus,
Quam sis mundi a totius,
credo, peccatoribus.

26. Miserere, quaeso, Deus,
miserere citius,
Succurre, deposco, prius,
quam inferni abyssus
Me absorbeat, quo nullus
utilis est gemitus.

27. Respice quapropter prius,
pater, fili, spiritus,
Trine atque unus Deus,
pereat quam famulus,
Quem plasmasti tuis pius
miserando manibus.

28. Manuum tuarum opus
respice clementissimus,
Si respexeris, ploratus
sequetur uberrimus,
Immo simul ululatus
erit amarissimus.

29. Ego, pater, ille tuus
prodigus sum filius,
A [te] procul exsul factus
qui fui diu[tius]
Meretricibus conjunctus
et consumptis omnibus.

30. Quae tu bonus es largitus,
panis miser indigus
Effectus fui subulcus,
saturari cupidus
Siliquis, sed dedit nullus,
quae dabantur suibus.

31. In me autem cum reversus
nunc sum mendicissimus,
Cumque tute sciam prorsus
multis penetralibus
Mercenarios in domus
abundare panibus;

32. Reminiscens, quod benignus
es atque piissimus,
Pietate tua fisus,
quamvis indignissimus
Nomine servi misellus
filiique penitus,

33. Advolatus clamo tuis
ejulans vestigiis:
Pater mi, peccavi nimis
in coelum miseriis
Atque coram te deliqui
gravibus et nimiis.

34. Non sum dignus dici tuus
servus nedum filius,
Sed me jam dignetur meus
pater clementissimus
Tractare sua benignus
pietate citius.

35. Eripe de portis mortis
me, pater amabilis,
Pereat ne tui juris
suis plasma meritis,
Abest panis, adest famis,
pestis miserabilis.

36. Nemo panem habet vitae
praeter te, altissime,
Quem nunc cernor esurire,
indignus percipere,
Sed gratuitus largire
tu pius hunc munere.

37. Saginatus est occisus
fratri meo vitulus,
Qui fuit peregrinatus
a patre diutius,
Cum multis luxuriatus
miser meretricibus,

38. Qui ad te ubi reversus
fuit mendicissimus,
Consumptis paternis rebus
atque bonis omnibus,
Indigens suillo victu
sed carens hoc funditus,

39. Inops panis, dives famis,
ut est piis oculis
A longe respectus patris,
est donatus osculis,
Amplexatus et benignis
vehementer brachiis.

40. Aliud nil fuit fassus,
ni quod esset filius
Ejus ultra jam indignus,
servis a fidelibus
Prima stola est indutus,
inque manu annulus

41. Est confestim sibi datus,
tegumenta pedibus
Pariterque saginatus
est occisus vitulus,
Sicque fuit epulatus
tecum, pater, filius.

42. Ergo quia est inventus,
fuerat qui perditus,
Rediit[que] suscitatus
et revixit mortuus,
Gaudio magno gavisus
est cum servis dominus.

43. Igitur ego ipsius
nunc ad te fraterculus
Clamo tuis advolutus,
pie pater, pedibus,
Tuus, fateor, indignus
nihil minus filius.

44. Ecce, jam petit misellus
veniam sceleribus,
Pro suis offensis, quibus
te tristavit pluribus,
Quam polus ipse depictus
splendeat sideribus.

45. Ergo sicuti tunc pius
nihil eras amplius,
Clementer ejus misertus
cito currens obvius,
Miserere sic dignare
atque mei ocius.

46. Et quidem nil eo minus,
verum multo amplius
Peccavi tibi protervus
diebus ac noctibus,
Ad bonum, proh nefas, tardus,
ad malum promptissimus.

47. Justificavi misellus
meis facinoribus
Peccatores omnes, mundus
quos tenet quadrifidus,
Proinde peto prostratus
veniam sceleribus.

48. Jesu, jam quatriduanus,
bone pastor, Lazarus
Mortis in sepulcro situs
jamque nimis foetidus,
Monumento quamvis pressus,
jamjam scatens vermibus,

49. Ecce jacet interemptus
multis pro criminibus,
Quae gessit e contra stultus
signis hebetissimus,
Privatus velut ambobus
cum sensu luminibus.

50. Freme, freme bone Jesu
ac turbare spiritu,
Lacrimare pio fletu
servi pro interitu,
Propria qui semet manu
interemit jamdiu.

51. Clama, clama, Jesu Christe,
voce magna, Domine:
Prodi foris, tumulate,
veni foras, Lazare,
Exi, exi et procede
jam de mortis carcere.

52. Si clamaveris me, Christe,
redemptor piissime,
Exibo laetus repente
ac procedam propere,
Que vita servum vocante
fugiet mors rapidus.

53. Ligatus manus et pedes
faciemque Lazarus
Prodiit ille antiquus
voce Dei excitus,
Sic ego, plus licet vinctus,
non prodibo tardius.

54. Fili Dei, Christe, vivi,
jube tui Lazari
Pedes, manus, ora solvi
et abire desini
Et vestigiis advolvi
sui sacris Domini.

55. Quin tibi tuoque patri,
quin sancto spiritui,
Trino Deo atque uni
corde, ore supplici
Grates agat voce tali
honore sub triplici:

56. Benedictus sit excelsus
genitor et genitus
Spiritus nec non et sanctus,
perdulcis paraclitus,
Per quem suus est [jam] servus
suscitatus Lazarus.

57. Manicis qui magnis vinctus,
constrictus compedibus
Flammis eram destinatus
poenarum ultricibus,
Quae tormentis extant prorsus
plena multiplicibus.

58. Gloriam cantabo sane
omni tibi tempore,
Si digneris evocare
mortis me de limine,
Cui est vita cum patre
et regnum cum flamine.

59. Tange, tange, Jesu Christe,
meos clementissime
Oculos et squamas inde
serpentinas ablue
Fluminaque multa valde
lamentorum elice.

60. Actus terge et reterge,
quo plus fluant lacrimae,
Fluant nocte, fluant die,
ut possim restinguere
Flammas, quae sunt mihi jure
poenis meis debitae.

61. Spiritus o sancte, pia
respice me gratia
Et mersum mortis in urna
me, precor, vivifica
Ac vivificatum tua
luce jam illumina.

62. Gratis nam fecisti tua
me misericordia,
Gratis, flagito, reforma
demum et resuscita,
Gratis tua dantur dona,
hinc donorum gratia.

63. Memento, Domine Deus,
quod gignens et genitus,
Ut es potens atque pius,
sic tu nihilominus
Ante saecla es benignus,
mitis, potens, validus.

64. In quemcunque enim spiras,
hunc statim vivificas,
Cum patre, filio tonas,
regis et illuminas,
Gratiam cujus [tu] donas,
solidas ac vegetas.

65. Quos placet, benigne vocas,
vocatos sanctificas,
Humiles pius exaltas
et altos humilias,
Immundosque quosvis mundas,
impuros purificas.

66. Quid plura, leprosos sanas,
impios justificas,
Cum patre proleque cunctas,
quas vis, mentes recreas,
Insuper et recreatas
tu, pater, glorificas.

67. Quamobrem te, Deus pie,
postulo humillime,
Cito mihimet succurre
cum patre, cum sobole,
Et ovi nimis infirmae
gratiam jam tribue.

68. Da, precor, in te clamare
Abba, pater, Domine,
Nec non atque Jesu Christe
simul, quaeso, dicere,
Quin et te, o flatus alme,
vocare humillime.

69. Da amare, da timere,
da frequenter colere
Patrem, prolem, sanctum atque
da flatum diligere
Toto corde, tota mente,
toto nec non pectore.

70. Esto mihi timor ingens
atque amor vehemens,
Diligam te nimis timens
timeamque diligens,
Serviamque contremiscens,
contremiscam serviens.

71. Non permittas me perire
nec digneris perdere,
Quem plasmasti manu pia,
Deus, ne despicias,
Sed dignanter miserere
et clementer respice.

72. Noli, noli me delere
sed parce, piissime,
Parce, parce et defende,
clemens rex, et protege,
Protege, nec non defende
nimis pressum pondere.

73. Tuam, Deus potens, pie,
mihi manum porrige
Et dignare sublevare,
peccata dimittere
Nec non atque collocare
in coelesti requie.

74. Erue me, peto, meis,
Domine, flagitiis,
Quibus te offendi grave
retroactis saeculis
Et nunc quoque plura priscis
addo nova maculis.

75. Deduc me in viam pacis,
cum obire jusseris,
Portioque mihi lucis
tunc patescat perpetis
Merearque cum beatis
te laudare angelis.

76. Gloria, laus, honor patri,
proli ac spiritui,
Ex ambobus procedenti
ante orsus saeculi,
Trinitati lux perennis
unitate perpeti.

Cod. Gratianopolitan. (ol. Majoris Carthusiae) 265 saec. 12. — 1, 3 precor alme. — 21, 4 plasmae statt plasmatis. — 36, 4 praecipere. — 38, 5 suilliviam. — 45, 1 nunc prius. — 45, 3 Tam clementer. — 45, 5 sq. sic dignatus nec mei ocius. — 52, 5 Que in vita. — 56, 4 produlcis. — 59, 6 lamentorum ablue. — 61, 3 mortis in una. — 64, 3 cum filio. — 7, 4 orsa saeculi.

223. De Praelatis et Subditis.

1. Rex, de coelo respice,
visita clementer,
Quam plantasti, vineam,
quae perit frequenter;
Cultores, quae sua sunt,
quaerunt diligenter
Vineamque Domini
colunt negligenter.

2. Heu, pastores ovium
sub umbra quiescunt,
Se in voluptatibus
pascere assuescunt
Et Christi oviculas
pascere pigrescunt,
De quibus victum tollere
minime pavescunt.

3. Pastores ecclesiae
dicuntur praelati,
Injuste hoc nomine
sic sunt nuncupati,
Pro grege dominico
non jam sunt parati
Laborare strenue,
ut quondam beati.

4. Nemo turbat gregem plus
quam quidam pastores,
Vitiose negligunt
jam inferiores,
Innocentes opprimunt
et turbant meliores
Et amicos praeferunt
multum viliores.

5. Deus, quam mirabilis
Hujus mundi status,
Nam si simplicissimus
Fuerit praelatus,
Hic in brevi tempore
Totus fit mutatus,
Qui fuit humillimus,
Valde fit elatus.

6. Dehonorat subditos,
perit spes salutis,
Superbire incipit
immemor virtutis,
Elevatur supra se
laqueis salutis,
Gradiens per devia
gressibus non tutis.

7. Dignitatis gloria
et novi honores
Convertunt humillimum
et pervertunt mores,
Quod sui obliviscitur
spernens digniores
Et ignorat socios
stantes ante fores.

8. Vivere vult splendide
raro stans in choro,
Ob sua solatia
saepe est in foro,
Vel languorem simulans
se locans in thoro:
Heu me, dicit, pauperem,
quantum nunc laboro.

9. Monachus si coeperit
pauper aegrotare,
Docetur prae omnibus
olus manducare,
Ad chorum in triduo
non differt remeare,
Qui fleret libentius,
cogitur cantare.

10. De Christi pauperibus
pauci habent curam,
Qui gerunt frequentius
paupertatem puram,
Sed qui potest capere,
fugit vitam duram
Et vivit ad libitum
regens praelaturam.

11. Nil de praelatis refero,
qui nunc onerantur
Et pro suis subditis
hic sollicitantur,
Amant, regunt, corrigunt
neque indurantur,
Deus det, [ut] gaudium
isti consequantur.

12. Sed sunt dii gentium,
daemonia praelati,
Qui hic suis subditis
non sunt inclinati,
Ad quorum custodiam
sunt hic deputati,
Nec regunt nec diligunt,
socii Pilati.

13. Praelatorum viscera
dum gaudent repleta,
Tunc clamatur altius,
cantant mente laeta,
Jubent, ut similiter
clament tali meta,
Quorum in jejunio
frequens est dieta.

14. Ultra modum debitum
cogunt laborare
Subjectum sibi populum,
student fatigare,
Cogitantes intra se,
hi solent murmurare,
Obruantur onere,
ne possint vacare.

15. Et si fratres inter se
volunt discordare
Pro causa tam minima,
nolunt revocare
Eos ad concordiam
rogitantes quare,
Isto modo possumus
non in pace stare.

16. Sic vadunt ad interitum
cum suo grex pastore,
Plebs plebanum sequitur
bestiarum more,
Seducit pater filios
misero errore,
Et sic premuntur animae
perpetuo dolore.

Cod. Zwethalen. 6 saec. 12. add. saec. 14.

224. Prosa de Evangelio.

1. Parabolam vitae
Omnes hanc audite,
Sine dolo et sine lite
Unanimus ite,
5. Ne de vera vite
Cadatis excisi

Agricolae invisi.
Qui vineam plantavit
Et in hanc vocavit
Multos operarios
Per singulos denarios,
Qui summo mane mundi
Pro mercede nummi
Adam introduxit,
Quem serpens seduxit.
Hora vero sexta
Fide subintexta
Abraham intravit,
Qui natum immolavit.
Hora vero nona
Per scriptae legis dona
Moyses intravit,
Qui decalogum portavit.
Undecima David
Rex subintravit,
Qui fortiter pugnavit
Et Christum figuravit.
Tandem Christus venit,
Qui mercedem dedit,
Qui crucis in angaria
Calcavit torcularia;
Qui per confessionem
De cruce latronem
In paradisum duxit,
Quem sero conduxit.
Post hunc patriarchae,
Reges et prophetae
Mercedem acceperunt,
Qui pondus portaverunt
Aestus et diei.
Sic gratia Dei
Quos praedestinavit,
Hos et remuneravit.
Post hos duodeni
Atque Nazareni
Et evangelistae
Te sequuntur, Christe.
Post hoc crucis victores,
Deinde confessores,
Cum oleo prudentes
Fuerant sequentes
Regis sponsam magni,
Novam nuptam agni.
Tunc epithalamica
Sponsae cantabant cantica.
Hanc intrate vineam,
Ut malorum veniam
Inveniatis.
Cur otiosi statis?
Cur non laboratis,
Ut fructum afferatis?
Cur non festinatis,
Ut omnes occurratis
Ecclesiae sponso,
Qui videt in absconso,
Qui mercedem tribuet,
Cum Samaritanus rediet?
Sex gradus aetatis,
Ut intelligatis,
Hic praefigurantur.
Qui bene operantur,
Regnant in aeternum;
Descendunt in infernum,
Qui stabunt otiosi,
Semper criminosi,
Quos nemo conduxit,
Cujus flos exaruit,
Cum verus sol incaluit.
Per quos ab infantia
Per ora lactantia,
Mox a pueritia
Cum animi prudentia,
In adolescentia
Cum animi peritia,
Mox in juventute,
Dehinc in senectute
Ad vineam vocamur,
In qua coronamur.
In ultima aetate
Sero laborate.
Cum sero factum esset,
Ut labor mundi cesset,
Vocantur operarii
Et dantur denarii
His, qui sero venerunt.
Tunc primi putaverunt
Se plus accepturos,
Cum patre regnaturos
Et ipsi acceperunt,
Sed murmuraverunt,

Singulos denarios,
Ut decet operarios.
Tunc patri dixerunt,
Qui mane venerunt,
Cur pares fecisti,
Quos sero conduxisti
Nobis, qui portavimus
Pondus diei et aestus.
Respondit uni pater:
Nonne ego, frater,
Cum omni operario
Conveni de denario.
Quod promisi, tolle
Nec ultra te extolle;
Noli murmurare,
Novissimo dare
Sicut primo volo,
Te audire nolo.
Tu nequam, ego bonus,
Mecum qui portat onus,
Trabem tollat de oculo,
Pecuniam de loculo,
Ne racca dicat fratri,
Sic carus erit patri.
Tollat omne vitium,
Ne subeat supplicium,
Cum mundi fit destructio
Nec ultra fit corruptio.
Tunc erunt electi,
Qui fuerunt perfecti,
Et erunt abjecti,
Qui non sunt perfecti.
Multi sunt vocati,
Pauci coronati.
Magna dies illa,
Quam pace tranquilla
Dignetur praestare,
Qui venit nos salvare.

Clm. Monacen. (ol. Altahen.) 7950 saec. 12.

225. Planctus Ecclesiae.

I.

1. Ad te, Domine, levavi
animae praecordia,
In te, Domine, speravi
Tota cum fiducia,
Ad te, Domine, clamavi
Ego, flens ecclesia.

2. Bone Deus, te actore
Concepi et genui,
Sacro scripturarum rore
Natam prolem ablui,
Sed nunc me replent moerore
Nati semimortui.

3. Cum enim unicus Deus,
Sic est fides unica,
Unicusque sponsus meus,
Spes ecclesiastica,
Crescit tamen pharisaeus
Et pestis schismatica.

4. Divisa flet hierarchia,
Quam formarat gratia,
Nam, plena olim sophia
Salutari, Graecia
Romana relicta via
Secedit per devia.

5. Erant enim Philippenses
Pauli quondam filii,
Erant Thessalonicenses,
Galati, Corinthii,
Absunt Graeci, Colossenses,
Vatum olim socii.

6. Fletibus genae funduntur
Et corda suspiriis,
Dum epistolae leguntur
Pauli factae studiis,
Quae praefatis diriguntur
Lapsis nunc ecclesiis.

7. Gratae quidem sunt scripturae,
Sed amari tituli,
Dum ex his tantae jacturae
Memorantur populi,
Quod cadunt tot creaturae,
Tot Christi vernaculi.

8. Heu me, secti sunt Alani,
Jasones, Iberii,
Jacobitae, Nubiani
Et qui restant Tyrii,
Armeni, Georgiani
Vicinique Ziquii.

9. Indi quidem baptizantur,
Qui, quamvis innumeri,
Non accedunt nec vocantur
Ad sedem clavigeri,
Sed sub causa conversantur
Johannis presbyteri.

10. Kalendas ritus Graecorum,
Fidem et consilia
Sequitur gens Bulgarorum
Et gentes de Jascia
Populique Ruthenorum
Cunctique de Servia.

11. Lapsi sunt Nestoriani
Decepti fallacia,
Nulla quaerunt Africani
Romana judicia
Ignotique sunt Farfani
Mixti cum perfidia.

12. Misere patriarchales
Quatuor ecclesiae,
Quae ut bases cathedrales
Substabant primariae,
Ut arbores autumnales
Substant ignominiae.

13. Nam Jerosolymitana
Et urbs Antiochiae,
Constantinopolitana
Et urbs Alexandriae,
Calcantur gente profana,
Nequam, plena rabie.

14. O Deus, cur Christiana
Plebs ita diffinditur?
Cur deserta via plana
Per asperas graditur,
Cur gens angelis germana
Tot malis subjicitur?

15. Porro talem dissuturam
Graviorem sentio,
Quia curatorum curam
Modicam adspicio,
Vix est, qui contra jacturam
Penset de remedio.

16. Quare vivunt tot perversi
Latentes haeretici,
Inter fideles dispersi
Ut lupi malefici?
Et qui videntur conversi,
Raro sunt catholici.

17. Rei secant Ariani
Divinam essentiam,
Confundunt Sabelliani
Personarum gloriam,
Negantque Pelagiani
Operantem gratiam.

18. Stoici mundi naturam,
Formam et substantiam
Deum dicunt et figuram
Ejus circumstantiam,
Facturae praestant culturam,
Factori blasphemiam.

19. Tabefacti Manichaei
Duos Deos praedicant,
Corporea quidem rei
Fore Dei judicant,
Ceteraque boni Dei,
Quae magis magnificant.

20. Valdenses vociferantes
Diversis erroribus
Meos praelatos causantur
De perversis moribus,
Suos tantum arbitrantur
Fungi posse clavibus.

21. Xristo sicut Christiani
Hic omnes se offerunt,
Tamen ad errores vanos
Damnandi se conferunt,
Quos culpae tamquam insanos
Ad inferna deferunt.

22. Zeli quidem tui telis
Sauciata crucior,
Multis in membris fidelis
In multis concrucior,
Fioque sine medelis
Jugiter amarior.

II.

23. Animales Saraceni
Mittunt in me gladios,
Multa pravitate pleni
Meos necant filios,
Et ut domini terreni
Faciunt exitios.

24. Bethlem sanctam rapuere,
Peremerunt incolas,
Jerusalem foedavere,
Violarunt violas,
Moschetas ibi fecere,
Fugarunt Christicolas.

25. Cleri festa non honorant,
Campana non tinniunt,
Viae sanctae Sion plorant,
Nam plebes non veniunt,
Salvatorem non adorant,
Qui loca custodiunt.

26. Dolorem Turci auxerunt
In arcu et ascia,
Qui me moestam expulserunt
De minori Asia,
Ubi paucos reliquerunt
De Christi familia.

27. Ephesina et Smyrnensis
Migrarunt ecclesiae,
Pergami, Thyathirensis,
Sardis, Laodiciae,
Sola Philadelphiensis
Perseverat hodie.

28. Fractae sunt ecclesiarum
Aedes et altaria,
Pulsa sunt inde missarum
Quaeque sacrificia,
Et pastoris animarum
Fugata memoria.

29. Gutta ligat membra mea
Et spasmus vecordiae,
Nam nec spata Maccabaea
Nec verbo scientiae
Arma vinco Cananaea
Minorum potentiae.

30. Hebet mens, fides miratur,
Quod hae sint ecclesiae,
Quibus salus destinatur,
Pax et fructus gratiae
Apocalipsisque datur,
Privatae sint specie.

31. Istis magistri scripsere
Petrus, Paulus, aquila,
Istis dogmata dedere
Praeceptaque rutila,
Ista nunc evanuere
Ut figmenta nubila.

32. Karitas refrigerata
Venit prope nihilum,
Iniquitas augmentata
Sanctis aufert jubilum,
Candelabra sunt sublata
Propter culpam vigilum.

33. Longe Deus me fecisti
Meis a benevolis,
Solamenque subtraxisti
Concessum apostolis,
Hinc inde circumdedisti
Me multis malevolis.

34. Mei praelati pomposi
Tument ut hydropici,
Quidam volunt spiritosi
Videri magnifici,
Quidamque deliciosi
Sunt ut paralytici.

35. Nequam sunt religiosi
Multi sine foedere,
Multi literis ventosi
Sine legis opere
Et multi, qui sunt exosi,
Volunt pie vivere.

36. Omnes, quae sua sunt, quaerunt,
Non ea, quae Domini,
Omnes vota contulerunt
Tam carni quam sanguini,
Omnes in his exarserunt
Clericorum animi.

37. Principes nimis elati
Minus sunt pacifici,
Dediti cupiditati,
In dando parvifici,
Non intendunt aequitati
Principes tyrannici.

38. Quo iverunt margaritae
De locis Aegypticis,
Viri sanctissimae vitae
De mille coenobiis,
Cessarunt anachoritae
Non relictis filiis.

39. Religio viduata
Talium solatio,
Nimis est refrigerata
Ab orandi studio,
Ad mundi mores laxata
Multis est fastidio.

40. Sanctus, sanctus, sanctus Deus,
Meas vide lacrimas,
Deficit spiritus meus,
Mori cernens animas,
Infelix gaudet Judaeus
Videns tot res pessimas.

41. Tutor pie pupillorum,
Segregatos congrega,
Ovile orthodoxorum
Truncatum redintegra,
Seminatores errorum
Ab electis segrega.

42. Unum da cor in credendo
Christum invocantibus,
Unum os in confitendo
Exclusis erroribus,
Animam in diligendo
Una cum operibus.

43. Xristianis pacem praesta,
Cuncta tolle schismata,
Sana vulnera funesta,
Deauge charismata,
Jucunda largire festa
Et jucunda sabbata.

44. Zyma purga vitiorum,
Da virtutum azyma,
Statum meum fac decorum
Data praebens optima,
Fontem ostende bonorum,
Quo fruatur anima.

Cod. Carnoten. 341. saec. 14. — 14, 2 dissinitur. — 24, 1 Bethel. — 30, 2 haec sic.

226. De vero amore.

1. Amor sponte cor afficit
Et spontaneum efficit,
Nulla cupit praemia,
Amori non est angulus,
Amori simplex oculus,
Nulla habet propria.

2. Amor non est in timore,
Timor non est in amore,
Sunt enim contraria,
Amor lex est filiorum,
Timor vero lex servorum.
Magna est distantia.

3. O quanta est vis amoris,
Quae exclusa vi timoris
Servum facit liberum,
De nocente innocentem,
De mortuo dat viventem
Et de sene puerum.

4. Amor metu non frangitur,
Nullo pudore flectitur
Nec curat dominium;
Amor amat concordiam,
Veritatem, justitiam,
Spiritale gaudium.

5. Amor nescit judicium
Nec recipit consilium
Nec se modo temperat;
Amor gratis obsequitur,
Nullo lucro conteritur,
Libenter obtemperat.

6. Amor verus non est duplex,
Se contentus, se locuplex,
Scit omnibus sufficere;
Per se satis est subjectus,
Non contractus sed affectus
Reveretur libere.

7. Amor prudens non effluit
Sed abundanter affluit
Nescitque marcescere,
Amor accensus fortiter,
Semper conatur dulciter
Et pure diligere.

8. Amor ille, qui spe crescit
Et subtracta spe decrescit,
Adhuc est impurior;
Amor non est hic sine spe,
Sed non sumit vires de spe
Nec ea fit fortior.

9. Amor non est hiemalis,
Amor novus et paschalis,
Per quem virent omnia;
Amor nunquam otiosus,
Amor semper fructuosus
Sicut aestas florida.

10. Quantum homo desiderat,
Quantum credit, tantum sperat,
Tantum est in opere;
Qui amoris succo caret,
Fides ejus et spes aret,
Nescit fructum facere.

11. Amor dulcis, non amarus,
Amor largus, non avarus
Et sine tristitia;
Amor caret senectute,
Amor floret juventute
Semper in laetitia.

12. Amor purus pure amat,
In spe non propter spem amat
Sicut docet ratio;
Amor sperat hoc, quod amat,
Et quod sperat, illud amat
Appetitu anxio.

13. Amor, quia amat, sperat,
Sed non amat, quia sperat,
Ordine legitimo;
Amor praeit, spes sequitur
Amor praeest, spes subditur
In amantis animo.

14. Amor laudem non appetit,
Nec, quae sua sunt, repetit,
Nec despectum metuit;
Amor pie socialis
Nec pro malis mala malis
Sed bona retribuit.

15. Amor nescit irritari,
Invidere nec inflari,
Sed amat humilia;
Amor malum non cogitat,
Injurias non recitat,
Nulla fovet odia.

16. Amor mollit duritiam,
Amor tollit acidiam,
Gelu mentis adimit;
Amor sicut mors est fortis,
Amor mors est nostrae mortis,
Omne malum perimit.

17. Amor nihil vult praeter se,
Per se placet et propter se,
Sui tantum conscius;
Nullo pacto adquiritur,
Nulli spei innititur,
Non est mercenarius.

18. Amor semper vult amare,
Sibi soli scit vacare,
Se solum complectitur;
Non quaerit fructum alium,
Quam usum sui proprium
Et seipso fruitur.

19. Amor est res suae spei,
Spes etiam suae rei,
Ipse sibi gratia;
Ipse causa, ipse fructus,
Neque foris a se ductus
Sibi quaerit alia.

20. Amor solus vult regnare,
Totam mentem occupare,
Solus menti praesidet;
Non est, quo intret vitium,
Ubi tenet imperium,
Ubi totum possidet.

21. Amor sanctus, amor mundus,
Amor festus et jucundus
Cuncta fugat vitia;
Amor plenus plene gaudet,
Osculari Deum audet
Cum omni fiducia.

22. Amor semper triumphalis,
Amor semper nuptialis,
Amor semper ebrius;
Amor summus et regalis,
Amor plus quam filialis,
Amor sponsus proprius.

23. Ubi amor, nihil deest,
Qui non amat, quicunque est,
Is nihil est penitus;
Per amorem fit anima
Christi sponsa carissima
Et nubet divinitus.

24. Patrem honoret filius,
Sed sponsa, quod est dulcius,
Sponsum suum diligat;
Sicque rejectis omnibus
Mundi dilectionibus
Ipsum solum eligat.

25. Servus timore serviat
Et mercedem accipiat,
Qui est mercenarius;
Sed sponsa sponsum cernere
Et osculum vult habere,
Quod est longe dulcius.

26. Amor legis plenitudo,
Amor cordis latitudo,
Amor mentis specula,
Amor dulces dat lacrimas,
Lex est convertens animas
Omni carens macula.

27. Amor gemit, amor orat,
Amor plangit, amor plorat,
Pascitur suspirio;
Amor, qui caret lacrimis,
Nec suspirat ab intimis,
Caret desiderio.

28. Amor mundo vult conteri,
Mundus est ei oneri,
Lux ipsa fastidio;
Cum differtur, amor crescit,
Minuere cum nescit
Sed auget dilatio.

29. Amor nescit meditari,
Vel audire vel effari,
Nisi quod amaverit;
Amor expers et erroris,
Qui socius est amoris,
Errare non poterit.

30. Amor currit diligendo,
Perseverat in currendo
Et cursum accelerat;
Tarde enim pervenire,
Tarde credit invenire,
Quod nimis desiderat.

31. Sponsus, qui sponsam diligit,
Sponsae amorem exigit
Nec requirit amplius;
Sponsa novit diligere,
Nec scit nec valet reddere
Sponso quidquam gratius.

32. Sponsa non habet aliud.
Nec sponso placet aliud
Quam sponsae dilectio;
Nil aliud sponso debet,
Nec aliud sponso praebet
Sponsa in conjugio.

33. Sponsa amat, quia amat,
Et ut amet, semper amat
Voluntate libera;
Praeter sponsum nihil amat,
Propter sponsum sponsum amat,
Spe nequaquam altera.

34. Amor vivendo patiens
Sed amando impatiens,
Donec Deum videat;
Nunquam cessat esurire,
Quem diligit, et sitire,
Donec votum compleat.

35. Poenam habet pro satie
Et laborem pro requie,
Dolorem pro gaudio;
Amor, qui non perseverat
Nec in finem desiderat,
Non est dignus bravio.

36. Amor caduca negligit
Nec spem suam in his figit,
Quae sunt transitoria;
Amor supernis inhiat,
Amor amantem cruciat,
Sed sine molestia.

37. Amor exsul amarescit,
Post amarum spe dulcescit,
Spe consolatoria;
Amor luget exsilium,
Nec ibi quaerit gaudium,
Ubi non sunt gaudia.

38. Amor vult difficilia,
Immo impossibilia
Et sine solatio;
Amor semper vult languere,
Anhelando deficere
Et sine remedio.

39. Amor nullum vult temporem,
Immo aestum et ardorem,
Nulla ei gravia;
Amor suave jugum Christi,
Qui se jugo subdit isto,
Cuncta ei levia.

40. Multi gradus in amore,
Summum gradum suo more
Sponsa sibi vendicat;
Sponsa amat cum fervore,
Sponsa abundat amore,
Cui nemo communicat.

41. Major sponsae affectio
Circa sponsum quam filio
Cum parentum grâtia;
Magis amat, magis sapit,
Magis ardet et vix capit
Sua desideria

42. Non mercedem, non honorem,
Non doctrinam sed amorem
Sponsa sibi eligit;
Et amare et amari,
In hoc solo vult laetari,
Si perfecte diligit.

43. Amor legi non subditur,
Neque justis lex ponitur,
Qui amori serviunt;
Amor enim est beatis
Lex perfectae bonitatis,
Quam injusti nesciunt.

44. Amor amat silentium,
Placet ei suspendium,
Id est contemplatio;
Amori multiloquium
Est omnino contrarium
Et ejus turbatio.

45. Amor summe delicatus,
Esse debet eliquatus
Ab omni contagio;
Nihil admixtum habeat,
Nulla in eo maneat
Obliqua intentio.

46. Amor idem in se manet
Et semper in se permanet
Locus amicitiae;
Amor nutrit unitatem,
Simul et stabilitatem
Fortis patientiae.

47. Inimicis est amicus
Et nulli est inimicus,
Sed cultor justitiae,
Culpam odit, non naturam,
Omnem cernit creaturam
Columbina facie.

48. Tanta flamma est amoris,
Tanti amor est ardoris,
Ut exstingui nequeat;
Nullis aquis exstinguitur,
Nec flumine obruitur,
Quin amplius ardeat.

49. O quam amplum palatium
Caritatis est gremium,
In quo omnis recipit;
Et invidis et ingratis
Sinum pandit pietatis,
Nullum a se excipit.

50. Amor est vita omnium,
Unum est necessarium;
Omnis virtus alia
Sine eo non proficit,
Et delinquit et deficit,
Et nihil sunt omnia.

Cod. Carlopolitan. (ol. Carthusiae Montis Dei) saec. 14. A. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. B. — Letzteres mit der Überschrift: Sanctus Bernardus de amore. — Str. 1—26 fehlen B. — 29, 2 affari A. — 30, 5 Tarde quoque invenire B. — Nach Str. 30 folgen in B Str. 35, 4 bis 40, 1. — 31, 6 Quidquam ei gratius B. — 32, 1 Nec sponsa habet B. — 32, 4 sqq. fehlen B. — Von Str. 34 springt B auf Str. 40 über. — 35, 1 bis 4 fehlen B. — 40, 5 Et abundat in B. — Nach 44, 3 schiebt B ein:

Amor non agit perperam,
Non sinistram, non dexteram
Ejus habet actio.

45, 1 Amor esse defaecatus B. — 45, 4 Et nihil mixtum habeat B. — 46, 1 idem semper manet B. — 46, 2 Semper locum suum tenet B. — 46, 3 Locum B. — 46, 4 sqq. lauten in B:

Stat firmiter et non nutat,
Statum suum nunquam mutat,
Statum patientiae.

47, 3 Nisi inimicitiae B. — 48, 2 ardor est A. — 50, 2 Sine quo necessarium A. — 50, 3 Est omnis A. — 50, 5 Et delirat et B. — Am Schlusse fügt B noch bei

Amor, amor dulcis labor,
Amor vincit omnia.

227. De Ordine s. Benedicti.

1. Sacer ordo Benedicti
Utitur amictu miti
Pro suo velamine,

2. Albo, nigro, camelino,
Lana texta sine lino,
Prout est religio.

3. Hic monarcha monachorum,
Patriarcha est cunctorum,
Qui ad se confugiunt;

4. Coenobitis praebet normam
Et anachoritis formam
Vias rectas ingredi.

5. Cujus regularis usus
Nunc ubique est diffusus
Inter orbis climata,

6. Nam Specus cultus divini
Locusque montis Cassini
Redolent virtutibus.

7. Hinc Fuldenses cum fervore
Claustra multa cum decore
Regunt in Almannia,

8. Adsunt et Cluniacenses
Simulque Camaldulenses
Cum Cisterciensibus.

9. Valumberni, Silvestrini
Supersunt et Coelestini
Sub diverso habitu,

10. Montis Oliveti patres
Humiliatisque fratres
Sub eadem regula.

11. Vigent quoqne Justinienses,
Cum candore Bursfeldenses
His diebus ultimis.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin) 20015. anni 1500/1508. — 4, 1 praebent. — 9, 1 Lies Vollumbrosi? — 11, 2 Zursfeldenses.

228. De Conductu in itinere Hierosolymitano.

1. Christiani nominis
Corruit insigne,
Spurci pompa germinis
Et gentis indignae
Regnat in Jerusalem,
Quis ferro vel igne
Deleat propaginem
Sobolis malignae?

2. Capta est haereditas
Pendentis in ligno,
Si quos regit veritas
Munere benigno,
Horum crucis pectora
Consignentur signo,
Publicentur robora
Populo maligno.

3. O florens militia
Christianae gentis,
Quis ferat opprobria
Saecula regentis,
Ordinetur acies
Populi credentis,
Fabricetur aries,
Dentur vela ventis.

4. Nostrae, fratres, vigeat
Disciplinae cultus,
Pax inter nos maneat,
Sit rancor indultus,
Sentiant Jerusalem
Gentiles tumultus
Christiani roboris
Viriles assultus.

5. Cur gens non opprimitur
Vitae bestialis,
Qua sic Christi premitur
Sedes principalis?
Factum in prostibulum
Civitas regalis,
Versa est in stabulum
Domus specialis.

6. A summo pontifice
Exiit edictum,
Neminem detineat
Scelus vel delictum,
Indulgetur penitus
Culpae maledictum,
Si quis occubuerit
Per iter indictum.

7. Vestris qui sceleribus
Estis involuti,
Piscina comparuit
Congrua saluti,
In qua quotquot sanguine
Fuerint abluti,
Laetabuntur illico
Coelum consecuti.

8. Ergo si vos moveat
Zelus domus Dei,
Rogo vos, admoneat
Illud Maccabaei,
Sub quo pauci totiens
Vicerunt Judaei,
Valde mentes acuit
Tanta form a rei.

9. Constipetur classibus
Maris latitudo,
Plebs, Quirites, proceres,
Regum celsitudo,
Ire si quem hostium
Terret multitudo,
Noverit, quod desuper
Datur fortitudo.

10. Surgat invincibilis
Pastor Romanorum,
Accingatur nobilis
Probitas Francorum,
Producatur agilis
Populus Anglorum
Nec non et horribilis
Turba Bohemorum.

11. Sedens adhuc modicum
Cinere conspersa
Tuum lauda medicum,
Civitas dispersa,
Ad te nostra convolat
Gens bene conversa,
Ut jam te non incolat
Medus neque Persa.

12. Ad hoc sulcant aequora
Plus quam rates mille,
Plenae gente libera
Mentis non pusillae,
Ni gurges impediat
Charybdis et Scillae,
Tutum est, ut fugiat
Filius ancillae.

13. Ergo nunc accelerent
Fortes regionum,
Cedat amor sanguinis
Et cognationum,
Aderit in proelio
Deus ultionum,
Cujus cadet brachio
Robur nationum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15.

229. De Chori Officio.

1. Dum in nocte video
in choro conventum
Et ad laudem Domini
quemlibet intentum,
Esse me considero
ut ad tornamentum,
Ubi non est licitum
ire somnolentum.

2. Tornamentum ludus est
fortium virorum,
Strenue pugnantium
et non pavidorum,
Quibus bene convenit
ordo griseorum,
Quorum nullus tepidus
intret jure chorum.

3. Tornamentum longius
quaerit bonus miles,
Ut probare valeat
vires juveniles,
Matutinas monachi
sic petunt viriles,
Quas frequenter nesciunt
frequentare viles.

4. Reges, duces, comites
Solent exercere
Tornamenta, ut queant
saeculo placere,
Sic in choro monachi
non debent silere,
Ut laudem a Domino
valeant habere.

5. Simplex miles arripit
regem aliquando,
Ludum, quem praediximus,
saepe frequentando,
Sic et pauper monachus
bene vigilando
Coeli capit Dominum
devote cantando.

6. Talis enim captio
dulcis est et bona,
Jesum capientibus
dat rex larga bona,
Quia non discernitur
ab ipso persona,
Quando vigilantibus
dabitur corona.

7. Dum mane consurgimus
de dormitione,
Christum regem capimus
brevi cum sermone,
Vulnerum, quae passus est,
recordatione
Disciplinae, lanceae,
spineae coronae.

8. Ex his solet fluere
nectaris resina,
Quae est peccatoribus
summa medicina,
Quando Deo psallimus
mente columbina,
Datur procul dubio
gratia divina.

9. Corona promittitur
mane vigilanti,
Ubi Deus praemia
dabit militanti,
Cum sponsus advenerit,
et cum dormitanti
Non patebit janua,
quam intrabunt sancti.

10. Somnus est dulcissimus
semper in aurora,
Tunc cibus digestus est
ad inferiora,
Et laetatur anima
sanguinis in hora,
Tunc natura solvere
solet graviora.

11. Non debet hoc tempore
monachus dormire,
Castitatem qui suam
volet custodire,
Tunc solet fragilitas
carnis ebullire,
Quam sacrae vigiliae
faciunt perire.

12. Asperae vigiliae
sunt pigris ut spinae,
Sed vere sciendum est,
quia matutinae
Corporis et animae
fiunt medicinae,
Nam caput a phlegmate
purgant sine fine.

13. Ergo diu vivere
monachi probantur,
Quia nec cibariis
nec somno gravantur,
Probatur, quod plurimi
inde moriantur,
Quod carnis in crapula
nimis gloriantur.

14. Ad choream leviter
stetimus in foro,
Placentes hominibus
vestitu decoro,
In veste nunc humili
psallimus in choro
Canentes, ne similes
simus sycomoro.

15. Sycomorus foliis
optime vestitur,
Sed nullus sub foliis
fructus reperitur,
Ad quid corpus vestibus
sanctis operitur,
Si sub illis tepidus
monachus nutritur.

16. Solet potus tepidus
nauseam parare,
Nec Deus vult tepidum
sibi sociare,
Nam justus ut lilium
debet germinare,
Non ut ficus fatua
terram occupare.

17. Sicut noctis tempora
terrae dant humorem,
Sic sanctae vigiliae
auferunt teporem
Bene vigilantibus
et reddunt amorem
Cordibus psallentium
coeli dando rorem.

18. Jesus personaliter
est in psalmodia,
Angeli, apostoli
et virgo Maria
Cum suis virginibus
et laetantur, quia
Ire nos conspiciunt
in coelesti via.

19. Fuit quidam monachus
physica peritus,
A terrarum dominis
multum requisitus,
Laute procuratus est,
mollibus vestitus,
Ivit ad vigilias
saepius invitus.

20. Hic in choro tepide
stetit nec cantavit
Et in psalmis maxime
chorus laboravit,
Licet dignus non fuit,
hic consideravit,
Quod virgo pulcherrima
cunctis propinavit

21. Pigmentum de pixide
valde pretiosa
Et ad ipsum veniens
quasi taediosa
Pertransivit tepidum
facie rugosa,
Quae fuit prae omnibus
rebus speciosa.

22. Tunc cognovit physicus,
quod erat illusus,
Abbatis consilio
mane fuit usus,
Mollia deposuit,
quae non habet usus,
Et valde poenituit
animo confusus.

23. Matutinis laudibus
fortiter intentus,
Vestibus, cibariis
vivens ut conventus,
Et ab illo tempore
nunquam fuit lentus
Nec est in collegio
melior inventus.

24. Non diu post tempus hoc
meruit videre
Visionem pristinam,
qualiter fovere
Virgo solet monachos,
qui nolunt torpere,
Et partem cum ceteris
meruit habere.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15. A. — Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3848 saec. 15, B. — Cod. Graecen. 1294 saec. 15. C. — Clm. Monacen. 3594 saec. 15. D. — Cod. Palat. Vindobonen. 1420 anni 1548. E. — Str. 7 fehlt A. — 11, 1 Non debent BC. — 11, 2 monachi BC. — 11, 4 volunt BC. — 14, 1 sq. stetimus leviter B. — 15, 3 Nullus tamen in eo BC. — 15, 5 Ut quid B. — 20, 1 tepidus BC. — 21, 1 Pigmenta B. — 24, 1 Non post multum temporis B. — Nach 2, 6 ist das Lied von einem Cistercienser.

230. **Hymnus confundens Gregorium, alias Errorium, olim papam.**

1. Alte cantando porrige nunc aures,
Fallax Errori, traditor tu noster,
Calles in omnes fama pro nunc fundit
Se tua turpis.

2. Qui temptas aedem pulsibus, quam Petrus
Doctus et Paulus manibus firmarunt,
Ruat ut cinis alma Dei fides,
Astu laborans.

3. Octies decem annis obumbratus,
Angelus lucis creditus per orbem,
Pestifer daemon esse qui probaris
Noctis opacae.

4. Usu maligno teneris ab annis
Sectas sinistro ordine captasti,
Quarum nunc semen senio digestum
Pro fide spargis.

5. Hinc fraticellos, comites errorum,
Varie comis roseis galeris,
Eis nocendi maribus et terrae
Posse donando.

6. Clare dum produnt, quale tuum genus,
Corii labor, artis banausiae,
Ausus es sanctum mango phaleratus
Sumere nomen.

7. Claves, quas gestas, aetheris ad portas
Credis deceptus apte pertinere,
Mulciber Aetnae, faber infernorum,
Has tibi dedit.

8. Christum quae credit, natio fidelis
Omnis gaudebat vota tua videns,
Odio dignus Graeco et Latino
Cuncta fraudasti.

9. Voce promissa unica dum possis
Haec stipulata solvere cedendo,
Ortus tu foves simul et occasus
Schismata duo.

10. Si simplex aetas senii tam grandis
Infantum canat fictionum dolos
Eaque mundum visere non putas,
Pueri cernant.

11. Omine malo novimus quam tristis
Genitus orbi nuntius fuisti,
Nam Antichristum signas adfuturum,
Cui praecurris.

12. Non reus usquam legitur fuisse,
Quem sic damnandum clamitarent una
Caupo et cerdo, virgines et nuptae
Clerus et omnis.

13. O nimis miser, quamvis adhuc vivus
Jam destinatus mortibus gehennae,
Fractor votorum, perfidiae pater,
Pseudopropheta.

14. Nunc te magistro nemo coelos rapit,
Iter sed sursum undique rarescit,
Augent pressuras, nomine qui tuo
Tartara petunt.

15. Si vota ponis, languida non sanant,
Sed sonant Christo sibila Medeae,
Necis aut vitae nullae tibi partes,
O bone praesul.

16. Ne vita functos suscitare velis,
Pacto naturam bene securasti,
Tutus est Orcus, ne prece Trajanum
Addes electis.

17. A nobis procul sint tua nociva
Linguae, dum orat, murmura mendacis
Et quae donantur periturae cruces
Dextra perosa.

18. In celsa sede nullus honor patri,
Nec Gabrieli, primae geniturae,
Sed Ragusino spiritui sancto
Poena perennis.

Cod. Londinen. (ol. Vratislavien.) Add. 18922. saec. 15. — Das Lied, aus der Zeit des abendländischen Schismas stammend, richtet sich gegen Gregor XII.

231. Cursus Mundi.

1. Heu, quam vana vanitas,
Quam fallax inanitas,
Quidquid est in mundo;
Si quid habet placidum,
Totum reddit acidum,
Quidquid est in fundo.

2. Lacrimando nascimur,
Laborando pascimur,
Respiramus raro;
Trituratur variis,
Proh dolor, injuriis
Moritura caro.

3. Mundus est sophisticus,
Non amicus, pisticus,
Ridet nunc, nunc frendet;
Quod clementer respicit
Hodie, cras despicit,
Tribulat et premit.

4. Fallax ejus gratia,
Modo dat solatia,
Modo dat lamentum;
Probis dat angarias
Multas atque varias,
Impiis argentum.

5. Modo dat, cras recipit
Et sic ludens decipit
Hic non advertentes;
Tollens, quod jam dederat,
Sibi non confoederat
Animos prudentes.

6. Rara consolatio,
Multiplex turbatio,
Hic dolores mille;
Vita nostra labilis,
Status variabilis,
Ridet hic, flet ille.

7. Iste flet penuriam,
Ille flet injuriam
Vel suorum mortem;
Alter cum inedia
Mille suffert taedia
Ob stupendam sortem.

8. Iste rursum quaeritur,
Qui morbis conteritur,
Alio valente;
Modo fluxum patitur,
Modo febre quatitur,
Dolet hic in dente.

9. Iste dolet humerum,
Multis super numerum
Morbis anxiatur;
Alter in lascivia
Instruit convivia,
Nunquam infirmatur.

10. Alius irascitur
Et intus depascitur,
Quod non exaltatur;
Ambiens divitias,
Honorum delicias,
Nunquam tamen satur.

11. Quidam e contrario
Semper usu vario
Se humiliantes,
Spernunt transitoria,
De coelesti gloria
Semper meditantes.

12. Torpet hic acidia,
Ille prae invidia
Semet ipsum rodit,
Illum ira stimulat,
Hic amare simulat
Proximum, quem odit.

13. Iste vero patiens,
Spem in Deo jaciens,
Sustinens perversos,
Exsecrat dissidia,
Procul ab invidia
Amat universos.

14. Hic conventus loculis
Cibis atque poculis
Nimis se distendit,
Ille vivens parcius
Se constringit artius,
Carnem vilipendet.

15. Hic ut emissarius
Continendo rarius
Lumbos non compescit,
Ille immunditias
Carnisque spurcitias
Multum abhorrescit.

16. Sed, heu, fraus erigitur,
Virtus crucifigitur
Contra normam juris,
Tantus error devius
Puniendus saevius
Est in creaturis.

17. Virtuosus spernitur,
Dum egere cernitur,
Nequam honoratur,
Si sit opulentior,
Creditur prudentior,
Pluris aestimatur.

18. Quaeritur prosperitas,
Jacent lux et veritas,
Virtus relegatur;
Qui nummis caruerit,
Licet bonus fuerit,
Nullus reputatur.

19. Ideo denariis
Student modis variis
Homines ubique;
Pauci quaerunt qualiter,
Utrum curialiter,
Juste vel inique.

20. Hic spilucit stramina,
Ille vendit gramina,
Ille barbas radit;
Iste vendit olera,
Ille plenus colera
Tribulosque tradit.

21. Hic exstirpat lolium,
Ille parat dolium
Ad condendum vinum,
Iste pottos aereos,
Iste vendit cereos,
Lanam atque linum.

22. Rusticus agricola,
Bonus vix Christicola,
Agrum suum arat;
Iste vestes reficit,
Addens, si quid deficit,
Ille pannos parat.

23. Ille rude aratrum
Exsecrans ut barathrum
Se committit mari;
Sulcat vane maria
Secum ducens varia,
Ut possit lucrari.

24. Iste domos reparat,
Ille grana separat,
Ut coquantur panes;
Sic per astus varios
Sequuntur denarios
Sicut carnem canes.

25. Faber per fabrilia,
Sculptor per sculptilia
Nummum consequuntur,
Quem cum apprehenderint,
Antequam expenderint,
Forte moriuntur.

26. Quidam plus divitias,
Heu, quam amicitias
Dei ambientes
Villas, monasteria
Tenent in miseria,
Foenore praementes.

27. Illud genus hominum
Nullum timet dominum
Neque timet mori,
Sed, heu, modo oritur
Homo, modo moritur,
Comparandus flori.

28. Clarus nunc dominio
Cras in sterquilinio
Forte reponetur,
Quidquid nunc habuerit,
Postquam mors adfuerit,
Totum auferetur.

29. Heu, quid sunt divitiae
Horum et deliciae,
Quae praeterierunt,
Quas in his miseriis
Totis desideriis
Male ambierunt.

30. Certe, qui suavius
Hic vixerunt, gravius
Sentient infernum,
Ubi stridor dentium,
Ululatus flentium
Erit in aeternum.

31. Heu, cur miser glorior,
Vivo nunc, cras morior
Cuncta relicturus;
Nihil hic melodiae,
Nam, qui rex est hodie,
Cras est moriturus.

32. Vere nil hic stabile,
Immo totum labile,
Totum fugitivum,
Cuncta sunt horaria,
Non aeternis paria,
Nihil est mansurum.

33. Iste nunc est dominus,
Illi nihilominus
Vix est unus nummus,
Sed cum rota volvitur,
Prior status solvitur
Et fit imus summus.

34. Igitur cum omnia
Transeant ut somnia,
Quae sunt in hoc mundo,
Qui haec mente respicit
Et mundum non despicit
Par est furibundo.

35. Exsulat jam caritas
Nec familiaritas
Parvis est ad magnos;
Magni parvos cruciant,
Ut eos deglutiant
Sicut lupi agnos.

36. Jam vix ulli homini
Inest timor Domini,
Pudet dici sanctum;
Omnes sunt nummicolae,
Pauci sunt deicolae
Nisi voce tantum.

37. Fidei sinceritas
Et verborum veritas
Mundum reliquerunt,
Simulata gratia
Fallax et fallacia
Locum intraverunt.

38. Haec revolve tacita,
Virgo Deo placita,
Et mandatis Dei
Totam te subjicias,
Saeculum despicias,
Esto memor mei.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883 saec. 14/15.

232. De octo principalibus vitiis.

1. Gastrimargia est primum
principale vitium,
Quodque corpori si satum
haeserit intrinsecus,
Plura prodeunt nefanda
de ramorum fructibus.

2. Nostris placuit vocare
hanc ventris ingluviem
Commessationes fluxas
atque detestabiles,
Quae cum fuerint in nobis
excitant libidines.

3. Fornicatio de gula
et de ventris crapula
Propagata mala, blanda,
impudens, turpissima,
Membra nostra, nae, quod absit,
meretricis faciat.

4. Radix omnium malorum
exstat philargyria.
Amor est pecuniarum,
quae est avaritia,
Salvatorem ipsa nostrum
vendidit cupiditas.

5. Irae vitium tollendum,
quod est menti noxium,
Sol justitiae per iram
quia si occiditur,
Hosti nostro ad nos datur
facilis introitus.

6. Cui fuerit innixus
spiritus tristitiae,
Obfuscata mente passim
per incursus varios,
Corde caeco sic discurrit
velut sensu ebrius.

7. Sicut enim vestimentum
tinea demolitur,
Et a vermibus conrosum
saepe lignum teritur,
Sicque morsibus vastata
tristis mens perimitur.

8. De injuriis illatis
deque lucro perdito
Aequo animo estote,
quia pius Dominus,
Poenitentum salus ipse
et redemptor omnium.

9. De acidia procedit
mentis instabilitas,
Otiositatis telo
sauciatur anima,
Cordis taedio et somno
semper manet anxia.

10. Cenodoxiae vitemus
letale contagium,
Si quid boni operamur,
ut a Deo praemium
Mereamur et fruamur
bonis in perpetuum.

11. Ista quoque Ezechiam
post tanta praeconia
Regem adit, superavit,
fregit vana gloria,
Quemque hostis non prostravit,
superavit vanitas.

12. De superbia contemptus,
murmur et invidia,
Haereses, contentiones,
inobedientia,
Oriuntur mala cuncta
paene cum jactantia.

13. In occulto mens elata
prius cum tumuerit,
Velut vipera, maternis
disruptis lateribus,
De barathro sui cordis
verba spargit vocibus.

14. Maxime humanum genus
per mentis superbiam
Hosti subditur antiquo
et carnis luxuriam,
Cujus nos de fauce trahat
infinita pietas.

15. Quisquis istis vacuatus
fuerit a vitiis,
Mansionem Deo parat
in suis praecordiis,
Regnaturus in aeternum
cum electis angelis.

Cod. Casinens. CCXXX saec. 10/11. — „Rhythmus cujusdam Scholastici de octo principalibus vitiis secundum ordinem quem posuit Cassianus.“ — 5, 4 quem si occiditur. — 8, 4 quae pius.

233. De regula s. Benedicti.

1. De Sion exivit lex
atque de Casino,
Utrobique data est
numine divino,
Prima in volumine
sculpitur petrino,
Altera in codice
pingitur ovino.

2. Prima corda denotat
dura Judaeorum,
Sequens signat simplices
mentes monachorum,
Quae depastae jugiter
legem praeceptorum,
Fructibus exuberant
operum bonorum.

3. Mons Casinus et Sina
sunt aequipollentes,
Proportionaliter
sibi respondentes,
Leges inde prodeunt
mala prohibentes,
Varia stipendia
meritis reddentes.

4. Dat Sina decalogum,
regulam Casinus,
Non est mons a gratia
iste peregrinus,
Caret omni carie
coelo mons vicinus,
Mons Casinus gloriae,
mons est et divinus.

5. Sina in Arabia,
ubi jejunavit
Moyses decalogum
atque impetravit,
Verus sol in faciem
ejus radiavit,
Et mox ejus species
ut sol rutilavit.

6. In Casino legifer
alter habitavit,
Mirum abstinentiae
fama quem notavit,
Cujus res a nomine
nunquam obliquavit,
Benedictum patria
lingua nominavit.

7. Moysi tunc similis
fuit in splendore,
Regem regum omnium
videns in decore,
Hoc emenso stadio
simul et labore
Cum solutis gaudia
sumpsit pro dolore.

8. Mons Casinus jubilet
tanto sub patrono,
Duodeno meruit
qui sedere throno,
Cujus diadematis
rutilat in cono
Lapis praestantissimus
nullo carens bono.

9. Legem Sina edidit
Israelitarum,
De Casino prodiit
lex coenobitarum,
Ad perfectum neminem
prima duxit quarum,
Aurea posterior
regna dat earum.

Cod. Casinen. 295 (448) saec. 10. add. saec. 12/13. — 3, 6 coelo fehlt

234. Oratio Poenitentis.

1. Deus magnus et immensus,
Quem nullius capit sensus,
Deus judex aequitatis
Cum unguento pietatis,
Verbum cujus fuit oris:
Nolo mortem peccatoris,
Sed ut ante convertatur,
Quam in culpa pereatur;
Ad te, pie consolator,
Clamo reus et peccator,
Ut avertas iram tuam
Ne tam cito culpas luam,
Sed cum dignus sim puniri,
A te possim exaudiri,
Et me diu infirmantem,
Aquae motum exspectantem,
Provolutum in piscina
Tua cures medicina,
Et ut sequens te pastorem
Nec revertens ad errorem,

Mundi luxu derelicto
Mundus fiam a delicto.
Ego enim tam immensis
Inquinatus sum offensis,
Tot commisi pravitates
Carnis sequens voluptates,
Quod de prece praesumendo
Te fortasse nunc offendo.
Ad quem ergo recurremus,
Si offensum te habemus?
Sed tu, pater, tu memento,
Quales sumus ex figmento.
Hanc secundum qualitatem
Tuam confer pietatem,
Quae multiplices meorum
Tergat sordes delictorum.
Audi, precor, precem meam,
Qui salvasti Chananaeam;
Sauciatum redde sanum,
Qui salvasti publicanum;
Qui Mariae pepercisti,
Peccatori parcas isti;
Qui latroni jam fideli
Promisisti regna caeli,
Regna mihi dones illa,
Ubi cuncta sunt tranquilla,
Ut post istam fugitivam
In aeterna vita vivam.

Cod. Londinen. Reg. 2 A IX saec. 13/14. A. — Cod. Lambacen. 452. saec. 15. B. — Cod. Lambacen. 463. saec. 15. C. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636 saec. 15. D. — 2. Et quem nullus capit D. — 12. poenas luam D. — 13. Et cum dignus B. — 14. possum B. — 16. motus D. — 18. mundes medicina B, mundet D. — 20. Non revertar B; Ne revertar D. — 21 sq. fehlen B; statt dessen:

Tot commisi pravitates
Carnis sequens voluptates.

23. Ego quidem B; Esto quidem D. — 25 sq. fehlen hier B. — 27. Ut de B. — 29. Ad quem semper D. — 29 und 30 umgestellt B. — 30. Sed offensum B. — 31 mi pater B; nunc memento D. — 32. simus B. — 33. Sed secundum tuam qualitatem B. — 34. Confer mihi pietatem B. — 35. Quo D; Qua meas multiplices BC. — 36. Vitiorum tergas sordes BC. — 37. Audi Christe B. — 38. sanasti B. — 40. sanasti D. — 42. Parcas obsecro et mihi B. — 43. tam fideli BD. — 45. confer illa. — 47. Et post istam D.

235. De Morte.

1. Cum sim modo moriturus,
Mihi, Christe, ne sis durus
Mortis in articulo,
Me conturbat timor mortis,
Nam ignoro, quam sit fortis
Et plenus periculo.

2. Hic exstinctum corpus jacet,
Decor perit, lingua tacet,
Caro datur vermibus;
Vermes nostri sunt haeredes,
Scorpiones et serpentes
Nos corrodunt dentibus.

3. Hinc ignotam regionem
Vadit homo post laborem
Praesentis miseriae;
Adest daemon attrectator,
Adest ille seminator
Totius malitiae.

4. Jacet homo in sepulchro
Et nil habet jam de pulchro,
Privatus honoribus,
Putret caro, patent ossa,
Cuncta videns in hac fossa
Repleta foetoribus.

5. Foetor ipse, qui exhalat,
Quis sim ego, nunc declarat
Patenti judicio,
Visus tuus, qui me videt,
Nisi fallor, multum timet,
Nares claudit padio.

6. Mea tibi sepultura
Semper adsit pro scriptura
Et clausura lapidis,
Si, quod dico, bene penses,
Nulli dies, nulli menses
Erunt sine lacrimis.

7. In sepulchro sum inclusus,
Vita mea tamquam fumus
Transiit velociter;
Quis sum ego, et tu eris,
Scito, quia morieris,
Forsitan atrociter.

8. Ubi pater, ubi mater,
Ubi soror, ubi frater,
Ubi sunt confilii,
Dum obissem, doluerunt,
Ad sepulchrum me duxerunt
Voce quondam flebili.

9. Ploraverunt, redierunt,
Ibi me dereliquerunt
Certe multum viliter;
Esca vermis sum effectus,
Cibus eis et electus,
O quam rodunt dulciter.

10. Multi dolent gavisuri
Nummos meos divisuri
Et domos atque praedia;
Nihil curant de me ipso,
Quando laute stant in disco
Committunt eusenia.

11. Si affinis sum ipsius,
Parum dolet, dum totius
Partem solus accipit,
Et si nunc sum praebendatus,
Multis quidem ero gratus,
Quando me mors arripit.

12. Statim currunt ad praebendam
Quasi semper possidendam,
Non pensant pericula,
Clericalem formam sumunt,
Vitam malam semper ducunt
In Petri navicula.

13. Paupertatem detestantur,
Dignitates amplexantur
Et honoris gloriam,
Aurum quaerunt et argentum,
Nullum curant detrimentum
Propter horum copiam.

14. Post hoc autem moriuntur,
Ad ignotos devolvuntur,
Cuncta quae possederant;
Maledicunt eis inulti,
Horum bonis errant multi
Et mendicos fecerant.

15. Tamquam nihil sunt projecti,
In sepulchro stant abjecti
Neci dati acriter;
Fluunt crines, cutis scatet,
Frons marcescit, visus latet,
Dentes cadunt pariter.

16. Intestina computrescunt,
Ibi vermes requiescunt
Corrodentes omnia;
Ubi honor hujus mundi,
Ubi opes, ubi fundi,
Ubi mundi gloria?

17. Transierunt velut umbra,
Adhuc restat mors secunda
Resurgente corpore;
Ibi cuncta patent cunctis,
Dum resurgit omnis cutis
Ad mercedem propere,

18. Coeli regnum acceptura,
Vel inferni claustra dura
Attestante Domino:
Veni turba beatorum,
Regnum accipe coelorum
Absque ullo termino.

19. Sed damnatis dicit: ite,
Maledicti, nunc abite
Ad inferni barathrum;
Prima vox quam laeta erit,
Sed secunda dure ferit,
Dum mittit in tartara.

20. Primam vocem nos audire
Christus donet, ne in fine
Damnemur cum impiis,
Sed in coelis collocemur
Angelisque sociemur
In aeternis gaudiis.

Clm. Monacen. 641. saec. 15.

Inhalts-Übersicht.



Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

